COMMENTARIJ CUM DISPUTATIONIBUS, ET QUAESTIONIBUS, IN VNIUERSAM ARISTOTELIS...

Diego : de Jesús

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
22 G
21

E.V. n°. 127

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARII
CVM DISPVTATIONIBVS, ET QVÆSTIONIBVS, IN VNIVERSAM ARISTOTELIS STAGIRITAE LOGICAM

AD REVERENDISSIMVM D. D. Franciſcum Martinez, Epiſcopum Cartaginenſem, & Catholici Regis Conſiliarium meritiſsimū.

AVTHORE P. F. DIDACO A IESV, Primitiuæ regulæ, Excalceatorum fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli profeſſore: & in Complutenſi Collegio eiuſdem Ordinis, ſacræ Theologiæ Lectore.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI, Apud *Michaelem Serrano de Vargas*, Anno M. DC. VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

TASSA.

YO Iuan Gallo de Andrada, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor, de los q̃ reſiden en ſu Conſejo, certifico y doy fè, que auiendoſe viſto por los ſeñores del, vn libro intitulado (*Commentarij cum Diſputationibus, & Quæſtionibus in vniuerſam Ariſtotelis Logicam*: compueſto por el Padre fray Diego de Ieſus, Religioſo Deſcalço de nueſtra Señora del Carmen, taſſarõ cada pliego del dicho libro a quatro marauedis: el qual tiene nouenta y tres pliegos, que a los dichos quatro marauedis cada vno, monta el dicho libro trecientos y ſetenta y dos marauedis, en que ſe ha de vender en papel. Y dieron licencia para que a eſte precio ſe pueda vender, y mandaron que eſta taſſa ſe põga al principio del dicho libro, y no ſe pueda vender ſin ella. Y para que dello conſte, di el preſente en Madrid, a veynte y cinco dias del mes de Otubre, de mil y ſeyſcientos y ocho años.

Iuan Gallo de Andrada.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Folio 10. columna 2. linea 31. potentiam, dicat potentia, f.36.c.4.l.3.atq; , d.atq; adeo, f.77.c.2.l.9. Tandem dicit, d. Tandem dices. fol.115.col.3.lin.27. illos, d.illas.f.122.c.3.l. 16.naturalis, d.materialis.ibidem, l.vltima, non habet, d.hoc non habet.ibi.c.4.l.1.inferioris, d.inferiorum.f.127.c.2.l.28. §.2.quæſt.d.primo quia.f.131.c.4.l.17.qu ęnon diſtinguntur, d.quæ diſtinguntur. f.157.c.3.l.19.eſt aliud ſicut eſt, d.ſicut aliud eſt.f.179.c.2.l.29.prædicamentia, d. prædicamenta. f. 183.c.1.l.12.ſunt, d.non ſunt, f.193.c.1.l.26.inſunt, d.ſubſunt.f. 209.c.4.l.31.quid quid, d. quid quòd.ibi. l.32.habeant, d.habēt. ibi. l.34.ſignificāt, d.ſignificantur.f.203.c.1.l.15. colorem d.calorem.ibi.c.2.l.22.percipiant, d.percipiantur.ibi.c. 3. l. 5.cognita, d.congenita, f.222.c.3.l.33.diuiſsibilis, d.diuiſsibile, f.259.c.3.l.22.relatio, d.relationē.f.165.c.4. l.30. q.26. d.28.f.350.c.3.l.3.proprioritatem, d.prioritatem.f.273.c.2. l.17.lalatus, d.latus.f.281.c.2.l.5. eſſentia eſſentiali, d.eſſentiali.f.305.per errorem 303.c.4.l.7.ſupernatuarlibus, d.ſuper naturalibus.f.315.c.2.l.22, ſpecie, d.ſpeciei.

Librū hunc vidi, & cum ſuo archetypo contuli, omnia quę in eo ſunt, adeo vere & fideliter impreſſa, vt præter ea, quæ a me proximè ſunt emendata, nulla vnquam in re ab exemplari ſuo diſcedant. Datum Matriti, die 23. Menſis Octobris, Anno, 1608.

Licenciatus Franciſcus Murcia de la Llana.

BIBLIOTECA RAFAEL MAYOR

NOS

NOS Fr. Ildefonſus a Ieſu Maria, Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli primitiuæ obſeruantiæ Generalis, &c. Commentaria, cum Diſputationibus & Quæſtionibus in Ariſtotelicam Logicam, per P. Fr. Didacum à Ieſu, in noſtro Complutenſi Cænobio ſacræ Theologiæ Lectorem conſcripta, atque adeo à Religioſis viris (quibus ea Nos, & Diffinitorium noſtrum examinanda commiſsimus) approbata, & quæ in lucem prodeant digna viſa ſunt; vt prælo mandentur, licentiam, & facultatem concedimus per præſentes. Dat. Matriti, die 20. Maij, 1608.

Fr. Ildefonſus a Ieſu Maria
Generalis.

Digitized by Google

HOſce Commentarios in Logicam Ariſtotelis Stagiritæ, omnium Philoſophorum facile Principis, a doctiſsimo Patre fratre Didaco a Ieſu editos, mihi vero ex decreto ſupremi Senatus Regij commiſſos, vidi, & inſpexi, digniq; viſi ſunt, qui prælo mandētur: cū nihil contineant quod a fide Catholica, bonisque moribus ſit alienum, conducantque maximè ſtudentium vtilitati: elucet enim in illis, cum dicendi facilitate, ingenij ſubtilitas, cum rerum pondere, & ſententiarum grauitate, ſtyllus breuis, ac dilucidus, & grata facūdia. Qua propter cum omnia eruditè pertractet, authores claſicos ſemper ſectetur, & ea quæ vera ſunt in ſuis Diſputationibus magna ex parte tueatur, ſpero eos omnes qui Philoſophiæ, Theologiæ ve operā daturi ſunt, ex hoc opere (quod optime deffinitionis inſtar, nihil redundans, diminutum ve cōtinet) maximum emolumentum percepturos. Datum Matriti, decimo tertio Kalendas Iulij. Anno milleſsimo ſexcenteſsimo octauo.

D. Petrus Gonçalez de Caſtillo
Canonicus M. Eccleſ. Cōchen.

EL

Digitized by Google

EL REY.

POR Quanto por parte de vos fray Diego de Ieſus, Religioſo deſcalço de nueſtra Señora del Carmen, nos fue fecha relació, que auiades compueſto vn libro, intitulado *Comentarios ſobre la Logica de Ariſtoteles*, que os auia coſtado mucho eſtudio y trabajo, nos pediſtes y ſuplicaſtes, os mandaſſemos dar licencia para le poder imprimir, y priuilegio por el tiẽpo que fueſſemos ſeruido, ò como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, por quãto en el dicho libro ſe hizieron las diligencias, que la prematica por nos vltimamente fecha ſobre la impreſſion de los libros, diſpone: fue acordado, que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula, para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por lo qual, por os hazer biẽ y merced, os damos licencia y facultad, para que vos, ò la perſona que vueſtro poder huuiere, y no

otra alguna, podays imprimir el dicho libro inticulado *Comentario ſobre la Logica de Ariſtoteles* en todos eſtos Reynos de Caſtilla, por tiempo y eſpacio de diez años, q̃ corran y ſe quenten deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula, ſo pena que la perſona, ò perſonas, que ſin tener vueſtro poder lo imprimiere, ò vendiere, ó hiziere imprimir, ò vender, por el miſmo caſo pierda la impreſsion que hiziere, con los moldes y aparejos della: y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena, ſea la tercia parte para la perſona que lo acuſare, y la otra tercia parte para nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentenciare: con tanto, que todas las vezes que ouieredes de hazer imprimir el dicho libro, durante el tiempo de los dichos diez años, le traygays al nueſtro Conſejo, jũtamente cõ el original que en el fue viſto, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Iuan Gallo de Andrada, nueſtro Secretario de Camara, de los q̃ en el reſiden, para q̃ ſe vea, ſi la dicha impreſſion eſta conforme el original, ó traygays fè en publica forma, de como por corrector nõbrado por nro mãdado, ſe vio y corrigio la dicha impreſsion por el original, y ſe imprimio conforme a el, y quedan impreſſas las erratas por el apuntadas, para cada vn libro de los q̃

aſsi

aſsi fueren impreſſos,para que ſe taſſe el precio,que por cada volumẽ ouieredes de auer. Y mandamos al impreſſor que aſsi imprimiere el dicho libro,no imprima el principio, ni el primer pliego,ni entregue mas de vn ſolo libro con el original,al autor,ò perſona, a cuya coſta lo imprimiere,ni a otro alguno,para efeto de la dicha correcion y taſſa , haſta que antes y primero , el dicho libro eſtè corregido y taſſado por los del nueſtro Conſejo:y eſtando hecho y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio y primer pliego , y ſuceſsiuamente ponga eſta nueſtra cedula , y la aprouacion,taſſa y erratas,ſo pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las leyes y prematicas deſtos nueſtros Reynos. Y mandamos a los del nueſtro Cõſejo, y a otras qualeſquier juſticias dellos,que guarden y cumplan eſta nueſtra cedula y lo en ella contenido. Fecha en Lerma,a diez y nueue dias del mes de Iulio,de mil y ſeyſciẽtos y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro Señor.

Thomas de Angulo.

S A-

SAPIENTISSIMO
Pientiſsimo, ac Reuerẽdiſsimo
D. D. Franciſco Martinez de Cenizeros, Epiſcopo Cartaginẽſi, & Catholicę Maieſtatis Conſiliario meritiſſimo.

IN *Lucem prodire cogdor, (Praſul ampliſsime) & hos ingenij fætus, quos mens mea, quaſi laſſa & effœta natura, debiles protulit, ſolem aſpicere, (cum filij obſequẽtes ſimus) volunt parentes, exequente eorum præcepto, quod obtuſsi aciei noſtræ verebãtur obtutus, lippitudo timebat: tenui que & exili, (ſi qua in me eſt Philoſophiæ auſcultatio) hoc renitente, altior obſequendi doctrina fecit; fiat; fecit tandem obſequi, & famulari. Hoc quidem neceſſarium. Quod vero mihi in hiſce Commentarijs in lucem dandis, liberum fuit, ingenij ſcilicet Genium quærere, Patronum aſciſcere, hoc tu, pietatis iure, quem, licet indignus, habui præceptorem: pientiſsime Paſtor. Hoc tu,* ingen-

ingentis ſapientiæ merito, ſapientiſsime Præſul, ac beneficiorum, beneficijs ni ſcio qua coactione ſpontanea, qua lubens animus trahitur, vendicaſti. Tu enim cogitanti ſerio, cui hoc operum noſtrorum præludium, & quaſi ſpecimen deberetur, occurriſti primus. Te enim totius noſtræ Religionis fautorem præcipuum, te eximium Patronum, & defenſorem, ipſæ quoque notæ omnibus, ſingularis beneuolentiæ notæ, quibus illam es proſequutus, vbique proclamant. Ommitto particularia, & quotidiana ſigna benigni amoris, in hoc noſtrum Compluteñſe Collegium inſignia. Ommitto beneficia innumera, quæ in me exilem, & pauperculum contuliſti, quibus omnibus cum parem, vt decebat, gratiam non poſſemus referre, ne per incogitantiam, negligentiam, aut obliuionem, ingratitudinis nota (quam radicem eſſe totius mali Deum alloquens Auguſtinus expreſsit) mereremur inuri, labores hoſce meos, modicos licet, ac meritis impares, ſaltim, vt aliquale gratitudinis erga te noſtræ ſymbolum, & tanquam debiti cautionem, typis firmatam, ac mandatam, poſteritati relinquimus. Cum ergo fœtum hunc, qualis qualis ipſe eſt, quem mens noſtra enixa fuit, non in conſpectum ſolum, verum etiam in doctiſsimorum hominum manus venire neceſſum ſit, Patrono indiget, at ſub quo alio incedet fœlicius? Noſti enim modis omnibus, commiſſa tibi, præcipue poſtquam ad meritum Epiſcopalis honoris euectus es, occuiata nimis tuitione protegere, protectione tutari. Nobiliſsimæ tuæ Canarienſium genti, hoſtilis imminebat direptio, accurriſti tamen, ferens pericli

tanti-

tantibus ouibus ſuppetias, Paſtor inclite; egiſtique non ſolum paſtorem munificum, verum (quantum fas erat Antiſtiti) ducem ſtrenuum. Ad te igitur labor hic noſter Franciſce confugit, tibi ſe tradit, & dicat, ſub tua tutela, ſe fore arbitratur tutum, ſub tua (licet indignus), cura, ſecurum, ſub tuo ſplendore, conſpicuum, ſub tuo Clypeo, tela non timet; ſub tuo inditio, Criticorum non veretur præiuditium; ſub tanti Pontificis benedictione, non horret maledictionem; ſub tua luce, prodire audet in lucem; & quia lux (quod ad patrocinium attinet) etiam obumbrat, ſub hac, cum Parente Helia requieſcet vmbra iuniperi. Vale.

Fr. Didacus a Ieſu.

Digitized by Google

STVDIOSO Lectori.

DVm in terra hac, deſerta, & inaquoſa, tanquam aduenæ, & peregrini, id, quod ex parte eſt, cum gratiarũ actione ſuſcipientes, per ſpeculum ambulamus, & non per ſpeciem. Quo vſque in Cœleſti Hieruſalem, quæ ædificatur, vt Ciuitas, victores, quaſi columnæ, fixa & immobili ſtatione firmemur, in qua participatio in id ipſum erit, id ipſum dicentes omnes: id ipſum, gloriam ſcilicet Domini, reuelata facie, in eandem transformati imaginem, ſpeculantes id ipſum; Deum ſcilicet, qui idem ipſe eſt, ſimpliciſsimè vnũ, ſimplici etiam intuitu, nec diuiſſa cognitione appræhendemus. Dum inquam adueniunt reſtitutionis tempora, *pertranſibunt multi (dicitur Danielis 12.) & multiplex erit ſcientia*; pertranſibunt

multi,

multi, ſunt enim viatores adhuc; pertranſibūt multi, ex vno videlicet in aliud, veritatē vnā, diſſerta ratiocinij vi ellicientes ex alia; & multiplex erit ſcientia, vt potè, quæ a ſenſibus incipit, in quibus heu, caro noſtra quam multipliciter? multiplex erit ſcientia, nam *rem ipſam* (vt cum Baſilio de Dei natura loquente, loquar) *vti ſua pie natura eſt, & ſi omnes omnium mētes vnà ad inueſtigandum coirent, itemque ad enuntiandum linguæ concurrerent, tamen qui aſſequi poſſet, exiſteret nemo; & ita pluribus diuinæ literæ, neceſſario & nominibus vtuntur, & verbis, ad exiguam quandam atque hanc ipſam obſcuram, diuinæ notionis expreſſionē.* Hæc Baſilius: multiplex erit ſcientia, quia & naturalia multiplici ſcientia dignoſcimus, & inuiſsibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicimus; ſcientia item de Deo, Theologia ſcilicet, quam profitemur, mire quidē, ſciendi modo, humano diſcurſu, & ratiocinatione iuuatur. Huic ergo ſcientiæ multiplici Dialecticam noſtram viam aperire, non ſolū alicuius notæ Philoſophi, ſed ſancti etiam Patres inditum nobis literis reliquere. Quod ſi, vt recte expreſsit Ambroſius, lib. 6. Epiſtolarum Epiſtola 38. *In omnibus rebus præſtantiora ſunt principia, & finis. Si domum cōſideres, potiora omnibus fundamenta, & culmina: ſi agrum, ſatio, & meſsis, plātatio & vindemia. Quam iucunda inſitiua arborum? quam fructus potius? ita etiam cœlum primo eſt conditum,*

tum, homo nouiſsime, quaſi quædam in cœlis terreſtris creatura, vt recte in mundi conſtitutione primum cœlũ, & nouiſsimũ cœlum reperiretur. Hæc Ambroſius. Si ergo principia, & finis potiora ſunt, & ſciẽdi principium, Logicæ ad cæteras introducẽti ſcientias, iure tribuitur, potiſsima quidem eius tractatio cenſenda eſt, nec viro Theologo aliena, vt pote qui nunc fundamenta iacit, ima petit, locat initium, vt ſic poſt ſationem Logicæ, poſt totius Philoſophiæ tractationẽ, ſint Theologiæ fructus votiui, ſit, ſit, iucunda vindemia. Præcipue, quia mens eſt in Theologicis quæſtionibus Angelico ſemper Doctori adhærere: oportebat igitur prius, etiam illum, vt pote ducem in Philophiæ tractatione præire, eiuſq; doctrinam nos, ipſa in nobis pugnante, a recẽtiorum calumnijs & impugnationibus vẽdicare. Libros Peryhermenias, & de Priori reſolutione non explicamus, in introductione enim ad Logicam, (ſummulis ſcilicet) omnia fere ad has Ariſtotelis partes attinẽtia, traduntur, & ſi quæ ſunt difficiliora, vt pote de verbo mentis, in libris de Anima, & de futuris contingentibus in Theologia, aut in peculiari tractatu, quem in quarto tomo (Deo dante) dabimus, oculatius, & maturius expedientur. Vale.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DISPUTATIONUM, & Quæſtionum.

DISPVTATIO I.

De Natura Logicæ ſecundum ſe, f. 2.
Quæſtio. I. An & quotuplex Dialectica ſit, ibid.
Quæſt. II. de Inuentoribus Logicæ artificialis, & de modo inueniendi, f. 4.
Quæſt. III. Vtrum obiectū Logicæ ens reale ſit an vero ens rationis, f. 5.
Quæſt. IIII. Quid ſit Logica docens & vtens, f. 12.
Quæſt. V. Vtrū Logica ſit ſciētia, f. 14.
Quæſt. VI. An Dialectica practicis, an vero ſpeculatiuis diſciplinis ſit adſcribenda, f. 18.

DISPVT. II.

De Logica in ordine ad alias ſcientias, f. 24.
Quæſt. I. Vtrum Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias, ibid.
Quæſt. II. Quod Logica ad alias ſcientias ſit vtiliſsima, f. 26.

DISPVT. III.

De ente rationis & ſecundis intentionibus, f. 27.
Quæſt. I. Quid ſit, & an ſit ens rationis, ibid.
Quæſt. II. Quid ſit denominatio extrinſeca, & an ſit ens rationis, f. 32.
Quæſt. III. An entia rationis ab intellectu diuino fieri queāt f. 34.
Quæſt. IIII. An ens rationis eſſe poſsit ante quam cognoſcatur, & an per eandem cognitionem per quam ſit intelligatur, f. 38.
Quæſt. V. Quotuplex ſit ens rationis, f. 39.
Quæſt. Vlt. Quid ſit prima & ſecunda intentio, f. 44.

De Vniuerſalibus.

Quæſt. præuia quod ſit adæquatū huius libri ſubiectū, f. 46.

DISP. IIII.

De natura & quidditate vniuerſalis in communi, f. 48.
Quæſt. I. An ſit vniuerſale in rebus, ibid.
Quæſt. II. Vtrum natura hæc realis, quæ vniuerſalis dicitur, ſit formaliter & poſitiue vniuerſalis, ante operationē intellectus, f. 51.
Dubium incidens, Vtrum vnitas tranſcendentalis ſit tantum vnitas numeralis an vero conſequatur omnem for-

¶ mali-

malitatem entis realis,f.53.
Quæſt.III. Vtrum detur a parte rei in natura vnitas formalis diſtincta ab vnitate numerica,f.57.
Quæſt.IIII. Per quã operationẽ intellectus fiat vniuerſale,f.60.

DISP. V.

De vniuerſali inprędicãdo,f.66
Quæſt.I. Quid & quotuplex ſit prædicatio,ibid.
Quæſt.II. Vtrum primæ intentiones de ſecundis,& ſecũdę de primis,& inter ſe etiã prędicẽtur,& quomodo,f.67.

Dubium I.

Vtrũ in terminis primæ intentionis concreta de concretis enũciari vere poſsint,ib.

Dubium II.

An abſtracta de abſtractis vere prædicentur,f.68.

Dubium III.

Vtrũ concreta de abſtractis & abſtracta de concretis enunciari vere poſsint,f.70.

DISP. VI.

De Genere.f.72.
Quęſ.I. Quod ſit definitũ in definitione generis,tã deſcriptiua,quã quidditatiua,ibi.
Quæſt.II. Quod ſit genus in his generis definitionibus,f.77.
Quæſt. III. Quid ſit cõpoſitio Metaphiſica, & quomodo partes eius genus ſcilicet & differentia inter ſe & ab ſpecie diſtinguantur,f.79.
Quæſt.IIII. An & quomodo verũ ſit Axioma illud,genus ſumitur a materia differentia vero a forma,f.82.
Quæſt.V. Vtrũ genus prædicetur de ſpecie vt totum vel vt pars,f.83.

DISP. VII.

De Specie,f.89.
Quæſt.I. Quid ſit ſpecies ſubijcibilis,& vtrum recte a Porphirio definita,f.90.
Quæſt.II. An ſpecies vt ſubijcibilis generi ſit vniuerſalis, f.93.
Quæſt.III. Quid ſit ſpecies vniuerſalis & prædicabilis, & an recte a Porphirio definita,f.94.
Quæſt.IIII. An genus poſsit cõſeruari in vnica ſpecie,& ſpecies in vnico indiuiduo,f.95
Quæſt.V. An natura Angelica poſsit denominari ſpecies prædicabilis,f.97.
Quæſt.VI. De natura indiuidui,f.101.

DISP. VIII.

De Differentia,f.106.
I.Pars Diſp.de differentia præciſſe vt differentia,ibi.
Quæſt.I. Quid differentiæ nomine ſignificetur, & an ſit terminus primæ vel ſecũdæ intentionis f.107.
Quæſt.II. Qualis ſit diuiſsio diffe-

differentiæ in communem propriam, & proprijſsimã f.110.

Quæſt.III. Vtrũ hęc diuiſsio ſit adæquata, f.113.

Quæſt.IIII. Vtrum proprijſsima differentia actu & eſſentialiter contineat genus quod contrahit, aut contineatur in illo, f.115.

Quæſt.V. An differentia ſuperior eſſentialiter includatur in inferiori, & an ſint gradus ſimplices, & incompoſiti, f.119.

II. Pars Diſp. De differentia vt vniuerſalis, f.120.

Quæſt.I. Quid ſit differentia, vt vniuerſalis, ibi.

Quæſt.II. Vtrũ differentię vniuerſalitas in differentia ſubalterna & infima, ſit eiuſdẽ ſpeciei, f.121.

Quæſt.III. An recte definita ſit a Porphirio differentia prædicabilis, f.125.

DISP. IX.

De proprio, f.127.

Quęſt.I. de proprio, vt propriũ eſt, fol.128.

Dubium I.

Secũdum quam acceptionem proprium ad quartum prædicabile pertineat, ibi.

Dubium II.

Quomodo proprium ſub ratione proprij definiendum ſit, f.130.

Dubium III.

An ratio formalis proprij ſit realis, vel rationis, f.131.

Dubium IIII.

Vtrũ propria paſsio diſtinguatur ab eſſentia, & an ab illa ſeparabilis ſit, f.132.

Quæſt.II. De proprio, vt vniuerſale eſt, f.134.

Dubium I.

An tantũ propriũ quarto modo poſsit habere rationem quarti prædicabilis, ibid.

Dubium II.

An propriũ habeat rationẽ vniuerſalis reſpectu ſpeciei, an reſpectu inferiorũ, f.135.

DISP. X.

De accidenti, f.137.

Quæſt.I. Quod ſit accidens, & an recte definitum a Porphirio, ibid.

Quæſt.II. An accidens commune ſit vere vniuerſale, & reſpectu quorum, f.140.

Circa ante prædicamenta Ariſtotelis.

Quæſt. I. Vtrum definitiones æquiuocorum & vniuocorũ recte aſsignentur ab Ariſt. f.149.

Quæſt.II. de definitione & natura denominatiuorum, fol.151.

DISP. XI.

De Analogia in cõmuni, f.153.

Digitized by Google

Quæſt.I. Quid ſit Analogum, quid Analogia, & quotuplex,ibid.
Quæſt.II.De Analogis proportionis & attributionis,f.155.
Quæſt.3.De Analogis proportionalitatis,f.158.
Quæſt.IIII. Vtrum ſola tranſcendentia Analogiam cauſare queat,f.162.
Quæſt.V.Vtrum ab Analogatis abſtrahibilis ſit vna ratio communis,f.166.
Quæſt.VIt.De Analogia entis, tam reſpectu entis rationis & realis,quam Dei, & creaturarum ſubſtantiæ, & accidentis,f.175.

BREVIS DISP.

De his quæ ponuntur, aut excludũtur a Prędicamentis,f.180.

DISP. XII.

De Prædicamento ſubſtantiæ, f.182.
Quæſt.I. Quæ ſit ratio conſtitutiua ſubſtantię in communi, & illius etiam quæ hoc cõſtituit Prædicamentũ,f.184.
Quæſt.II. Vtrũ Deus optimus maximus in hac cathegoria ſubſtãtiæ cõtineatur, f.187.
Quæſt.III.Vtrum Angeli & cæli in hoc prædicamento collocentur,f.190.
Quæſt.IIII.De diuiſione ſubſtantiæ,in primam & ſecundam, f.192.
Quæſt.V.Vtrum Definitiones primæ & ſecundæ ſubſtantiæ ab Ariſto. traditæ rectæ ſint,f.199.
Quæſt.VIt. Vtrum proprietates ſubſtantiæ ſint recte ab Ariſt.aſsignatæ,f.201.
Quæſt.Præuia ad prædicamenta accidentium quę ſit eſſentia accidentium,quæ ve eorum exiſtentia,f.203.

DISP. XIII.

De Quantite,f.210.
I.Pars Diſputationis. De natura & eſſentia Quantitatis in communi,ibid.
Quæſt.I.In quo conſiſtat eſſentialis ratio Quantitatis, ibi.
Quæſt.II.Vtrum ſubſtantia ſine Quãtitate partes habeat f.215.
Quæſt.III. An Quantitas paſſiones habeat & quas,f.220.
Quæſt.IIII.Vtrum diuiſiones Quantitatis ab Ariſt. traditæ rectæ ſint,f.224.
II.Pars Diſp. De Quãtitate cõtinua,& eius ſpeciebꝰ,f.225
Quæſt. I. An linea ſuperficies, & corpus ſint veræ ſpecies Quãtitatis continuæ,f.226.
Quæſt.III. Quid ſint locus & tempus, & an ſint ſpecies Quantitatis,f.232.
III. Pars Diſp. De Quantitate diſcreta, & eius ſpeciebus, f.234.
Quæſt I.Quid ſit vnitas prædi-

ca-

camentalis, & an ſit aliquid poſitiuum, ibid.
Quæſt. II. Vtrum numerus ſit vnum per ſe, & vera ſpecies Quantitatis, f. 237.
An vltima vnitas ſit forma numeri, nec ne, f. 242.
Quæſt. III. Quid ſit oratio & an vera ſpecies Quantitatis diſcretæ, f. 243.

DISP. XIIII.

De Relatione, f. 247.
I. Pars Diſp. De Relationibus realibus, & earum fundamẽtis, f. 247.
Quæſt. I. An ſint relationes reales, & quæ conditiones requirantur ad illas, ibi.
Quæſt II. De fundamẽtis Relationum realium quę & quot ſint, f. 251.
De relatiuis primi generis, & eorũ fundamento, f. 252.
De relatiuis ſecundi generis, & eorum fundamẽto, f. 254.
De tertio genere relatiuorũ, eorũq; fundamẽto, f. 259.
Quæſt. III. Vtrum immediate in ſubſtantia, & in alia relatione poſsit fundari relatio, f. 260.
Quæſt. IIII. Vtrum relatio diſtinguatur realiter a ſuo fundamento, f. 162.
II. Pars. Diſp. De relatione in ordine ad terminum, f. 267.
Quæſt. I. Vtrum Relatio terminetur ad abſolutum, vel ad reſpectiuum, ibid.
Quęſt. II. Vtrum relatio ſpeciẽ & indiuiduationem ſumat a termino, an a fundamẽto, vbi de diſtinctione *in* & *ad* relationis, f. 271.
Vtrum eſſe *in* includatur in eſſe *ad* relationis, f. 273.
III. Pars Diſp. De generaliſsimo huius prædicamenti & de proprietatibus relatiuorum, f. 278.
Quæſt. I. An ſit aliquod generaliſsimũ huius prædicamẽti, quod, & an tantũ vnũ, f. 273.
Quæſt. II. De proprietatibus relatiuorum, f. 277.

DISP. XV.

De Qualitate, f. 280.
Quæſt. I. Quid ſit qualitas, & an recte definita ab Ariſ. f. 281
Quæſt. II. Quid ſint habitus & diſpoſitio, & an differãt ſpecie, f. 283.
Quæſt. III. De naturali potẽtia & impotentia, f. 237.
Quæſt. IIII. Quid ſint paſsio & paſsibilis qualitas, & de his quæ ad hanc ſpeciem expectant, f. 289.
Quæſt. V. Quid ſint forma & figura, & an ſint plures ſpecies qualitatis quam prædictæ, f. 292.
Quæſt. VI. de proprietatibus qualitatis, f. 293.

BREVIS DISP.

De ſex vltimis prædicamentis f. 294. per errorem 301.

DIS-

DISP. XVI.
De eſſentia demonſtrationis eiuſq; requiſitis, f. 303.
Quæſt. I. Vtrum omnis cognitio diſcurſiua fiat ex præextenti cognitione, f. 304.
Quæſt. II. Vtrum bene aſsignẽtur ab Ariſt. duæ tãtum præcognitiones, & tria præcognita, f. 308.
Quæſt. III. Vtrum præmiſſæ ſint cauſa concluſionis, & in quo genere, f. 313.
Quæſt. IIII. Vtrum cognitis maiori & minori, neceſsitetur intellectus in eodem inſtanti ad aſſenſum concluſionis, f. 316.
Quæſt. V. Quid ſit demonſtratio in communi, f. 320.
Quæſt. VI. Vtrum præmiſſę demonſtrationis debeant eſſe de omni, per ſe, & vniuerſali, f. 325.

DISP. XVII.
De diuiſione demonſtrationis in quia, & propter quid, f. 328.
Quæſt. I. Vtrum recte diuidatur demõſtratio in hæc duo membra, ibid.
Quæſt. II. Vtrum hæc diuiſio ſit generis in ſpecies infimas, f. 332.

DISP. XVIII.
De ſcientia, opinione, & fide, f. 334.
Quæſt. I. Quid ſit ſcientia, & an differat a cognitione principiorum, opinionis, & fidei ibid.
Quæſt. II. Quæ ſit natura opinionis & qua ratione a fide, & ſcientia diſtinguatur, fol. 337.
Quæſt. III. Quæ ſit eſſentia fidei, & quomodo diſtinguatur a ſcientia & opinione, f. 339.
Quæſt. IIII. Vtrũ ſciẽtia, fides & opinio ſimul eſſe poſsint in eodẽ intellectu, f. 342.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARII CVM DISPVTATIONIBVS, & Quæſtionibus, in vniuerſam Ariſtotelis Stagiritæ Logicam.

PROOEMIVM.

QVamquam diuina Theologia, diuino lumine, principijsque a Deo reuelatis nitatur: cum tamen humano diſcurſu, & ratiocinatione iuuetur, veritatibus etiam naturæ lumine notis, ad ſuos diſcurſus perficiendos, & diuinas veritates illuſtrandas, quaſi miniſtris vtatur: fit, vt diuina hæc, & ſuper naturalis doctrina, humanam, & naturalẽ, eam præcipue, quæ modum ſciendi tradit, qualis eſt noſtra Dialectica, vt ſibi famuletur, exoptet. Eſt enim hæreticorum fini, & propoſito ſatis aduerſa, quam proinde non ſolum noſtris temporibus iuniores hęretici, ſed & antiqui, Iulianus præcipue Apoſtata condemnant, & vituperant. *Confert enim* (teſte Hier. ſuper Ezechielem) *vt quidquid in ſæculo eſt peruerſorum dogmatum corruat, & ſubuertatur.* Hæc enim Dialectica, res latentes definitione explicat, multiplicia, & ambigua diſtinguit. Hæc ſubtili-

ter, & appoſitè, ac ſine deceptione de omnibus diſputandi viam aperit. Hæc abſconſa rimatur, & inuenit; inuenta iudicat; iudicata diſponit; diſpoſita & ordinata probat; etſi ab alijs impugnetur mire defendit. Hinc Dialecticam inter virtutes numerabant Stoici, (vt refert Cato apud Ciceronem lib. 3. de finibus,) *Eo quod* (inquit) *rationem habeat, ne cui falſò aſſentiamur; ne ve vnquam doloſa probabilitate fallamur, nam ſine hac arte quemuis arbitramur a vera abduci, fallique poſſe.* Hinc Plato dialogo. 7. de iuſtitia legem voluit in Republica eſſe ferendam, qua iubeantur diſcentes, hanc potiſsimum diſciplinam capèſſere. Nec ſacra pagina à Dialectico artificio eſt aliena, extat enim ad huius confirmationem inter alia, locus præclarus deſumptus ex Aug. lib. 17 contra Creſconium relatus a Iacobo Euſtratenſe lib. 4. cap. 11. vbi conſiderans Aug. modum, quo Chriſtus Iudeorum Principes ex ſuis met dictis conuincebat, illum vocat Dialecticum. Mirum equidem (religioſè ſumatur) mirum Dialecticæ factū. Cum ergo ſic opperteat Philoſophum agere, (nos præcipue diuino omnino cultui mancipati) vt ſemper præ oculis habeamus noſtram Philoſophiam Chriſtianam eſſe debere, ac diuinæ Theologiæ miniſtram, & in ſacra doctrina tradenda, D. Thomam Doctorem Angelicū tanquam præceptorem, & ducem, tam noſtro, quam antiquo ſæculo, Sanior Theologorum pars veneretur, & prædicet; Thomā opportet in hac noſtra Dialecticæ inſtitutione præire: vt in quæſtionibus pertractandis, in ſententijs, & opinionibus ſeligendis, in eas propendamus, quæ pietati, & doctrinæ reuelatæ ſubſeruire magis videbuntur. Quia tamen in his, quæ neceſſaria ſunt, mens eſt iuxta eorum exigentiam immorari, ab alijs conſulto abſtinebimus, tū, vt obſequamur vtilibus, tum, quia hæc vbique peruia, ac demum, quia ſimul cum alijs mole ſua, non nihil volumini ac Lectori afferrent moleſtiæ.

(?)

DIS

DISPVTATIO .I.

De natura Logicæ ſecundum ſe.

IN Alicuius rei tractatione, quæ ad alias etiam poteſt conducere, prius oportet de re ipſa ſecundum ſe, quam vt alia reſpicit pertractare. Eſt enim illud prius, huius quaſi poſterioris reſpectus, aut reſpectiuæ vtilitatis fundamentũ, ideo enim ad aliud aliquid vtile eſt (præſertim in re, de qua agimus) quia ſecundum ſe bonum eſt, & hanc, aut illam. V. g. naturã habens. Cum ergo Logica ad alias ſcientias neceſſaria ſit, placuit in hac diſputatione, prius quid ei ſecundum ſuam naturam conueniat, quid ve in ſe ſit, abſoluta (vt ſic dicam) conſideratione rimari: cõſideratione reſpectiua, ſeu de Logica, vt ad alias comparatur ſcientias, ad ſequẽtem diſputationem relicta. Quæ duæ diſputationes, quæſtiones illas, quæ a Latinis Proœmiales, ſiuè præambulç, a Græcis autem prologomena nuncupantur, continebunt.

QVÆSTIO .I.

An & Quotuplex Dialectica ſit.

CVm ex Ariſt. 2. poſt. cap. 5. quatuor de qualibet re ſciri debeant, an ſcilicet res ſit, quid ſit, qualis, & propter quid. Primumq; ſcilicet eſſe rei, vt pote reliquorum fundamentum, cæteris alijs ſupponatur: ideo eſſe Dialecticæ opportet, vel probare, vel ſupponere: quò cæterorum cognitio, quaſi doctrinalis ſtructura, iacto prius fundamento firmiter erigatur. Suppoſito ergo prius, quod licet temporibus Ariſtotelis in eius etiam acceptione, hæc duo nomina, Logica, & Dialectica pro diuerſis totius huius ſcientiæ partibus ſumpta ſint, vt recte notarunt Marſil. & Lemoſi. Aberr. & Simpli. iã tamẽ pro tota hac ſciẽtia & facultate, quę operationes intellectus dirigit, & methodũ docẽdi, & diſcẽdi, tradit, indifferẽter ſumuntur, cui noſtri tẽporis

vſui deſeruientes, his nominibus deinceps, pro tota hac arte indifferenter vtemur.

Secundo notãdum eſt, quod cum inquirimus, an Dialectica ſit, poteſt quæſtio procedere, vel de Dialectica naturali, vel de artificiali, an ſcilicet his nominibus *Dialecticæ naturalis*, & *artificialis*, res aliqua ſubſit realis, & vera, an ſolum quaſi nuda nomina, vacua omnino, & nugatoria ſint; vel ſaltim, ſi Logica artificialis detur, an etiam Logica naturalis ſit; vel è contra, an tantum Logica naturalis, non vero artificialis reperiatur.

In qua (ſi fas eſt loqui) dubitatione, aliqualem tantum, circa loquendi modum diſſenſionem inuenio; alijs abſolute naturalem Dialecticam concedẽtibus, alijs affirmãtibus, (ſi proprie loquendum eſt) non Dialecticam, ſed quoddam eius initium a natura homines habere, in re tamen fatentur omnes, & naturalem Logicam eſſe, & artificialem ſimiliter. Appellant autem naturalem Logicam, potẽtiam quandam, nobis a natura inſitam, ad diſcurrendum, intellectum ſcilicet, prout diſcurſus aliquos lumine tantum naturali adiutus format: artificialem vero, habitum quendam acquiſitum, potentiæq; illi naturali ſuperadditum, quo perfectius, abſq; errore, & facilius intellectus operationes exercere poſſimus.

Dico ergo primo, Logica naturalis datur in homine, patet, quia datur in homine potentia naturalis ad diſcurrendum, intellectus ſcilicet, in quo ſunt quædam Dialecticæ principia, naturali lumine nota, ex quibus homo quilibet, quantumuis artis expers, diſcurrere poteſt, ac ratiocinari; immo multa cognoſcere, quæ in Logica artificiali traduntur: vt quod duæ contradictoriæ non poſsint eſſe ſimul veræ; quod ſcilicet, Petrus dum eſt, non ſit, & quod totum ſit maius ſua parte; & quod ex iſtis præmiſsis totum eſt maius ſua parte, ſed brachium eſt pars reſpectu corporis, recte colligatur ergo corpus maius eſt brachio. Secundo, quia de nonnullis refertur ſcientias aliquas ſine Dialectica artificiali comparaſſe, vt medicinam Hipocratẽ, & Mathematicas alios; immo probabilior ſententia fert, Logicam artificialem, ad acquirendas ſcientias, modo aliquo, non omnino perfecto, non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ergo cum illæ ſic acquiruntur, id fit media Logica naturali, ſine artificiali enim, naturaliter eſt in homine capacitas ſciendi. Quod autem hæc potentia hoc illuſtrata lumine, & his ad diſcurrendum informata principijs, Logica naturalis dici debeat, in primis

pro-

Digitized by Google

probatur. Quia ſic loquitur Ariſto. 1. Rethor. ad Theodectē c. 1. vbi inquit, *homines à natura Dialecticos, & Rethoricos eſſe*. Et 1. Eth. c. 11. *homines abſq; vllo Magiſtro, in multis diſcurrere, et ratiocinari*; at obiectū illius diſcurſus, & principia quibus nititur, nō prætergrediūtur Logicæ obiectū; immo circa ipſum verſantur, vt experiētia patet, & initio huius cōcluſionis oſtēdimus: poterit ergo Logica naturalis dici. Eodē modo loquitur idē Ariſt. 2. Ethicor. c. 1. & alibi. Aberroes 1. priorū c. 5. & 9. & 12. & fere cōmuniter omnes. Quod abſq; dubio ſufficit in nominū vſurpatione, quæ ex vſu & impoſitione ſignificant. Addo, quod cū dicis, nos habere Logicæ initiū, vel intelligis Logicæ naturalis initium, vel Logicæ artificialis. Si Logicæ naturalis, fateris ergo naturalē Logicā quam negabas. Si ſemel autē naturalis Logica cōcedatur, hæc a natura erit, vt nomen ipſum *naturalis* præſefert; ſi vero aſſeras initiū Logicæ, quod nos habemus, eſſe initiū Logicæ artificialis, hoc Logicæ artificialis initiū, nos dicimus Logicā naturalē. Illudq; additū *naturalis* diminuit perfectionē, quā nomē Dialecticæ præſeferebat. Secūdo addi poteſt, quod cū Dialectica naturalis ad acquiſitionē veræ ſciētię, licet imperfecto modo, concurrat, recte poterit Logica naturalis in recto dici: quinimmo vrgeo hoc ipſum; quia prima demonſtratio, qua Logicæ artificialis habitus acquiritur, fit omnino ab hac naturali Logica, artificialis Logicæ habitu tūc nō cōcurrēte, quia nondū erat acquiſitus, ergo quæ ſe ſola (id eſt ſine Logicæ habitu) Logicā generat, quo iure Dialecticæ (naturalis ſaltem) nomine nō gaudebit? Fatemur tamē hāc naturalē Logicā nō ſufficere, vt ſine errore intelligamus, homoq; certo ſciat, aptis ratiocinationibus vti, & nō fallacibus; & ſi aliquādo bene diſcurrat, hūc tamē modū nō ſemper intelligit, & aduertit, ac propterea illū rebus omnibus, quibus applicari poſſet, applicare nō nouit. Hinc Ariſt. 1. Reth. ad Teodect. c. 1. citat. loquēdo de diſcurſu ac ratiocinatione *multi* (inquit) *hæc temere, & caſu nonnulli exercitatione, & habitu factitant*.

Dico 2. Logica neceſſario eſt cōcedēda, quę ſit naturaliter acquiſibilis. Primo, quia natura nō deficit in neceſſarijs, his præcipue, quę ad intellectū expectant: ſed ad recte intelligēdum, dirigendasque eius operationes, circa veritatis aſſecutionē, artificialis Logica reqritur: illa ergo acqſibilis eſt. Minor ꝓbatur dupliciter. 1. ex definitione Logicæ artificialis, quā eſſe habitū ad pfecte intelligēdū definiuimus. 2. qa naturalis Logica

(vt dixi,) nõ eſt ſufficiẽs ad recte,& ſine errore intelligẽdũ, indiget ergo aliquo habitu, illã(vt ſic dicã)cõfortãte,ne in errores, debilis ipſa,& inſufficiẽs prolabatur. Cõfirmatur. Quia cũ modus recte intelligẽdi ſcibilis ſit, ſicut & recte pingẽdi, aut ſcribẽdi, debet dari ars, quæ illũ doceat, ſicut dãtur artes, quibus hi ignobiliores omnino, minuſq; neceſſarij præſcribuntur.

Secũdo principaliter probatur. Quia multi ſunt qui imperfecte, difficiliter,& erroneè aliquando diſcurrebãt; quos, ſi quibusdã inſtruas præceptis, facilius,& ſine errore diſcurrẽt, idq; iã permanẽter, & habitualiter: huius ergo mutationis in cognoſcẽdo, aliqua debet dari cauſa permanens, & aliqua ars, à qua cauſetur illa mutatio. Hæc eſt artificialis Logica. De illius ergo nõ ſolũ poſsibilitate, ſed etiã exiſtẽtia dubitari nõ poteſt.

QVÆSTIO .II.

De inuentoribus Logicæ artificialis, & de modo inueniendi.

EXiſtẽtiæ Logicæ cognitio, in præcedenti tradita quæſtione, ſtatim pulſat animũ, vt a quo, quo ve modo extiterit, inuẽtaq; fuerit, inquiramus. Relicta autẽ naturali Logica, de artificiali inſtituo ſermonẽ; quia naturalẽ (vt nomẽ ipſum præ ſe fert) ab authore naturæ omnibus hominibus cõmunicatã eſſe, dubitari nõ poteſt. De artificiali autẽ duo in præſenti quærimus. Primũ a quo. Secũdũ quomodo fuerit inuẽta, & circa primũ relicto Platonis Sõnio, qui in Dialogo Menõ nihil de nouo ſciri aſſerit, ſed omnes ſciẽtias eſſe nobis cõgenitas; ſuppoſitoq; ex Ariſt. 1. Meth. animũ noſtrũ ab ortu natiuitatis eſſe tãquã tabulã raſã, in qua nihil eſt depictũ.

Dico 1. Adamo per reuelationẽ omnes ſciẽtiæ à Deo traditæ ſunt,& cõſequenter Dialectica quã ſciẽtiã eſſe infra videbimus quæ ſicut maximus eſt intellectiuæ partis ornatus, ei præcipue qui aliorũ ductor, & Doctor eſſe debebat cõmunicari æquũ erat. Quod recte colligit Magiſter in 2. ſentẽtiarũ d. 3. ex cap. 2. Gen. eũq; ſequũtur Doct. Schol. colligoq; ego ex D. Tho. 1. p. q. 94. art. 3. corpore, vbi aſſerit. quod res primitus à Deo cõſtitutæ ſunt, nõ ſolũ, vt in ſe ipſis eſſent, ſed etiã vt eſsẽt aliorũ principia, ideoq; ſunt in ſtatu perfecto productæ, in quo rationẽ principij poſsẽt obtinere; ſed homo poteſt eſſe principiũ alterius, nõ ſolũ per generationẽ corporalẽ, ſed etiam per inſtructionẽ doctri-

ctrinalem:ergo ſicut primus homo cõſtitutus eſt in actu perfecto, quãtum ad corpus, vt ſtatim poſſet generare, ita etiã inſtitutus eſſe debuit in actu perfecto, quoad animã, vt ſtatim poſſet alios inſtruere; quod cũ deffinitione, diuiſsione, & argumentatione fiat; ſunt enim ſpecies modi ſciẽdi, & hoc Logicæ officiũ ſit; Logica inter alias ſciẽtias, a Deo reuelata illi haud dubie fuit. Ab Adamo ad Chaldæos ſciẽtiæ dimanarũt, qui primũ in orbe illas omnes habuere, vt adnotauit recte Beroſius lib. 3. antiquit. A Chaldæis vero, ad AEgipcios deuenère. Ab Aegipcijs deniq; ad Græcos, ſcientiæ deriuatæ ſunt, quod fatetur Plato in Timèo & docent Iãblicus & Diodorus Siculus. Inter Græcos autẽ, noſtra Dialectica maxime floruit: eãq; iniuria tẽporũ, iã fere deletã, ad eã, quã modo habet perfectionẽ redegerũt. Quare illius inuẽtores merito dici poſſunt. Habemus ergo, (ſi de natione, quæ hãc artẽ inuenit, ſit ſermo) Græciã fuiſſe, in ſenſu dicto. De authore tamẽ peculiari, & præcipuo huius artis.

Dico 2. licet Plato, eius partis quæ docet diuidere, Socrat. alterius, quæ definiẽdi Methodũ traddit, inuẽtores, & dicãtur & ſint; abſolute tamẽ loquẽdo, huius facultatis inuẽtor Ariſt. inter omnes nũcupari debet: ratio eſt, quia omnes eius partes in ordinẽ ad minus redegit; & primus omniũ ab alijs ſeiũctã, tradidit, vt refert Philoponus initio Priorũ, cũ tamẽ antea Dialectica, ſimul cũ alijs ſciẽtijs traderetur, qua ratione ipſe Ariſt. antiquos reprehẽdit, 2. Meth. c. 3. dicẽs. Abſurdũ eſt ſimul quærere ſciẽtiã, & modũ ſciẽdi. Vnde Aberro. in procemio Phiſ. illã aſſerit Ariſt. inueniſſe, Cicero. huius facultatis Principẽ eſſe. Diog. lib. 5. de dictis Philoſophorũ, illũ de Logica 150. libros ſcripſiſſe. Huic ergo tã in Dialectica quã in cæteris Philoſophiæ documẽtis tradẽdis, omnino adhęrebimus. Quippe cũ nõ tantum Dialecticã, ſed optimas quaſq; diſciplinas, ad finẽ optimũ, extremũque, perduxerit; tãtũq; excelluerit, vt velut numẽ potius, & naturæ miraculũ, quã humanũ quid, à veteribus ſit reputatus. Quẽ Suidas illuſtris, ſimul, & peruetuſtus author, *Notariũ naturæ, cui ſcribenti natura dictabat*, appellauit. Plato *mentẽ ſui Gymnaſij, & Philoſophũ veritatis*. AEneas Gazius, *habuiſſe*, aſſerit *intẽperatã ſapientiã*. Plinius *ſummũ fuiſſe in omni doctrina*. Celius *collatũ eſſe illi, quicquid humano ingenio capi poteſt*. Lucrecius *genus humanũ, ingenio ſuperaſſe*. Cicero *nihil Ariſt. fuiſſe acrius, nihil neruoſius*. Aberr. deniq; *fuiſſe regulã, & exẽplar, quod ad oſtẽdẽdã perfectionẽ vltimam, inuenit natura*. Quibus

ego addo, talē fuiſſe Philoſophū, cuius merito S. Tho. diſcipulus exitit fidelisſimus. Cui proinde adhærētes, Docto. etiā Angelici (vt par eſt) fidelisſimi etiā exiſtemus ſequaces. Et hæc de primo.

Circa 2. de modo ſcilicet quo hæc ars fuerit inuēta, major eſt difficultas, hac argumētatione cōtēta. Logica, vt poſtea videbimus, ad ſciētias quæ perfecto, & exacto modo procedūt acquirēdas, neceſſaria eſt: & ipſa perfecta etiam ſciētia eſt, & exacto modo procedit, ergo etiā ad ſe ipſam eſt neceſſaria; ſed ſe nō potuit præcedere, neq; enim potuit eſſe antequam eſſet: ergo ſi poſtquā reuelata eſt, perijt, non reſtat via alia qua de nouo poſſit acquiri, niſi per aliā reuelationē, ad quā aſſerēdā, fundamētū nullū habemus, nō tātū neceſſarium, ſed neq; probabile.

Dico tamē 3. Dialectica artificialis experimento & virtute naturalis Logicæ inuēta eſt. Indicat Ariſt. 1. Elēch. c. 11 citatus & 1. Reth. ad Theodectē cap. 1. probās Dialecticā, & Rethoricā poſſe eſſe artes, ex eo, quia id quod quaſi temerè, caſu, & naturæ ductu fit, ad rationē rectā, ad obſeruationē, & reflexionem redactū fit ars, vt in alijs etiā artibus fieri conſtat. Ex quo facile probatur, & explicatur concluſio. Intellectus noſter ex multiplici ſingulariū apprehēſione, effectuūq; obſeruatione, quā experiētiā vocamus, ad iudicādū in vniuerſali de aliqua re, eiuſq; inquirēdā naturā in cōmuni, mouetur, aduertēs enim hoc, V. g. Reubarbū purgare colerā, & hoc, colligit hāc vniuerſalē propoſitionē, eſſe verā: omne Reubarbū purgat colerā, & ex hoc quod videt hūc hominē eſſe albū, & hūc nigrū, colligit, falſam eſſe hāc: omnis homo eſt albus. Et ex his rurſus, propoſitionem vniuerſalē, quæ cōtinet prædicatū nō cōueniēs omni cōtēto in ſubiecto, eſſe falſam; & è cōtra, ſi cōueniat, verā eſſe. experientia igitur, naturali adiuta Logica, potuit aliqua ſaltem Logicæ documēta inuenire, & præſcribere. Rurſus (quod huic inuētioni magis deſeruit, quodq; Ariſt. tetigit loco citato) obſeruarūt Philoſophi modū diſcurrēdi intellectus, reflectēdo ſupra ſuos actus, diſcurſusq; quos intellectus ellicit naturaliter; notarūtq; intellectū, ex his, vel ſimilibus colligētē principijs, ſemper colligere verū: ex alijs vero ſemper, aut ſæpe falſum. Ex qua lōga obſeruatione collegerūt regulas ratiocinādi, & ſyllogizādi, diuerſoſq; modos, aut figuras ſyllogiſmorū. Ex obſeruatione etiā diuiſionis, quā ſæpe intellectus naturaliter facit, deduxerūt præcepta recte diuidēdi, idēq, de deffinitionibus, & alijs intellectus operationibus. His adde Logicā primo noſtro parēti reuelatam,

Digitized by Google

tã, & ab eo, in poſteras deriuatã nationes, nõ ſit penitus extinctam fuiſſe, vt nihil eius extaret: hoc autẽ, ſimul cũ experiẽtia, naturali Logica, prædicta etiã actuum obſeruatione, optime potuit, id artificialis Logicæ aliquã ſaltem de nouo partẽ inueniẽdã deſeruire: quæ pars ſic inuẽta, ſimul cũ inuẽtrice natura, ad aliã inueniẽdã cõduxit; & ſic de alijs: donec tota Logica inuẽta fuit. Inſtrumẽtũ enim V.g. Fabri Ferrarij artificiale primũ, ſilice, aut aliquo alio naturali inſtrumẽto factũ fuit: quod ita factũ, alterius perfecte cõficiẽdi inſtrumẽtũ fuit; donec omnia tandẽ perfecta eſſent, & abſoluta. Addi adhuc poteſt, Deum peculiari prouidẽtia (licet intra limites naturales) cum his, quos ſciẽtiarũ authores eſſe deſtinarat, cõcurriſſe; vt hæc quæ diximus exequerẽtur perfectius: omneq; intellectus vim intẽſius adhiberẽt, animũ applicarent, & quæ circa hæc excitari poſſent impedimẽta, vel remiſſius occurrerẽt, vel omnino ceſſarẽt. Quæ omnia, ſufficiẽtiſſima principia Logicã inueniendi, & poſt multa perfecte tradendi, haud dubie ſunt. Per quod patet ad argumentum in oppoſitum.

Tandẽ aduerte, quod cũ prima cõſideratio ad ſciẽtiã expectãs, ſit cõſideratio operationũ intellectus ſine errore; ſiue eorum, vt dirigibiles ſunt ne errẽt; aliæ ſcientiæ has operationes (vt ſic) ſupponunt; ac proinde debent neceſſario, a ſciẽtia quæ illas reſpicit vt obiectum (Logica ſcilicet) dirigi, & ordinari, vt rectæ ſint. Ipſa vero Logica, cum in genere operationum intelligibiliũ dirigendarũ prima ſit, nõ potuit, niſi naturali Logica, & ſui ipſius (vt ſic dicã) inuentione partiali, tandem totaliter inueniri, & recte tradi.

QVÆSTIO. III.

Vtrum obiectum Logicæ ens aliquod reale ſit, an vero ens rationis.

EXplicatis his, quæ, ad *an* eſt Logicæ pertinebant, explicemus oportet modo, quæ ad quęſtionẽ quid eſt, ſeu quidditatẽ eius expectãt. Cũ autẽ Logica artificialis, vt ex eius cõſtat definitione, ſit habitus ſciẽtificus; & habitus ab obiecto ſpeciẽ ſumat; de eius obiecto diſſerẽdũ erit, ex cuius cognitione, ſciẽtię cognitio, natura, præſtantia, & neceſsitas eſt deducenda: & licet Ariſt. 1. poſt capit. 1. omnem ſciẽtiam, aſſerat de ſuo obiecto præ-

præſupponere quid ſit, tantũ voluit quiditatẽ & eſſentiã obiecti, a priori in ſciẽtia nõ demõſtrari; nã cũ eſſentia rei ſit primũ quod in aliqua re inuenitur, nõ poteſt quiditas, per cauſam aliquã proprie cognoſci. Vel 2. voluit quod ſciẽtia quæuis, ſui obiecti definitionẽ, tanquã principiũ, nulla indigens probatione ſupponat; in definitione enim omnes conuenire debẽt. Addo, proœmiales quæſtiones, in quibus, quod ſit obiectũ inquiritur hoc ipſo, quod proœmiales, & præambulæ ſunt, non propriè, ad intrinſeca ipſius ſciẽtiæ pertinere; quod enim, ad rẽ aliquã præſupponitur, nõ eſt res ipſa.

Hoc ergo ſuppoſito. Notandum eſt pro tituli intelligentia 1. hæc nomina *obiectum*, *ſubiectum*, & *materia* reſpectu ſciẽtiæ, pro eodẽ ſumi. Dicitur enim obiectum, quod ſcientiæ obijcitur contemplandũ; ſicut obiectum viſſus. V. g. quod viſſui videndũ proponitur. Quam obiecti denominationem ſumit res obiecta immediate per ordinem ad actum, mediatẽ vero, per ordinem ad habitum, quia habitus, medio actu in obiectum tendit. Dicitur verò ſubiectum, nõ quidem cui inhæreat ſcientia (hoc enim, reſpectu omnium ſciẽtiarum, eſt intellectus) ſed quia, cũ de eo in tali ſcientia prædicentur plura, ſubijcitur prædicatis omnibus, quæ de eo oſtendũtur paſsionibus præcipue, & proprietatibus, quas ſcientia de illo demonſtrat. Dicitur autẽ, materia circa quam, ſimilitudine ſumpta ex operationibus artis factiuæ, quæ circa res externas, & materiæ participes verſatur: lapides enim V. g. & ligna, dicũtur materia, circa quã architectus ad conſtruendam domum, ſuas exercendo operationes verſatur: ſic quia circa obiectũ ſuũ operatur ſcientia, de eo diſputando, dicitur obiectum ipſum, materia circa quã ipſa verſatur.

Notandum 2. eſt. Obiectum alicuius ſciẽtiæ duplex eſſe, formale ſcilicet, & materiale; formale dicitur illud, in quod per ſe, & quaſi directe, ſeu in recto tendit ſcientia; Materiale vero, quod non conſideratur per ſe, ſed ratione obiecti formalis. Exemplũ eſt in Medicina, in qua quæ tractantur, tam de natura plantarum, & alimẽtorum, quã de qualitatibus, mixtionibus, tẽperamentis, aſtrorum influxu, Planetarum aſpectu, & alijs, ad materiale obiectum pertinent, quia tamen, hæc omnia, in ordine ad hominem, ſeu Phiſicam illius conſtitutionem, ex defectibili humorũ proportione cõſtantem, conſiderantur: homo, vt ſic, dicitur obiectum formale Medicinæ. Solẽt autem in formali obiecto duo communiter Authores diſtinguere, & rem ipſam, quæ obiectum eſt, quæq; a

ſcien-

ſcientia per ſe conſideratur, & ratio, ſub qua conſideratur ab illa. Primũ vocãt *rationem formalẽ qua*, ſeu *obiectũ formale quod*. Secundũ vero, *rationem formalẽ ſub qua* ſeu *obiectũ formale quo*, vt in exemplo Medicinæ adducto, obiectum formale, quod conſiderat Medicus, eſt homo, Phiſice, & complexionaliter, defectibili humorũ attẽperatione cõpoſitus; ratio vero ſub qua, illũ cõſiderat, eſt ſanabilitas, omnia enim hæc Medicina rimatur, in ordine, ad ſanitatem hominis, illumq; vt ſanabilem contẽplatur. Quod autem, hæc duplex ratio diſtingui debeat, probant, quia res illa, quæ per ſe conſideratur, continetur quidem, & in genere rei, & in genere ſcibilis; ergo per aliam rationẽ formalẽ conſtituitur, in eſſe rei, & in eſſe ſcibilis, in eſſe rei quidem, per rationem formalem, quæ conſtituit rem illam, quam obiectum dicimus, in ſuo eſſe abſolute & realiter ſumpto, in ratione vero ſcibilis, per rationem formalẽ ſub qua à ſcientia dignoſcitur: ex quo colligunt, rationem formalem *ſub qua* ſpeciem tribuere ſcientiæ, vt pote, quæ illam, & obiectum ipſum, alias pluribus ſcientijs commune, determinat, vt peculiariter, à tali ſcientia conſideretur, ipſamque vt ſic ſpecificet.

Sed hæc doctrina communis vel falſa eſt, vel maiori indiget expoſitione: pro qua notandum, eſt tertio quod rem aliquam, ſeu obiectum tradi per accidẽs in ſcientia, poteſt intelligi dupliciter primo ſic per accidẽs vt neque mediate, neque immediate, remòte, aut proxime, pertineat ad obiectum per ſe. Secũdo, ſic per accidens, vt ſaltim, mediatè, & reductiuè pertineat ad obiectum per ſe, quatenus cognitio, aut traditio illius materialis obiecti; tandem conducit ad cognitionem, aut praxim obiecti formalis. Primo modo nunquam ſcientia agit, neque inclinat, ad agendum de materiali obiecto, quia de ratione obiecti formalis adæquati eſt quod omnia, quæ tractantur in ſcientia ſub illo contineantur, vel directè, vel reductiuè, alias obiectum adæquatum non eſſet neq; ſcientiæ tractationem plenè comprehenderet. Secundo, quia alias, poſſet dici materiale obiectum Logicæ quicquid quauis ſcientia, etiam remotiſsima, & diſparata ſcibile eſt; per accidens enim ſic late ſumptũ, vt non requirat ordinem ad aliquid perſe Logicæ, omnia tractari poſſunt. Tertio quia hoc non tractaretur a Logica, neq; a Logico vt ſic, ſed a ſciente Logicam, non vt Logicus eſt, ſed vt Theologus, aut alia doctrina pollens. Habeamus ergo, quod obiectum adhuc materiale, non debeat omnino nude ſumi in

eſſe

rei,ſed cum ordine,ſaltim remoto,in eſſe ſcibilis,vtſic,à tali ſciẽtia. Ex quo a fortiori fit, rationem formalem *quæ*, non poſſe denominari talem ſecundum eſſe rei,ſed neceſſario conſiderãdam eſſe,cum ordine ad rationem formalem *ſub qua*,ſeu vt proxime informabilis eſt ſcibiliter per illam,vt ex vtraq; reſultet obiectum formale adæquatum,& cõpletum,plenè, & propriè ſcientiam ſpecificãs. Quod probatur primo, quia ſi obiectum materiale,non eſt tale, ſecũdum eſſe rei nude ſumptum, niſi cum ordine ſaltim remoto ad rationem *ſub qua*, multo magis id verum erit in ratione formali *quæ*, illius enim proprior eſt acceſus,maior proportio,& immediatior ordo in eſſe ſcibilis, ad ſcientiam, quàm in obiecto materiali. Secũdo quia cum ſpecificatio ſumatur à forma,& in ſcientia ſumatur ab obiecto, non poteſt denominationem obiecti formalis recipere, quod initiatiuè ſaltim,non ſpecificat,& determinat ſciẽtiam: at ratio formalis *quæ*, ſumpta in eſſe rei,non ſolum,non ſpecificat,aut determinat,ſedpotius eſt ratio communis pluribus alijs ſcientijs,vt patet in homine, qui in eſſe rei a Medico, à Philoſopho naturali,& morali conſiderari poteſt: ratio ergo obiecti formalis, non poteſt ſumi ſecundum eſſe rei, ſed ſecundum aliquam rationem ſcibilis.

Notandum eſt quarto, ſpecificationem ſcientiæ non poſſe ſumi à ratione formali *ſub qua*, ſeorſum ſumpta, neque a ratione formali *quæ* etiam ſeparatã, ſed ab vtraque, vt vnum obiectum formale *quod* componunt ineſſe ſcibilis. Quod patet, quia ſanabilitas V.g. ſeorſum ſumpta, non dat ſpeciem Medicinæ; neque dirigibilitas, Philoſophiæ morali: etenim,in ſanabilitate vt ſic, poſſunt artes aliæ conuenire, vt conſtat in arte præbente regulas iumentorum curationi, & ſanabilitati: & in dirigibilitate ſimiliter: Conſtat enim dirigibilitatem conuenire pluribus ſcientijs, omnibus præcipue practicis,& dirigibilitatem operum, eſſe etiam rationem formalem *ſub qua* Logicæ. Oportet igitur ad ſpecificationem, & diſtinctionem ſcientiarum, vtrumque coniungere, in Medicina, hominem ſanabilem, in Philoſophia morali,hominem in moribus dirigibilem. Vnde obiectũ formale *quod*,non dicerẽ ego rationem illam formalem *quæ*, ſed totum quoddam compoſitum ex vtraque ratione, *quæ*, & *ſub qua*. Sicut enim in obiecto materiali, ex re ipſa quæ tractatur, & ordine illo mediato,& remoto, ad rationem formalem *ſub qua* quoddã obiec-

obiectum materiale dicimus, ſic ex ratione formali *Qua*, & *ſub qua*, quoddam obiectum formale dicimus, quod & ſcientiæ tractationem adæquet, & illam determinet, & ſpecificet.

Huius autem adæquati obiecti formalis hæ ſunt conditiones. Prima, quòd omnia quæ cōſiderantur in ſcientia, ſub eo cōtineãtur, vel ad illud aliquo modo pertineant; aliás obiectum adæquatum non eſſet, vt iam diximus; & per ſe patet. Deinde quia vnitas ſcientiæ ex obiecto petenda eſt, ex lib. 1. poſteriorum; ergo ſi aliquid conſideraretur in ſcientia, & non in ordine ad ſuum obiectum, non eſſet ſcientia vna, conſideraret enim diuerſa, vt diuerſa, ac proinde ipſa etiam eſſet plures. Secunda conditio eſt, quòd obiectum ſit illud, de quo ſit potiſsima cura in diſciplinis, & de quo, ſi aliqua fuerint præcepta, tradãtur, eiuſq; paſsiones, & proprietates oſtendantur, & demonſtrentur. Quæ duæ cōditiones, omnes alias quæ tradi ſolent compræhendunt.

Ex quo notanda eſt quinto diuiſio ex Ariſt. & Aberroe 2. poſt. tex. 33. in obiectum formale adæquatum; quod nunc nunc explicuimus, & in obiectum partiale, quod ſcientiam non adæquat, ſed eſt pars obiecti adæquati: hoc autem partiale obiectum, aliud eſt principale, aliud minus principale. Principale dicitur, quod inter partes obiecti adæquati principatum tenet, & cuius cognitio magis, & præcipue intēditur, vt in Metaphiſica, obiectum adæquatū, eſt ens, principale autem Deus, qui tenet inter entia principatum, & cuius cognitio magis in illa ſcientia intenditur: cætera vero, quæ includuntur in obiecto adæquato, obiecta partialia minus principalia dicuntur.

His ergo ſuppoſitis. Prima in hac quæſtione ſententia eſt nominalium, Ocham. Gabr. & Greg. aſſerentium, obiectum Dialecticæ eſſe voces ſignificantes, referunt enim Authores iſti totum Dialecticum negotium ad voces, & nomina, ideoq; nominales dicti ſunt. His ſubſcribit Villalp. q. 5. procem. Titel. c. 1. Mathiſius ſuper Porphiriū in prologo. c. 3. & 4. citans pro ſe Quintilianum lib. 12. c. 2. vbi rationalem Philoſophiæ partē totam, in verbis verſari inquit, eandem inſinuat Simplicius in procemio prædicamentorum, fauet Plato in Phedro, vbi Dialecticā garrulam appellat. Tenuit Zeno (teſte Laertio) in vita ipſius, quem alij Stoici ſecuti ſunt; poteſt autem hæc ſententia probari. Primo, ex logicæ appellatione, quæ ſcientia dicitur ſermotionalis, tum etiam, ex eo quòd multa de vocibus traduntur in Logica, vt patet in lib. 1.

per-

perhiarm. vbi de nomine, & verbo diſputat Ariſt.

Sed hæc opinio nullius fere probabilitatis eſt. In quacumq; enim opinione, ſiue dicamus Logicam proprie circa actus, & operationes intellectus (quæ proprie conceptus ſunt) dirigẽdas per ſe primo verſari, ſiue obiectum eius eſſe ens rationis, cum hæc omnia per ſe primo in intellectu ſint, in vocibus autem non niſi vt ſunt ſigna eorũ, quæ ſunt in anima, Logica non aget perſe primo de vocibus. Addo directionem operum rationis, prius, & per ſe, in intellectu fieri; ſi enim quis ordinate non intelligeret, non ordinate loqueretur, cum voces vt dixi conceptus explicent. Secundo, quia de vocibus, vt res naturales ſunt (aer ſcilicet verberatus) expectat agere ad Phiſicum: de illis, in ordine ad congruitatẽ ſermonis, ad Grammaticum; & tandem in ordine ad ſermonis ornatum, ad Rethoricum: reſtat ergo ſolum agat de illis Logica, vt manifeſtatiuæ ſunt eorum, circa quæ primo verſatur. Neque circa hoc, quia clara res eſt amplius immoror.

Secunda ſententia eſt. Obiectum Logicæ adæquatum, eſſe argumẽtationẽ, tenuit Albert. lib. 5. prædicam. ca. 4. Auicena in ſua Logica c. 5. Algazer cap. 2, Louanienſes & alij. Poteſt primo probari, quia D. Auguſtinus tomo. 7. lib. 2. contra Creſconium cap. 13. & alibi, Dialecticam eſſe bene diſputandi ſciẽtiam aſſerit, idem alijs verbis cap. 11. eſt *diligens* (inquit) *diſſerendi ratio*: ſi ergo Logicam, per argumẽtationem deffiniũt, ſcientiaque per obiectum deffinienda eſt, argumentatio erit obiectum Logicæ. Secundo, vrgentius argumentor, illud eſt alicuius ſcientiæ obiectum, ad quod omnia referuntur, & ipſum alio non reuocatur, ſed omnia quæ in Dialectica tractantur, referuntur ad argumentationem, & ipſa alio non refertur, ergo, &c. Minor probatur, quia libri Cathegoriarum ad libros de interpretatione reuocantur, & ordinantur, & hi, ad libros de Priori Analyſi, in quibus explicatur ratio argumentationis, & hi rurſus, ad libros de poſteriori, vbi perfectiſſima explicatur argumentationis ſpecies, ſcilicet demonſtratio, vnde vltimo traduntur loco, vt intelligat Logicus, omnia ad illos, tanquam ad finem ordinari; neque Logicam ſuo fine gaudere, quo vſque argumentationis explicet naturam; qua explicata, quieſcit, nec vltra progreditur. Quod ſi (Philoſophis teſtibus) ſcientia eſt quidam motus in obiectum, Logicaque dum ad argumentationis explicandam naturam anhelat, ſemper eſt in motu, & ibi per-

perueniendo quieſcit, argumentatio, in quam mouetur, & qua conſecuta, ſiſtit, obiectum eius erit haud dubie. Explico magis, genera, & ſpecies, & quæcumque alia prædicata, quæ in Logica conſiderantur, ad propoſitiones conficiendas deſeruiunt, propoſitiones autem, ad formandas ex eis argumentationes, vt vidimus in ſumulis, omnia ergo ordinantur ad argumentationem.

Hæc ſententia falſa eſt, ſicut præcedens ſi vniuerſaliter, de Logica quam nunc habemus, intelligatur, quia Logica vt iam traditur, non ſolum per ſe agit de argumentatione, ſed etiam de definitione, & diuiſione, quæ nec argumentatio ſunt, nec reuocantur ad illam; quamuis enim nunquam fuiſſet argumentatio inuenta, adhuc hæc inſtrumenta Logica excogitari potuiſſent, cum ob diuerſos fines ſint inſtituta. Definitio enim ad declarandam latentem rei naturam; diuiſio vero, ad nominum fugandam ambiguitatem, vel diuerſas alicuius totius partes explicandas, inuentæ ſunt.

Ex quo colligitur, falſam eſſe ſententiam Scoti aſſerentis, ſyllogiſmum eſſe obiectum adæquatum Logicæ, ſi enim argumentatio quæ eſt genus ſyllogiſmi, non adæquat ſcientiæ tractationem, quomodo ſyllogiſmus, qui eius ſpecies eſt, inferiorque illo adæquabit? Manet etiam impugnata Ammonij opinio ponentis pro obiecto demonſtrationem, eſt enim demonſtratio non ſolum argumentatione, ſed etiam ſyllogiſmo inferior. Auguſtinus autem & Cicero, Logicam per præcipuam eius partem definiuère. Ad rationem reſpondetur falſum eſſe aſſumptum, nam definitio, & diuiſio, earumque præcepta ad argumentationem reuocantur minime vt vidiſtis. Siſtere autem Logicam in argumentatione, non eſt eius eſſe obiectum, ſed vel eſſe præcipuam obiecti partem, vel ſaltim vltimo loco traditam, in quo neceſſario ſiſtendum, alias vltimus non eſſet.

Tertia opinio adductis probabilior eſt, obiectum Logicæ eſſe ens rationis, Hæc communiter ſolet tribui S. Tho. opuſ. 16. & 4. Meth. Lect. 5. quam ſequitur ex parte Caiet. cap. de genere. Sotus, q. 5. procemialium. Tolet. ibidem concluſ. 5. Oña. q. 1. præamb. art. 5. conc. 4. Aberroes. 4. Meth. commento 2. Zimara in annotatione vltima, ſuper libr. ſecundum Meth. Iandunus 2. Meth. qui hanc inquit eſſe ſententiam omnium bene ſentientium, citatq; Egidium in lib. Elencorum & Linconien. 1. poſt tex. 27. Tenet Petrus Niger. q. 12. Clipei. Aquarius. 4. Meth. q. 5. Flandria ibidem

dem ar. 2. Iabellus. 6. Meth. q. 7. Ayala, Veracrux, Petrus de Bruxellas, Gaſconius Valduinus, & alij.

Sed vt hæc opinio probetur, & intelligatur, breuiſsime, & rudi Minerua, quid ſit, ens rationis, explicandum erit: eſt enim de illo poſtea agendum late. Eſt autem ens rationis, quid conueniens rebus, non ſecũdum quod ſunt in re, ſed ſecundum, quod hoc vel illo modo apprehendũtur ab intellectu, nihil reale addenti rebus ipſis, quas conſiderat. V. g. ſubiectum, prædicatum, genus, & ſpecies, &c. dicuntur entia rationis, quia tantum conueniunt naturis, vt apprehenduntur ab intellectu; ad hominem enim appræhenſum, quatenus ſubeſt animali, conſequitur notio ſubiecti; quæ eſt ens rationis; & ad animal, vt de homine, & de alijs, ſibi ſubiectis ſpeciebus prædicatur, notio prædicati, & notio generis, (quæ entia rationis ſunt) conſequũtur. Has ergo proprietates & affectiones, aſſerit hæc ſententia eſſe obiectum Logicæ. Primo, quia omnia quæ Logica cõſiderat, ſub aliqua, ex his affectionibus conſiderat; licet enim Logica præter entia rationis res reales, vt quantitatem, ſubſtantiam, &c. contempletur: ſemper tamen, prout ſubſunt alicui enti rationis, prout ſcilicet habent rationem generis, vel ſpeciei, ſubiecti, vel prædicati, &c. Secũdo. Ens rationis ſcibile eſt: ergo, aliqua ſcientia ſcibile; nõ alia, niſi Logica, tum, quia alia aſsignari non poteſt, tum, quia Logica, rationalis ſcientia dicitur, quia de ente rationis agit. Tũ tertio, quia ens rationis definit, & paſsiones de illo demõſtrat, ſubijcibilitatem, V. g. & prædicabilitatem; hoc autem proprium eſt obiecti: ergo. Tertio quia Authores oppoſitum aſſerentes, tenent Logicam agere de operationibus intellectus, nõ ſecundum ſe (hæc enim conſideratio ad libros de anima expectat, vbi cum agatur de intellectu, de eius etiam operationibus ſecundum realitatem, quam ab eo habent agendum eſt) ſed ſecundum, quod ſunt dirigibiles, & ordinabiles in formam argumentationis, ſeu alterius modi ſciendi: ſed hæc coordinatio, eſt ordo rationis, & verum ens rationis: ergo agit de rebus (adhuc in eorum ſententia,) prout ſubſunt enti rationis. Minor probatur: quia propoſitionem eſſe maiorẽ, vel minorẽ, primo, vel ſecundo loco poni, vnum alteri ſubijci, nihil ponit in rebus reale, & totum hoc, res habent ab intellectu non à ſe; ergo totum hoc eſt ens rationis. Adducunt deniq; S. Tho. opuſ. 16. cit. dicẽtẽ Logicam nõ conſiderare per ſe ens reale, ergo ens reale non poteſt eſſe obiectum Logicæ,

quia id, quod eſt obiectũ per ſe cõſideratur in ſciẽtia, & Ariſt. 9. Meth. tex. 5. vbi aſſerit, Dialecticũ, ſicut & Philoſophũ, agere de ente vniuerſali, ſed nõ agit, inquiunt, de ente vniuerſali reali, de quo agũt Metaphiſicus, atq; Philoſophus, intelligit ergo Ariſ. agere de alio ente vniuerſali, quod eſt ens rationis. ¶ Cõtrariã tamẽ ſentẽtiã, ſcilicet obiectũ formale adæquatũ Logicæ nõ eſſe ens rationis, ſed operationes intellectus, prout dirigibiles ſunt, ne errẽt in ordine ad veritatis aſſecutionẽ, tenuit Plato dialog. de iuſto, quẽ ſequũtur omnes Platonic. vt teſtatur. Alcionius de doctri. Plato. c. 2. fauet Ariſto. nõ ſolũ 12. Meth. tex. 15. ſed loco nũc a contrariæ ſentẽtiæ authoribus allegato; ſi enim aſſerit, Dialecticũ agere de ente vniuerſali, ſicut & Philoſophũ, potius colligitur eaſdẽ intellectus operationes, ſic in vniuerſali ſumptas, de quibus Philoſofus agit, cõſiderare Logicũ; ſub diuerſa tamẽ ratione formali. Philoſophũ quidẽ, vt ſunt operationes naturales hominis, Logicũ autem vt dirigibiles ſunt, ne errẽt. Eãdẽ ſentẽtiã tenet D. Iſidor. lib. 2. AEtimologiarũ, D. Aug. 2 de doctr. Chriſtia. c. 37. Seuerinus Boeci. lib. 1. in Topica, AEgidi. lib. 1. Poſt. in principio, & 2. Meth. c. 3. P. Fõſeca 2. Meth. c. 3. q. 1. ſect. 5. indicat Cano de Locis li. 9. c. 1. & docuit Suar. 1. tom. Meth. diſp. 1. ſect. 4. quã exiſtimo, eſſe expreſsã ſentẽt. S. Th. ex cuius verbis præcipuas huius ſentẽtiæ (cui ſubſcribo) ellicio probationes. ¶ 1. Tamẽ id oſtendo, quia partes Logicæ eundẽ ſeruãt ordinẽ, qui in operationibus mẽtis cõſpicitur, nã primæ operationi, qua ſimplicia apprehẽdimus, reſpõdet prædicamẽtorũ doctrina, vbi ſimplicia nomina in claſes redigũtur. Secundæ vero operationi qua cõponimus, & diuidimus, aptãtur libri de interpretatione, in quibus de enunciatione diſſeritur. Tertiæ vero, qua ratiocinamur cõgruunt Analytica, & Topica, vbi cõſequẽtiæ, argumẽtationes, ſyllogiſmiq; fabricantur: quorum omnium traditio rectè arguit, hoc eſſe principale Dialecticæ inſtitutũ, cui maxime prædicta deſeruiũt, nã ad diuiſiones, definitioneſq; cõficiẽdas expeditam præbet materiã prædicamẽtorũ liber, genera, ſpecies differẽtias diſtinguẽdo, ad argumẽtationem vero, & propoſitiones de quacumque re inſtituẽdas omnem ſubijcit naturam, & proprietates: libri autem de interpretatione, rectæ compoſitioni, quoad formam vt patet deſeruiunt, ac deniq; cæteri libri de argumentatione bene merẽtur. ¶ Id ſolum in præ

enti dubitari poſſet, an operationes intellectus in tota ſua latitudine, obiectũ Logicę eſſe intelligãtur, an vero, illæ tãtũ, quæ ſciendi modum conſtituunt, nempe, diuiſio, definitio, & argumentatio iuxta numerum eorum, quæ de re quapiam ſciri poſſunt; neq; enim de quouis obiecto, niſi tria tãtũ cognoſcimus, nimirũ eſſentiam, partes eius, & proprietates: eſſentiam aperit definitio, partes diuiſio, affectiones deniq; & proprietates argumẽtatio Definitio ad. 1. operationẽ intellectus ſpectat; diuiſio cõmuniter enunciatione fit, quæ eſt ſecunda operatio, quæque argumentationi deſeruit, ad tertiam operationem pertinẽti. Cum ergo aliæ poſsint intelligi mentis operationes quæ non ſint definitio, diuiſio, & argumentatio, iure dubitatur, an obiectum Logicæ, omnes in vniuerſum intellectus operationes compræhendat, an verò tres illas tãtum, quæ modum differendi conſtituunt. Exiſtimo tamen quod ſi loquamur de Logica in ſe, & abſolute conſiderata, obiectum eius eſt omnis operatio intellectus: Dialectica enim inuẽta eſt ad vitia quæ inter cognoſcendũ obrèpere ſolent auferenda, & quia (vt dicemus) omnis operatio intellectus, vt dirigibilis ne erret, ab aliqua ſcientia cõſiderari debet. Non eſt autem alia niſi Logica, Ergo. Si vero loquamur de Logica vt neceſſaria eſt ad alias ſcientias exacto & ſcientifico modo tradendas, quod per ſe, & præcipue conſiderat, eſt differendi, & ſciendi modum; itaq; ex his quæ per ſe conſiderantur a Logica, ſolum pro alijs ſcientijs, vt traduntur ſcientificè, ſciendi & differendi modus eſt neceſſarius: hoc enim eſt ſcientificè tradi (ideſt) per ſciendi & differẽdi modũ, qui definitione, diuiſione, & argumẽtatione cõpletur. ¶ Noſtra igitur ſentẽtia ſic explicata probatur 1. quia S. Th. initio poſteriorũ proprium (inquit) eſt partis intellectiuæ vt in ſe ipſa reflectatur, nam ratio de ſuo obiecto ratiocinari poteſt; ſicut ergo, ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, inuenta eſt ædificatoria vel fabrilis ars, per quas homo faciliter, & ordinatè hos actus exercere poteſt; eadem ratione, ars quædã neceſſaria eſt, vt ſit directiua ipſius actus rationis, per quã homo in ipſo rationis actu, ordinatè, faciliter & ſine errore procedat; & hæc ars eſt Logica, (ideſt) rationalis ſciẽtia. Hæc D. Tho. ex qua ratione argumentor ſic. Logica eſt directiua operum rationis, ergo verſatur circa rationis opera, vt dirigibilia tanquam circa

Digitized by Google

circa obiectum. Patet conſequentia, tum a ſimili quia ars domi factiua (vt ſic dicā) quia eſt factiua domus, eius obiectum eſt domus factibilis, ergo quia Logica eſt directiua operum rationis, eius obiectum erit ipſum rationis opus, vt dirigibile, factiuum enim verſatur circa factibile, directiuum circa dirigibile. Tum ſecundo a definitione Logicæ artificialis, cuius finis, & id quod per ſe intendit, eſt opera rationis ſine errore dirigere.

Secūdo probatur hæc ſentētia, quia idē S. Th. in procemio AEthicorū docet, quod ſicut Philoſophus moralis verſatur circa operationes voluntatis, ſic Logica circa operationes intellectus, ſed Philoſophus moralis, verſatur circa illas vt dirigibiles, tāquā circa obiectū ſuū (vt ibidē aſſerit S. Tho.) ergo obiectū Logicæ, erūt operationes intellectus, etiā vt dirigibiles, diuerſa tamē dirigibilitate, illa enim moralis eſt, & affectiua, hæc vero ſpeculatiua, & intellectualis, in ordine ad veritatis aſſecutionem. Vrgeo. Operationes volūtatis, vt dirigibiles, ad aliquā ſciētiam ſpecialē pertinēt, ergo operationes intellectus, vt dirigibiles, ad aliquā aliā ſciētiā per ſe debēt expectare; ſed nulla eſt alia, quæ de illis (vt ſic) agat niſi Logica, ergo.

Tertio deniq; probatur, a ſufficiēti partiū enumeratione quia ens rationis, nō poteſt eſſe obiectū formale Logicæ (vt ſtatim oſtēdā) cętera vero, quę tāquā obiecta ab alijs ſententijs adducūtur, oſtenſum eſt, a ratione obiecti formalis adæquati deficere; maneat ergo obiectū Logicę eſſe operationes intellectus, vt dirigibiles ſunt. ¶ Sed quia iuniores non poſſunt inficiari has operationes intellectus, vt dirigibiles ſunt, eſſe Logicæ obiectū; cōtēdūt tamē, dirigibilitatē hāc, eſſe ens rationis. Quod vt probēt, tria in his operationibus cōſiderāt; ordinabilitatē, ſeu dirigibilitatē earū, directionē actiuā intellectus, & paſsiuā reſultātē in eis ex actiua. Dirigibilitas (inquiūt) nō poteſt ad logicam pertinere, quia vel eſt potētia, ſeu aptitudo naturalis cōueniēs eis ex propria natura, & hoc modo nō ad Dialecticā, ſed ad naturalē Philoſophiā pertinet, quia, ea quæ a natura habēt operationes ipſæ, pertinēt ad ſciētiā quæ agit de natura earū: ſi vero ſit potētiā obediētialis, ſicut lignū ſubditur artifici, vt ei obediat, tūc talis eſt potētia, qualis eſt forma, quā recipere debet: ſed forma V. g. ſyllogiſmi, in ordine ad quā intelligitur illa dirigibilitas, nō eſt forma realis, ſed rationis, vt ſupra probatū eſt. Er-

go dirigibilitas non eſt realis, ſed rationis. Si vero loquamur de ordinatione actiua intellectus, fatentur, eſſe realē; paſsiuā vero quæ ex hac reſultat, quā intellectus facit per actū reflexū, quo ſupra ſuas operationes reflectitur, & eas ordinat in ſyllogiſmū, &c. ſolū eſſe aſſerūt, denominationē, realē extrinſecā; quia relatio ordinationis non poteſt eſſe realis, cum hæc proueniat ab intellectu; qui nihil reale in rebus per ſuam ordinationem ponere poteſt.

Sed hæc plura inuoluunt & falſa, & quæ ad rē de qua loquimur cōducūt parū, & 1. etiā ſi dirigibilitas ſit potētia naturalis, optime poteſt de illa agere Logica, nō ſecūdū hāc cōſiderationē entis naturalis, qua ratione ad Philoſophū pertinet, ſed vt expectat ad modū ſciendi, ſiue, vt nata eſt, dirigi ne erret: quæ conſideratio formaliter diuerſa eſt a cōſideratione entitatis naturalis vt ſic. Secūdo eſſe fundamētū, aut poſſe recipere formā rationis, nō arguit fundamētū, & potentiā ipſam eſſe rationis: potius ſi loquamur de ente rationis habēte fundamētū in re, neceſſario fundamētum debet eſſe reale; quò enim forma debilior eſt, eò poſtulat in fundamento, & ſubiecto, maiorem virtutē, vt cōſtat in accidenti, requirēte pro ſubiecto ſubſtantiā. Quod autē dicitur de directione paſſiua, in primis falſum eſt requirere ſemper actū reflexū, vt ſic per illum actus prior (directus ſcilicet) ordinetur; ſequeretur enim omnem actum directum intellectus inordinatū ellici, quia ellicitur ante reflexum, quod & experientia ipſa, & omnino aperte conſtat, falſum eſſe. Sed quod, ad rem attinet magis. Iuniores hi non meminère directionis paſsiuæ, reſpectu ipſiuſmet operationis intellectus; aliud enim eſt id, quod reſultat in obiecto, aut re, circa quam verſatur ordinata operatio intellectus, aliud ipſe modus veritatis, & rectæ ordinationis, qui eſt in ipſa intellectus operatione; ſicut in rectis, & ordinatis operationibus voluntatis, in obiecto volito nihil ponitur, niſi tantum denominatio extrinſeca; in operatione tamen ipſa bonitas, & recta ordinatio aliquid reale eſt. Licet ergo fateamur (quod ipſi, ſolum concludunt) nihil reale in rebus per ſuā ordinationē intellectū ponere, ipſa tamē ordinatio rectæ operationis intellectiuæ, nō vt trāſit in res intellectas, ſed vt in ſe manet ordinata, aliquid reale eſt: ſicut bonitas in actu volūtatis. Itaq; in ordinata operatione intellectus cōſiderāda eſt operatio intellectus vt ſic abſtrahēs ab ordinata, & in ordinata, modi-

modificabilis quidem, per in ordinationem, & errorem, tāquam per quid priuatiuum; per ordinationem vero, & veritatem, tanquam per poſitiuum; verum etenim, & ordinatum, qui eſt modus entis realis, reale quid eſt: ſed operatio intellectus eſt quid reale, verum ergo, & ordinatum in illa, reale quid eſt. Neque ex eo quod quæuis operatio intellectus, nihil ponat in rebus intellectis, ideo ſequitur hanc operationem, quæ nihil in rebus ponit non habere in ſe modum realem veræ, & ordinatæ intellectionis.

Totum autem hoc, nempe dirigibilitatem hanc (non quidem obiectorum) ſed operum rationis, eſſe aliquid reale. Probatur primo, quia, ſi actus intellectus, prout dirigibiles, ſunt entia rationis, ergo actus voluntatis, prout dirigibiles ſunt, ſecundum rectam rationem moris, erunt etiam entia rationis, ergo Philoſophia moralis, quæ per ſe agit de illis, agit de ente rationis. Quod nullus vnquam dixit. Antecedens autem, ex paritate rationis conſtat. Sed ſecundo probatur, coordinationem, & diſpoſitionem in argumentatione, aut ſyllogiſmo non eſſe ens rationis; Quia effectus realis, non poteſt procedere, niſi a cauſa reali: Hinc enim (vt etiā a ſimili argumenter) colligimus, muſicæ proportiones, & coordinationes, eſſe aliquid reale; quia cauſant effectum realem, ſcilicet aurium delectationem; quam ſine ordine non cauſarent; vt eleganter dixit Columela lib. 12. cap. 2. ſed demōſtratio, & ordinatio propoſitionum in illa, quæ eſt eius forma, generat ſcientiam, quæ eſt effectus realis, & perfectiſsimus; ergo illa ordinatio & diſpoſitio, non eſt ens rationis.

Reſpondent recentiores, hunc effectum ſcientiæ, generare demonſtrationem materialiter, ratione propoſitionū ordinatarum, non vero ratione ordinationis. Contra argumentor. Quia vel propoſitiones ordinatas ſumunt formaliter, & hoc modo, intrat neceſſario ipſa ordinatio; quæ eſt forma; Quod enim ordinatum eſt, ordinatione ordinatū eſt, & ſic diſtinctio, adducta ab illis, ſe ipſam deſtruit; vnum enim membrum eius neceſſario includit aliud. Vel ſumūtur propoſitiones illæ materialiter, præciſſa omnino ordinatione earum, & hoc modo falſum eſt, generare ſcientiam. Quia ex eiſdem propoſitionibus non ordinatis, ſcientia, non generatur, ſed potius er-

ror,aut diſparata cognitio. Dices. Non generare ſcientiam ſic omnino materialiter, ſed vt fundant relationem illam ordinationis, quæ rationis eſt. Contra, quia non fundant illā, omnino materialiter, aliàs, quomodocumq; ſumantur, generabunt ſcientiam; quod vt vidimus, falſum eſt. Ergo præter materialitatem ipſarum propoſitionum, aut operationum, oportet intelligere aliquid ordinis ſuperadditum, quod fundet, & ex quo reſultare poſsit illa relatio ordinationis, quam tu appellas rationis. Quod ſuperadditum materialitati eſt aliquid realis ordinis, & directionis. Et de hoc agit Logica. Addo, quod ſemel ſuppoſita hac ordinatione, quam appellas fundamentalem, & quæ per te producit ſcientiam, etiam ſi non reſultaret relatio illa rationis, haberet Logica eſſe ſcientiam; ergo haberet obiectum ſcibile: At tunc, nulla intelligeretur dirigibilitas, quæ eſſet ens rationis: ergo obiectum Logicæ, quod nunc illam conſtituit ſcientiam, & tunc conſtitueret, non eſt ens rationis.

Tertio probatur. Quia habitus concurrit ad formam ordinatæ intellectionis: V.g. in demonſtratione, nō ſolū ad materiale, ſed etiam ad formale illius; ad quod præcipue, habitu indigemus: ergo formale demōſtrationis, eſt quid reale.

Quarto. Quia proprietates bonæ, & ordinatæ intellectionis, quatenus talis, ſunt aliquid reale, V.g. certitudo, claritas, & euidentia: ergo ordinatio, a quibus tales proprietates dimanant, quid reale erit.

Vniuerſaliter tamen, obiectum formale adæquatum Logicæ non poſſe eſſe ens rationis, probatur. Quia, quælibet ſcientia dependet a ſuo obiecto, ſicut & alij habitus, cum ab eo naturam habeat, vt ſæpe repetit Ariſt. 2. de anima; ſed Logica non dependet ab ente rationis, ipſa enim eſt ens rei, eſt enim qualitas in prima ſpecie, & quod habet ſcientificū, intelligitur ante relationes rationis reſultantes, vt nūc vidimus: ergo ens rationis, non eſt obiectum eius. Secundo obiectū ſcientiæ, & ſcibile idem ſunt, ergo, quod non eſt per ſe ſcibile, non poteſt eſſe per ſe obiectū, quia obiectū de quo loquimur eſt, quod per ſe cōſideratur in ſciētia, ſed ens rationis non eſt per ſe ſcibile, alias eſſet ens reale, ergo nō poteſt eſſe obiectū ſcientiæ. Addo (vt quædā ſolutio impugnetur) nullo modo, neq; directè, neq; reflexè poſſe per ſe intēdi cognitionē entis rationis, niſi vt ordina-

dinatur ad cognitionem entis realis:etenim,ſi entis rationis cognitio,nõ cõduceret ad cognitionẽ entiũ realiũ, nõ poſſet recte,& ordinatè intẽdi. Rurſus,neq; per reflexionẽ poteſt per ſe cognoſci, etenim reflexio,nõ tollit naturã obiecti,natura autẽ entis rationis eſt, vt ſicut nõ eſt per ſe ens, non ſit per ſe cognoſcibile.Per quod, impugnata manẽt,quæ recentiores tã in noſtræ ſẽtẽtiæ offẽſionẽ,quàm,in propriæ defenſionem adducunt.

Ex quibus facile argumẽta ſolues:ad primũ argumẽtũ reſpondetur Logicã per ſe agere de actibus intellectus,vt oſtẽſum eſt:de entibus autẽ rationis,nõ per ſe,ſed quatenns huiuſmodi cõſiderationi deſeruire poſſunt:res enim,quæ in ordine ad dirigendas has operationes cõſiderãtur,ſub aliquibus notionibus rationis, V.g. generis,ſpeciei, ſubiecti, aut prędicati,deſeruiũt ad facilius & melius cõficiẽdas propoſitiones,ex quibus,poſtea argumẽtationes cõficiuntur:cõmodiusq; vt has rationis denominationes ſortiũtur,de illis agitur,& pręcepta recte ſciẽdi tradũtur. ¶ Ad 2. de ente rationis,non poſſe eſſe per ſe ſcientiam,quia non habet verum eſſe per ſe, ſed tantum confictum ad ſimilitudinem entium realium,atq; adeo non eſt per ſe cognoſcibile. Quod ſi, aliqua de illo traduntur in Logica,totum eſt, in quantum deſeruire poteſt dirigibilitati operum rationis,vt dixi: neque Logica, rationalis dicitur, quia de ente rationis præcipue agat, ſed quia eſt directiua actuum rationis, vt ex S. Thoma vidimus in argumento primo noſtræ ſẽtẽtiæ:proprietates autem,& affectiones rationis iã diximus,qua ratione ad Logicũ pertineãt,nec tamen obiecti rationẽ habeant.

Ad tertium argumentum ſatis dictum eſt, coordinationem propoſitionum,vt eſt quędam rectitudo,& directio tertiæ operationis intellectus,eſſe vere reale quid, etiam ſi alicui propoſitioni,quatenus induit rationem obiecti accidat,eſſe maiorem vel minorẽ, ſicut in propoſitione ipſa, licet eſſe ſubiectum,& prædicatum,affectiones rationis ſint, ipſa tamen apta coniunctio prædicati cum ſubiecto, non eſt ens rationis, ſed ſecunda operatio intellectus recte ſe habẽs,quæ eſt cõpoſitio & diuiſio,atq; adeo ens reale veriſsimũ. ¶ Ad authoritatẽ D. Thomæ reſpõdetur,quod quando dixit,Logicam non conſiderare per ſe ens reale, intelligendus eſt,de ente reali in com-

Digitized by Google

ſtimant. Quidam eſſe eandem ac docentem, quatenus alias ſciẽtias dirigit in ſuis actibus, ſeu quatenus ab illa procedit bonus vſus inſtrumentorum ſciendi in alijs ſcientijs. Sicut enim dicitur modius tritici, & menſura, & res menſurata, ita Logica vtens appellatur, & ſcientiæ quæ diriguntur a Logica, & Logica dirigens: qua etiam ratione S. Tho. 1. 2. q. 58. ar. 6. corpore ait, quod omnis virtus quatenus a iuſtitia ſpeciali virtute imperatur & ordinatur, iuſtitia dicitur.

Alij, Logicam vtentem artem probabiliter diſputandi de quauis re, eſſe intelligunt. Ita Fonſeca. 2. Meth. cap 3. q. 1. ſect. 6. Et Conimbricenſe Collegium. q. 4. procemiali, ar. 2. propter D. Thomæ authoritatem. 4. Meth. lect. 4. vbi aſſerit, demonſtratiuam partem, tantum habere doctrinam, & non vſum in alijs diſciplinis. Adducunt etiam Ariſtotelem, qui affirmat proprium eſſe Dialectici, de quauis re propoſita ex probabilibus diſſerere. Quod docet 1. Topicorum c. 1. & lib. 3. Meth. cap. 1. Ratione autem vrgenti id oſtendũt: quia vſus diſſerendi ex neceſſarijs pertinet ad eam ſcientiam, cuius eſt materia de qua diſſeritur: definitiones enim, diuiſiones & argumẽtationes quæ fiunt ex rebus Methaphiſicis, & neceſſarijs, ad Methaphiſicam expectant: quæ ex Mathematicis, ad Mathematicam ratio eſt, quoniam omnis ſciẽtia habet propria principia propriasq; cõcluſiones, quarum notitia, ad nullam aliam ſcientiam attinet; cumq; ſit peculiaris habitus ſcientificus, peculiares etiam demonſtrationes in illa, ab illa procedunt. Addo, quod ſi vna tantũ ſcientia efficeret omnes demõſtrationes, quæ vbiq; reperiuntur, ea ſola eſſet ſcientia: quod abſurdum eſt. Cum ergo vſus diſſerendi ex neceſſarijs, pertineat ad eam ſcientiam, cuius eſt materia de qua diſſeritur, fit, vt Logica nullum habeat vſum, reſpectu eorum quæ neceſſaria ſunt, ac proinde vſus eius, tantum exerceatur in probabilibus. Quod ſi aſſeras, habere vſum in rebus neceſſarijs ad Dialecticam pertinentibus. Contra. Quia cum munus Dialecticæ tantum ſit ſciẽdi modum, & nudas diſſerendi formas præſcribere, hoc totũ docere eſt, non vti, ac proinde Logica non poterit dici vtẽs, niſi reſpectu rerum Topicarũ, & probabilium; materia enim probabilis cum fluxa ſit, atq; incerta, non eſt alicuius ſcientiæ propria: non ſolum, quia non eſt apta ad generandum

ha

habitum ſciẽtificum, ſed quia eſt incapax, vt ab habitu ſcientifico aliquis actus opinionis generetur. Neq; enim ſcientia opinionem gignit, aut opinione generatur. Cum ergo res probabiles, hoc tantũ habeant artis ſcientificæ, quod in modum & formam diſponantur, formaq; & modus hic a Dialectica tradatur, ad eandem, nõ ad aliam ſcientiam, probabilium expectat tractatio.

Pro explicatione tamẽ, notandum eſt, in arte practica, aut ſcientia operationes aliquas dirigente, & ordinante, diſtinctam eſſe doctrinam ab vſſu: Doctrina enim, eſt illud dictamen intellectus, quo ars modum operis efficiendi præſcribit: vſſus autem, eſt ipſum opus exequendum, aut ipſa operis executio. Exemplum deſumi poteſt, in arte pingendi. Artifex enim primo concipit intellectu, quo pacto deducẽda ſint lineamenta, inducendi colores, & alia, quæ præcepta artis dicuntur: deinde, penicillum ſumit, lineam extendit, colores addit iuxta regulas, iam ab intellectu artificioſe præſcriptas, & hæc executio aut opus dicitur artis vſſus, hoc ipſum in Dialectica ſuo modo videre licet, eſt enim in habẽte illam, hoc iuditium & dictamen. V.g. vt ſyllogiſmus concludat in primo modo primæ figuræ, debet conſtare ex tribus vniuerſalibus affirmatiuis, hoc modo complicatis, & ordinatis, nempe quod maior extremitas, ſit prædicatum in maiori, & minor ſit ſubiectum in minori, &c. quæ omnia poſſunt abſq; confectione ſyllogiſmi in Barbara V.g. ab intellectu dictari, & præſcribi. Deinde vero, per actum diſtinctum ab hac doctrina, ſyllogiſmus ipſe conficitur, iuxta normam doctrinæ, & dictaminis Logicæ docentis. Sicut ergo diſtinguitur doctrina ab vſſu, ſic facultas docens, & vtens.

Secundo notandũ eſt: quod cum Logica vere & proprie ſcientia ſit, verſatur etiam, ſicut aliæ ſcientiæ circa res neceſſarias, & immutabiles, ac proinde, vſſus diſſerẽdi in materia Logica neceſſaria, proprius Logicæ erit, multo magis, quam Mathematici, vſſus diſſerendi in materia Mathematica, cum Logica ratione materiæ, materiam habeat neceſſariam, ſicut aliæ ſcientiæ, ratione vero formæ, diſſerendi formam ipſa præſcribat, nõ ab alijs mutuetur.

Dico ergo primo, Logica docens & vtens per omnes Logicæ partes diuagatur, gratiſque ratio Logicæ vtentis ad Topica & probabilia ſolum

Digitized by Google

reſtringitur. Probatur. Quia in parte demonſtratiua, Logica ipſa, quæ præcepta tradit, in tradendis ipſis, & docendis modis ſciendi, eiſdem præceptis & modis vtitur: in tradenda enim doctrina demonſtrationis, vtitur Logica præceptis definiendi, & in tradendis his præceptis definiendi, ſæpe vtitur demonſtratione: immo ſi in tradenda doctrina ſcientifica, non vteretur ſcientia & demonſtratione, non eſſet ſciẽtia. Vſſus ergo ſcientiæ, cum reperiatur etiam in parte demonſtratiua, & materia circa quam verſatur talis vſſus ſit propria Logicæ, abſque dubio, ratio Logicæ docentis, & vtentis, ad omnes Logicæ partes extendi debet. Vnde S. Thomas potius fauet huic cõcluſioni, dixit enim, demonſtratiuam partem, tantum habere doctrinam, & non vſſum, in alijs diſciplinis. Illa ergo excluſio *non vſſus* ſolum eſt reſpectu aliarum diſciplinarum, non vero reſpectu ſui, quia exceptio firmat regulam in contrarium (vt in iure dicitur) quod ſuo modo, etiam hic verum habet. Vnde ſi excluderetur vſſus in parte demonſtratiua; & reſpectu ſui, & reſpectu aliarum diſciplinarum, abſolute deberet dici. *Demonſtratiua pars, tantum habet doctrinam, & non vſſum*, non vero cum limitatione ad alias ſcientias: iuxta cuius concluſionis doctrinam, nomine docentis Logicæ intelligitur Logica prout præcepta tradit, nomine vero vtentis eadem quatenus in tradendis præceptis, & docendo modo ſciendi, eiſdem præceptis, & modis vtitur. Quæ explicatio, cæteris adductis probabilior eſt.

Dico ſecundo. Logica docens, & vtens eſt vnus, & idem habitus, cuius munus eſt, modum ſciendi docere, & illum docendo, faciliorem promptioremque intellectum ad illius vſſum relinquere: facilior eſt enim intellectus ad conficiendum ſyllogiſmum, poſtquam cognouit, quid ſit, quoue modo confici debeat, quã antea, & ſic de alijs, quæ de operationibus intellectus, & modo ſciendi traduntur in Logica. Hic ergo vnus, & idem habitus, quatenus docet, docens dicitur, quatenus docendo, ad vſſum facilitat Logica vtens nuncupatur. Quæ etiam explicatio Logicæ docentis, & vtentis, ſatis vera, & legitima eſt.

Dico tertio. Peculiari ratione reſpectu rerum Topicarũ & probabiliũ, Logica dicitur vtens. Hoc probãt ea, quæ pro

pro opinione Conimbricenſis Collegij, & Fonſecæ adducta ſunt: in cuius gratiam addo. Quod ſi communem loquendi modum attẽdamus, aliqua re vti poſſe propriè dicimus, quando eam, in hanc rem, vel in illam, indeterminatè poſſumus cõſumere. Quia ergo hæc indeterminatio, & hic iam in hãc, iam in illam partem vſſus, ſolum in rebus Topicis, & probabilibus inuenitur, non in rebus neceſſarijs, & demonſtrabilibus, quæ ad vnam tantum partem determinata ſunt, nomen vſſus, aut vtentis Logicæ, hac peculari ratione, parti Topicæ tribuimus. Præcipua autem ratio citato illo loco pro prędictaopinione adducta eſt. Nec aliud voluit D. Tho. vt iam oſtendimus. Ariſt. autem voluit hoc ipſum.

QVÆSTIO. V.

Utrum Logica ſit ſcientia.

POſtquam, quid nomine Logicæ intelligatur explicui: quid nomine ſcientiæ intelligẽdum ſit aperire oportebit, vt ſic quæſtionis titulus, maneat explicatus. Eſt enim huius nominis *Scientia*, acceptio diuerſa. Solet enim primo largè ſumi, pro quacumq; cognitione, ſiue viſſu, ſiue auditu, ſiue opinione, aut fide generetur. Quo ſenſu locutus eſt Ariſto. 1. ante prædicam. cap. cum Grammaticam ſcientiam appellauit: & communiter dici ſolet, ſcio Romam eſſe. Secundo ſumi poteſt pro certa, & euidenti cognitione, etiam ſi ſubſtantialis ſit, & ſine diſcurſu, qualẽ habet Deus; de cuius ſcientia, ſub hoc nomine ſcientiæ peculiariter in Theologia diſſeritur. Tertio ſumi ſolet, pro ſcientijs tantum ſpeculatiuis, quo pacto acceptam fuiſſe ab Ariſt. 6. lib. AEticorum cap. 3. opinantur multi, acceperũtq; nonnulli ex Philoſophis, qui negarunt Dialecticam eſſe ſciẽtiam. Quarto denique, vt in præſenti, ſumitur pro certa, & euidenti cognitione habita per demonſtrationem, quo ſenſu definiuit Ariſt. ſcientiam 1. poſteriorum cap. 2. eamq; diuiſit 6. Meth. cap. 1. ſed vt hoc, melius percipiatur.

Notandum eſt ſecundo ex eodem Ariſt 6. AEticor. c. 3. & D. Tho. 1. 2. q. 57. ar. 2. & 3. Habitus intellectus, quorum beneficio, certo & ſine errore verum

verum aliquid naturaliter de
prehendimus, eſſe quinq;. In
telligentiam ſcilicet, qui etiã
ab aliquibus appellatur intel-
lectus, ſapientiam, ſcientiam,
prudentiam, & artem. Intellec
tus ſeu intelligentia eſt habi-
tus, qui fertur circa prima
principia. Sapientia eſt habi-
tus qui verſatur circa altiſsi-
marum cauſarum contempla-
tionem: quo nomine ſola Me-
taphiſica digna eſſe videtur,
cum in Dei, & ſubſtantiarum
ſeparatarum cognitione ver-
ſetur. Scientia eſt habitus cer-
tus, & euidens per demonſtra
tionem acquiſitus. *Habitus* lo-
cum obtinet generis, contine
tur enim ſcientia ſub prima
qualitatis ſpecie, quæ eſt habi
tus, vt ibi videbimus: cæteræ
autem particulæ differentiæ
locum habent per Ly. enim
certus diſtinguitur ab o-
pinione, quæ eſt habitus in-
certus, & cum formidine;
per Ly. *euidens* a fide, quæ,
quamuis habitus certus ſit,
non tamen euidens; quæ enim
fide credimus, debent eſſe
non viſſa. Tãdem dicitur per
demonſtrationem acquiſitus,
per quod ab habitu primorũ
principiorum, certo quidem,
& euidenti, non vero per de-
monſtrationem acquiſito, ſed
naturaliter cõgenito diſtingui
tur. Hæc autẽ ſcientia hoc mo
do definita, vere, & proprie
ſcientia eſt de qua nunc loqui
mur. Prudẽtia eſt habitus pra
cticus, cum recta ratione ali-
quid agendi, ideſt, habitus in-
teriores actiones, moreſq; cõ-
ponẽs. Ars deniq; aliquãdo ſu
mitur pro ſcientia, & cum illa
confunditur, aliquando autẽ
proprie vt differt ab illa, qua
ratione definitur. Eſt habitus
practicus cum recta ratione a-
liquid faciẽdi ideſt habitus di
rigens opera externa, vt recte,
& artificioſe cõficiãtur; quod
autẽ ad opera externa, ſeu fac-
tilia proprius ordinetur ars,
per illã particulã *faciẽdi* expli
catur: factio enim id ſonat, cũ
tamẽ actio in definitione Pru
dẽtiæ poſita, de interiori pro-
prijſsime explicetur actione.

3. Notãdũ eſt, ſciẽtiã ſtricte
ſumptã, interdum, pro habitu
quã iam definiuimus, interdũ
pro actu ſciẽdi vſurpari; inter
quæ. 1. eſt differẽtia, quod habi
tus perſeuerat in nobis etiã nõ
operãtibus, actualis autẽ ſciẽ-
tia tãdiu durat, quãdiu intelle
ctus operatur. 2. quod actibus
exiſtẽtibus multis reſpectu ali
cuiꝰ obiecti formalis, ſciẽtia ꝑ
habitu ſũpta, reſpectu illius ob
iecti vnica tãtũ eſt, ſenſus ergo
quęſtionis eſt. Vtrũ Logica do
cẽs & vtẽs ſit ſciẽtia habitua-
lis ſtricte ſumpta. Licet etiam
de actuali non nihil dicemus.

Digitized by Google

immerito,& videtur eſſe Platonis,qui in Phedro docet,ſublimium rerum contemplationem ad Dialecticam pertinere. Et 7.de Republica ait,Dialecticam eſſe aliarum ſcientiarum finem,quæ vera eſſe non poſſunt, niſi Dialectica idem ſit,ac omnes ſcientiæ , vel ſaltim idem cum Methaphiſica, quæ ſublimes res contemplatur. Ad minus ergo,nō erit ſciētia peculiaris ab alijs diſtincta.ratione videtur probari poſſe aliquantulum efficaci ſic. In aſſenſu concluſionis aliarū ſcientiarum,neceſſario interuenit Dialectica, & ad illum concurrit, ſed aſſenſus V. g. concluſionis Mathematicæ, aut Methaphiſicæ ſufficiēter ab habitu Methaphiſicæ, aut Mathematicæ producitur, tū, quia veræ ſcientiæ ſunt,vt diſtinctæ ab alijs: tum quia quælibet ſcientia in particulari, proprium actum habet, qui alteri non tribuitur:ergo ſi aſſenſus cuiuſuis ſcientiæ, tribuitur Logicæ, Logica erit quæuis ſcientia,aut quæuis ſcientia in particulari non erit ſibi ſufficiens, ſed procedet ſcientia actualis neceſſariò,a duplici habitu,quod vt vidimus,falſum eſt: maior autem probatur,quia aſſenſus concluſionis ſcientificæ vt ſic, tribuitur & reſpondet maximè formæ, & coordinationi demonſtrationis,ſed ad hanc concurrit Logica,vt pote, quæ hanc formā præſcribit, dictat, & docet: ad illam ergo neceſſario ipſa concurrit.Cum autem demonſtrationis forma,etiam in diuerſarum ſcientiarum materijs eadem ſit,concurret Logica ad ſcientias omnes,quæ hoc ipſo, quod ſcientiæ ſunt,demonſtratiuè procedunt.

His tamen non obſtātibus, in hac quæſtione. Dico primo Logica docens proprie eſt ſcientia. Sententia communis eſt, eam docent Stoici, docuit etiam Auguſti. in libello, qui inſcribitur principia Dialecticæ cap. 1.D.Tho 4.Meth. lect.4.p.2.Albertus Mag. cap. 1.ſuæ Logicæ, Auicena in principio Dialecticæ, Scotus q. 1. prædicabilium , Boecius in principio prædicabilium, Alpharabius initio ſuæ Logicæ, AEgidius Roman. initio priorum.Tolet.q.2.procemiali, Sotus ibidem, & alij. Probatur primo ex Ariſt. 1.priorum c. 1.qui doctrinam de demonſtratione (quæ propriè Logicæ eſt) ſcientiam demonſtratiuā appellat.Secundo,quia ad veram ſcientiam id ſolum exigitur,vt certitudinem,& euidentiam habeat, per infalibilem demonſtrationem comparatam,ſed multæ ex concluſionibus

bus Logicis,per verã cauſam, veramque demonſtrationem cognoſcuntur , ergo Logica, huiuſmodi cognoſcens concluſiones vere & proprie ſciẽtia eſt. Antecedens paſsim cõſtat in Logica, inueniuntur enim in illa demonſtrationes plures, vt illæ, quibus regulæ conuerſionum,& vtilium modorum,in quacumq; figura nituntur: imperfectorum item ſyllogiſmorum , ad perfectos reuocatio,aliaq; id genus oſtendunt. Deinde hæc concluſio:omnis demonſtratio generat ſcientiam , cognoſcitur in Logica per propriam cauſam & per veram demonſtrationem ſic . Omnis ſyllogiſmus conſtans ex veris , neceſſarijs, notioribus,cauſisque concluſionis generat ſcientiam, talis eſt demonſtratio,ergo generat ſcientiam . Et in prædicabilibus demonſtrat,quod vniuerſale prædicetur de pluribus, hoc modo.Omne,quod eſt in pluribus prædicatur de illis, ſed vniuerſale eſt vnum in multis,ergo de illis multis prædicatur. Et huiuſmodi ſunt plures demõſtrationes in Logica.

Tertio operationes intellectus, vt dirigibiles habent rationem ſcibilis,& obiecti proprie ſumpti , ergo Logica cuius obiectum ſunt, vt probauimus habet propriè rationem ſcientiæ. Antecedens probo a ſimili,quia operationes voluntatis,vt dirigibiles,ſunt obiectum propriè ſcientiæ ſcilicet Philoſophiæ moralis. Adde de ſuo ſubiecto Logicam paſsiones a priori demonſtrare , vt patet in eo, quod diximus de demõſtratione demõſtrare. De definitione etiam demonſtrat quod pariat perfectam naturæ cognitionem hoc modo. Oratio alicuius rei naturam perfecte explicans, perfectam illius naturæ parit cognitionẽ talis eſt definitio ergo,&c.

Quarto , ſi Dialectica non eſt ſcientia, nulla ſcientia firma erit. Probatur. Quia aſſenſus ſcientificus,non debet eſſe cum formidine , ſed certus, at non poteſt formido excludi, niſi inſtrumentum ſciendi aptũ eſſe & certum infalibiliter cognoſcatur, oportet ergo ſcientiam haberi de ipſa inſtrumẽti certitudine;ſed Logica hæc inſtrumenta ſciendi tradit, oportet ergo,vt ea tradat ſcientifice,& formas diſſerendi,aptas eſſe demõſtret, ac proinde verã habeat ſcientiæ rationẽ.

Dico ſecundo, Licet ſyllogiſmus Topicus & Sophiſticus ſcientiam non generent,ſed tãtum ſuſpitionem,& opinionẽ, quia tamen Logica , de Topico in parte Topica , & de Sophiſtico , in parte Sophiſtica de-

demonſtratiue oſtendit alterum opinionem, alterum ſuſpicionem generare; etiam ſecundum has partes ſcientia abſq; dubio dici poteſt. Primum enim probat per propriam cauſam, quia ſcilicet ſyllogiſmus Topicus procedit ex probabilibus. Secundum etiam quia Sophiſticus procedit ex apparentibus tantum. Aliud enim eſt de re probabili probabiliter diſputare, aliud circa rem probabilem verſari demonſtratiue: oſtendendo ſcilicet eius probabilitatem, aut alia quæ circa res Topicas, modum earum, loca deducendi argumenta, alia ve ocurrere poſſunt demõſtrabilia. Immo quatenus inclinat ad eorum vſſum, quia id ſcientifice docendo facit, ſciẽtia eſt. Etenim aliud eſt, opinionem ellicere, aliud quomodo ſit ellicienda, docere. Primum, opus eſt habitus opinatiui, ſecundum ſcientiæ. Conſtat enim (vt id aperte oſtendemus) quod quãuis ſciẽtia practica, dirigat & inclinet ad opus quod non eſt ſcientia, immo neq; actus ſcientiæ, neq; actus intellectus, & fortaſe actus exterior, vt ſic, tamẽ ſcientia eſt, quia non inclinat, quaſi Phiſicẽ operãdo, & factilia exercendo, ſed docendo, & dictando, quomodo exequẽdũ ſit opus; quod poteſt doceri ſcientifice, nihil ergo vetat, opus directũ ab aliqua ſcientia, ſcientiam non eſſe, ſi tamen ipſa dirigat ſcientifice.

Dico tertio, Logica vtẽs ſciẽtia eſt. Probatur quia (vt dicebã) eſt idẽ habitus ac docẽtis, prout docẽdo, facilitat ad vſſum, ſed docet ſciẽtifice: ergo facilitat ad vſſum ſcientifice: vt facilitat ad vſſum eſt vtens, ergo vt vtens eſt ſcientia. Secundo vtens etiam dici poteſt, prout in tradenda doctrina modi ſciẽdi, & formarũ differẽdi, eiſdẽ formis, & modis vtitur, at demonſtrationem ellicere & formare, actus ſciẽtiæ eſt, ergo etiam vt vtens ſciẽtia eſt. Tertio, quia Logica docẽs, & vtẽs, eſt idẽ habitus vt ſuppono ex precedẽti queſtione, & probari breuiter poteſt, quia Logica docens, omnes actus intellectus etiam cuiuſuis aliæ ſcientiæ dirigit, ergo ſi ad executionem, ſeu vſſum actuum, quos Logica docens dirigit, alius habitus Logicę vtentis poneretur, fieret, vt actus omnium ſcientiarum, ab hac Logica effectiue producerentur. Ex quo ſequeretur rurſus, quod quilibet aſſenſus, aut opus ſcientificum cuiuſuis ſcientiæ, a duplici habitu fieret, ab habitu ſcilicet vtentis Logicæ, & ab habitu illius ſcientiæ;

C ad

Digitized by Google

ad quem propoſitio ratione materiæ pertineret, quod abſurdum eſt. Si ergo ſunt idem habitus ergo eadem ſcientia ſicut recte ſequitur: Petrus eſt idem animal, ergo idem homo. Ex quo conſtat falli recentiores aliquos, qui concedentes eſſe eundem habitum Logicam docentem, & vtentem, negant vtentem eſſe ſcientiam, affirmantes artem eſſe: quod ex dictis conſtat falſum eſſe. Vel enim artem ſumunt vt indifferens quid, & ſuperius ad ſcientiam, & hoc modo etiam Logica docens erit ars, quia eſt ſcientia, quæ in hac acceptione artis eſt inferius quid ad illam: vel ſumunt artem, vt eſt membrum diuidés in illa diuiſione initio huius quæſtionis adducta, & hoc modo non poteſt eſſe idem habitus cum ſcientia, ſunt enim, vt ſic membra diuidentia, quæ proinde opponi debent, ergo non poteſt Logica vtens eſſe idem habitus cum docente, quæ ſcientia eſt, & eſſe ars. Præcipuè quia ars eſt habitus practicus cum recta ratione aliquid faciendi, ſed Logica non poteſt eſſe ſcientia practica, etiam prout dirigit, & inclinat ad vſum, vt aperte oſtendemus quæſtione ſequenti, ergo non poteſt eſſe ars. Deinde illud *faciendi* excludit Logicã a ratione artis, ſonat enim (vt dicebamus) actiones externas, quas tamen Logica, non dirigit, neq; circa illarum vſum verſatur.

Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, Ariſtotelẽ ibi non loqui de tota Dialectica, ſed de parte Topica, quæ ratione vtens eſt, non quidem docendo ſciẽtificè, ſed de quali bet ſibi propoſita materia, per communia principia diſputando probabiliter in vtrãq; partem, quod eſt proprium facultatis, elliciendo ſcilicet medijs opinionibus actus opinandi, & medijs actibus opinatiuis generans opiniones: hoc enim modo ſcientia non eſt. Ad illud ex 2. Meth. reſpondetur ſenſum eſſe, non eſſe ſimul addiſcendas alias ſcientias, & Dialecticã, quæ modum ſciẽdi tradit: Logica enim quia modũ ſciẽdi tradit, alias debet antecedere. Quando ergo aſſerit Ariſt. abſurdũ eſt quærere ſciẽtiam & modum ſciendi ſimul, ſenſus eſt, abſurdum eſt ante Dialecticam alias ſcientias tradi. Vel ad ſcientiam, ideſt vt res ſcientifico modo tradantur, neceſſaria eſt Logica, de quo diſputatione ſequẽti.

Ad primam rationem reſpondetur. Dialecticam dici modum ſciendi, non quia ipſa ſit modus, a vera ſcientia con- diſ-

diſtinctus, aut, quia ipſa ſit ipſe modus. V. g. definitio diuiſſio, &c. ſed quia ſcientijs alijs modum, & inſtrumenta ſciendi tradit. Quia vero id ſcientificè, & demonſtratiuè facit, ſcientia eſt. Ad ſecundam reſpondetur, quod licet hæc aut illa definitio, hæc aut illa demonſtratio, quam modo V. g. compono, eſſe deſinat, quoad exiſtentiam, Logica tamen, non agit niſi de natura, & eſſentia definitionis, aut demonſtrationis in communi, quæ vt ſic perpetua, & neceſſaria eſt. Quomodo autem Logica probabilia cōſectetur, qua ve ratione, vt circa illa verſatur, ſcientia ſit, ſatis in ſuperioribus explicatum eſt. Vt ſic vltima illius ſententiæ corruat confirmatio, & fundamentum opinionis ſecundæ.

Ad fundamenta tertiæ ſententiæ reſpondetur: ad loca Platonis, nomen Dialecticæ, teſtibus Amonio, & Philopono, aliquando ſumi pro qualibet ſcientia: fortaſe, quia omnis in dſſerendo (vnde nomen Dialecticæ ſumptum eſt) verſatur. Vel quia (vt inquit Tullius lib. 2. de oratore) nomine Dialecticę, nō nunquam intelligitur ſcientia, quæ verum, falſumque diiudicat, quod omnibus ſcientijs contemplatiuis commune eſt. Sunt qui aſſerant, aliquando ſumi Dialecticam pro ſcientia præſtantiſsima, qualis eſt Methaphiſica, vt Cicero de claris oratoribus, & Alcincus de doctrina Platonis cap. 7. qui ait, Dialecticam verſari circa diuina. Cui conſentit Plotinus AEneade. 1. lib. 3. cap. 3. & 5. Quicquid ſit de hoc, Logica pertinet ad omnes ſcientias, non quidem intrinſicè, quaſi aliquid earum, ſed extinſice dirigendo, & hoc modo tanquam directrici; aliqua, ad alias ſcientias pertinentia, ei atribuuntur. Qua ratione, vt vnico verbo reſpondeamus rationi in oppoſitum adductæ, concurrit ad aſſenſum aliarum ſcientiarum non quidem elliciēdo, ſed extrinſicè dirigendo, ex quo non ſit, eſſe omnes ſcientias, ſed omnes ſcientias dirigere. Et hæc de hac quæſtione.

QVÆSTIO .VI.

An Dialectica, practicis, an vero ſpeculatiuis diſciplinis, ſit adſcribenda.

POſtquã Logicam eſſe ſcientiam, præcedenti manſit quæſtione firmatum; iure hæc inquirit, an practica, an vero ſpeculatiua ſit: eſt enim hæc ſcientiæ in practicam & ſpeculatiuam, tum ex communi omnium ſententia, tum ex Ariſt. 4. Topicor. cap. 2. & 6. Meth. cap. 1. adæquata diuiſſio. Quia vero ſcientia practica circa praxim verſatur, explicare oportet prius, tam pro intelligentia tituli, quam pro deciſsione quæſtionis, quid praxis ſit, Igitur.

Notate primo, nomen praxis Græcum eſſe, diciq; a verbo Græco *prato*, quod eſt ago, ſeu operor, id autem quod abſtracte dicit *praxis*, quaſi concrete dicit *practitum*, cui nomini Græco nullum eſt Latinum nomen ſimplex, quod adæquate reſpondeat. Licet enim tria ſint nomina, quæ id quod apud Græcos, pratichim ſeu practicum dicitur, videantur explicare, operatiuum ſcilicet, factiuum, & actiuum, ex his tamen hæc duo vltima, inferiora ſunt ad praxim, in ſcientijs præcipuè, (quod ad nos nunc attinet) actiuum enim, ſeu ſcientia practica actiua, verſatur circa actiones internas, & in nobis immanentes, quarum principium eſt electio, teſte Ariſt. 6. AEthicorum cap. 10. Factiuum autem, ſeu ſcientia factiua practica, circa actiones externas verſatur, vt ædificare. Illud autem prius (operatiuum ſcilicet) eſt quid ſuperius ad praxim, cõmuneque tam illi quam ſpeculationi, quæ etiam operatio eſt, idem enim eſt operatio Latinè, quod Græce ẽtelechia, vt ex Aberroe. 1. AEthicorum, cap. 1. tradit Soncinas 6. Meth. quæſt. 2. entelechia autem, & praxis, habent ſe ſicut ſuperius & inferius, vnde praxis, non eſt operatio in communi, ſed operatio, vt ab ſpeculatione diſtinguitur.

Definitur autem praxis (notate ſecundo) ab Scoto, quæſtio. 4. prologi in principio. Praxis eſt actus alterius po-

potentiæ ab intellectu) poſterior intellectione, natus ellici conformiter rationi rectæ, ad hoc vt rectus ſit. Circa cuius definitionis impugnationem, multa congerit (nec ſane feliciter) Franciſcus Suarez. 2. tomo Meth. diſp. 44. ſect. 13. n. 20. & deinceps, quæ ex dicendis ſoluta manebunt. In primis ergo, quod illa operatio, quæ praxis dicitur, primario & per ſe (hanc enim deffiniuit Scotus) debeat eſſe operatio alterius potentiæ ab intellectu, eſt expreſſa ſententia Ariſt. & D. Tho. omninoq; certa, vt iam oſtendo. Dixi autem, operatio quæ praxis eſt primario, & per ſe, quia actus intellectus vt cadit ſub electione liberæ voluntatis, & directione Prudentiæ, & ſimiliter actus intellectus, qui ordinatur ad operationem alterius potentiæ, practicus eſt. Hoc autem, quod habet practici, non habet ex eo, quod ſit operatio intellectus, ſed ex ordinatione ad id, quod primario, & propriè praxis eſt, electio ſcilicet, aut alia operatio voluntatis in actibus immanentibus, opus autem exterius in tranſeuntibus aut factibilibus. Itaq; praxis, quæ verè & propriè in ſe praxis eſt alijsq; dat denominationem practici, prout ad illam ordinantur, ſemper debet eſſe operatio alterius potentiæ ab intellectu. Probatur primo ex Ariſt. 3. de anima cap. 10. tex. 50. aſſerente, intellectum extẽſione fieri practicum. Quod axioma, deſumptum videtur ex illis verbis: *Practicus alicuius gratia ratiocinatur, & principium eſt agendi.* Hoc autem neceſſario, intelligi debet de actione, quæ ſit extra ipſum intellectum, nam intra ipſum, etiam intellectus ſpeculatiuus eſt principium agendi. Et 2. Meth. cap. 1. docet, ſubiectum ſciẽtiæ practicæ, duabus conditionibus affici debere, quas late explicat Euſtratius, eodẽ loco. Prima, vt ſit res cõtingẽs, quod neceſſario intelligẽdũ eſt, quod ſit actio libera (cõtingẽtia enim, quæ opponitur rebus neceſſarijs, de quibus ſcientia agere debet, non poteſt eſſe conditio obiecti ſcientifici) ſed actio libera, formaliter ad voluntatem expectat, quæ eſt potentia formaliter libera, & ad intellectũ non niſi denominatione, & imperio eius; praxis igitur ſecundũ Ariſtotelem ad voluntatem, non ad intellectum pertinet. Tertio ex eodem Ariſt. qui ſpeculatiuam ſcientiam a practica diſtinxit, loco nũc citato, tex. 3. quòd ſpeculatiuæ finis eſt veritas, practicæ autem opus. Ergo opus, quòd eſt veri-

tis, eſt ſpeculatio: omne autē aliud, praxis: at omnis operatio intellectus eſt veritas ſeu veritatis cognitio: ergo opus, quod eſt praxis, debet eſſe alterius potentiæ ab intellectu. Hinc Aberroes, hoc ipſum explicans, commento tertio. Per ſpeculatiuam (inquit) ſcimus, vt ſciamus, per practicam vero, ſumus ſcientes vt operemur, quia finis practicæ, opus: ergo quātumuis per operationem intellectus, aliam ipſius potentiæ operationem dirigamus, ſemper ſcimus, vt ſciamus, quia tam operatio Directa, quam dirigens ſcire eſt. Hinc, ſpeculatio dicta, id eſt, quaſi *Specu latēs* cognitio idest cognitio, quæ non tranſit, ordinatur, extenditurve ad aliam potentiam, aut eius operationes, ſed in ipſius intellectus ſpecu manet, non ſolum immanentia Phiſica, ſed immanentia ordinationis, quod ſcilicet non ordinetur ad aliquid extra intellectum; ergo ſi id, ad quod ordinatur, ſemper in intellectu eſt, ſemper *ſpecu latet*, neque terminos exit propriæ potētiæ. Vrgeo, quia cognitio directa, & ordinata ab alia cognitione, praxis non eſt, quia eſt cognitio ſiſtens, & propter ſe ipſam, ac proinde erit cognitio propter cognitionem, quod eſt proprium ſpeculationis; eſt igitur ſpeculatio; ergo cognitio dirigens, non poteſt eſſe praxis, quia praxim non dirigit, eſt enim propter cognitionem directam, quæ eſt ſpeculatio, erit ergo cognitio propter ſpeculationem; ergo non poteſt eſſe cognitio practicæ, hæc enim, non eſt propter ſpeculationem. Deinde, ſi actus intellectus, quatenus per aliū actum eiuſdem potentiæ dirigitur, & regulatur, eſſet praxis, pertineret vtiq;, ad ſcientiam practicam actiuam, non factiuam, vt patet: ſed ſcientia practica actiua verſatur circa actiones internas, quarum principium eſt electio vt vidimus ex Ariſt. 6. AEthicor. cap. 10. ergo primario, & propriè, electio praxis eſt, quæ eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu Si autem reſpectu operationis intellectus, quæ dirigitur, per accidens ſe habuerit electio, illa operatio intellectus non erit praxis; quia ad Logicā directionē vt ſic, ſicut per accidens ſe habet moralitas, ſic etiā per accidens ſe habet electio ergo, &c. præcipuè, quia ſiue dirigeretur operatio neceſſario, ſiue libere, hoc per accidens eſſet, ad rectā directionē intellectus, vt Logici eſt: actus ergo intellectus, vt dirigibilis, nō moraliter, ſed intelligi-

Digitized by Google

ligibiliter ex Ariſt. praxis eſſe non poteſt; & confirmatur ex ipſo.6.Meth.cap.1.vbi diſtinguens ſcientiam practicam, in actiuam, & factiuam, ait. *Idem eſſe agibile quod eligibile*: ratio ergo praxis reſpectu ſcientiæ actiuæ, eſt eligibilitas, non vero quæuis intellectualis dirigibilitas. Hoc ipſum habemus ex S.Tho. 1.2.q.57.ar.1. ad primum, vbi ſic ait: *Practicum, vel operatiuum, quod diuiditur contra ſpeculatiuum, ſumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinē habitus ſpeculatiuus, ſed tantum ad interius opus intellectus, quod eſt ſpeculari verum*; vbi nomine operis externi, intelligunt Cōmentatores, non ſolū exterius, quod tranſit in materiam externam, ſed intelligitur (inquit Conradus) omnis actus alterius potentiæ; concluditq; ex alio loco S.Tho. ſic. Habetur ergo, quod actus intellectus non eſt praxis, ſed opus exterius, ideſt alterius potentiæ cadens ſub electione, & conſilio: quare Logica eſt ſpeculatiua. Hæc Conradus. Et in eadem q.ar.3.ad tertiū inquit, etiā in ipſis ſpeculabilibus eſt aliquid, per modum cuiuſdā operis (puta conſtructio ſyllogiſmi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi, vel menſurādi) & ideo, quicumq; ad huiuſmodi opera rationis, habitus ſpeculatiui ordinantur, dicuntur, per quandam ſimilitudinem artes. Vbi expreſſe habemus, non eſſe contra rationem habitus ſpeculatiui, ordinari ad opus, ſi hoc opus rationis ſit; neque conſtructionem ſyllogiſmi; habere rationem praxis. Propter quæ Capreolus in prologo ſententiarum, quæſtion.2.ad primum, hanc opinionem tribuit Sanct. Thomæ.

Plures rationes in cōfirmationem prædictæ definitionis quoad hanc partem, ſcilicet, quod praxis ſit operatio alterius potentiæ ab intellectu, ex dictis, facili negotio ellici poſſunt. Solum addo, aliud eſſe aliquē actū eſſe praxim, aliud vero eſſe practicum. Illa actio praxis eſt, quæ ex ſe habet, quod nō ſit veritatis cognitio ſed opus ab illa diſtinctū, eſſe autem practicum, poteſt conuenire etiam operationi, quæ non eſt praxis: ſi tamen ordinetur ad illam; ſicut intellectus practicus eſt, non tamen praxis. Eodem modo, cognitio veritatis ab illo procedēs nunquā eſt praxis, licèt ſi ad praxim ordinetur, practicæ rationem poſſit induere. Ex quo deducitur ratio a priori, quā tetigit Soto q. 4. procemiali Logicæ, nec ſatis expendit

Digitized by Google

Suarez loco citato. Eſt tamen huiuſmodi. Nulla cognitio veritatis poteſt eſſe praxis, neq; habere rationem practicæ, niſi vt ordinatur ad praxim, ergo cognitio, quæ ordinatur præciſſe ad aliam cognitionem, neq; praxis eſt, neq; practica: patet conſequentia: quia hoc ipſo, quod vtraq; eſt cognitio, nulla eſt praxis, hoc ipſo, quòd nulla eſt praxis, ordo ad illam non facit practicum. Secundo quia de ratione ſpeculationis, ſolū eſt, quòd ſit propter cognitionem, non vero quod ſit propter eandem cognitionē: gratis enim additur rationi ſpeculationis, identitas illa, *cognitionis*, ergo eſſe propter aliam cognitionem, dummodo in cognitione ſiſtat, ſpeculatio eſt, non praxis. Oportet igitur praxim eſſe operationem alterius potentiæ ab intellectu; per quòd omnia, quę adducit Suarez, ſoluta ſunt, vt inſpicienti patebit. Cæteras autem particulas definitionis, non expedit modo, nec vacat examinare; ad rem enim, de qua nunc agimus, parum conducunt. Et licet ex dictis omnes ſententiæ, quæ Logicā non conſtituunt ſimpliciter ſpeculatiuam, impugnatæ maneant, & quæ illam aſſerit ſpeculatiuā eſſe, ſatis cōfirmata; breuiter tamē eas adducamus.

Prima igitur ſententia eſt, aſſerens, ſimpliciter & abſolute Logicam eſſe ſcientiam practicam, & nullo modo ſpeculatiuam. Sic Gabriel in prologo ſententiarum, q. 10. Greg. ibidem, q. 5. Iandunus 6. Meth. q. 3. Aureolus apud Capreolum, q. 2. prologi con. 4. Scaliger 1. lib. de ſubtilit. exercit. 1. nu. 8. & exercit. 127. nu. 23. Fonſeca 2. Meth. c. 3. Mathiſius in Logicam cap. 5. Paulus Venet. in proœmio Logicæ, dub. 2. Bernardus Mirandulanus, in ſua Logica. Monlorius præfat. librorum de priori Analyſi. Conimbricenſe Collegium, q. 4. proœmiali, ar. 5. citans Franciſcum Suarez, qui tamen, licet in doctrina, quam de praxi tradit videatur huic ſententiæ fauere, in fine tamen diſputationis. 44. magis fauet ſentētijs alijs adducendis. Videtur autem hæc ſententia eſſe Ariſ. qui 6. Meth. cap. 1. ſpeculatiuam ſcientiam, in Phiſicā, Mathematicam, & Metaphiſicā diuidens, Logicæ nullam mentionem facit. Ratione probatur primo, Logica habet pro obiecto, quid operabile, neq; in illius ſiſtit ſpeculatione, ſed tradit præcepta exercendi illud, ergo reſpicit illud operabiliter, ac per conſequens practica eſt. Secundo, habitus dirigens actiones voluntatis eſt prac-

practicus, ergo, & dirigens actiones intellectus; quod enim res directa, & operata ſit actus intellectus, vel voluntatis, non eſt ſufficiens ratio, vt altera ſcientia practica, altera ſpeculatiua cenſeatur. Præcipuè, quia Prudentia, eſt habitus practicus, & cum ſit omnium directiua virtutum, etiam dirigit operationes aliquas intellectus, qui ad virtutes pertinent: immo conſultatio & præceptum, quæ ſunt actus prudentiæ, actus intellectus ſunt, vt cum S. Tho. tenet communis opinio: Ergo, quòd Logica dirigat operationes intellectus non obſtat, quominus Logica practica ſcientia ſit.

Tertio. Habitus ſpeculatiuus, eſt propter ſe (vt inquit Philoſophus 1. Meth. cap. 2.) ſed Logica nō eſt propter ſe, ſed propter alias ſcientias, ergo non eſt ſpeculatiua.

Secunda ſententia, abſolute docet Logicam eſſe ſpeculatiuam. Hæc ſententia, plura habet in Ariſt. fundamenta, vt conſtare poteſt ex his, quæ in ſecundo notabili pro definitione praxis adducta ſunt. Eſt expreſſa S. Thomæ citatis locis, præcipuè. 1. 2. q. 57. ar. 3. ad tertium: fauet Opuſculo ſuper Boecium de Trinitate, q. 3. ar. 1. eam docet D. Aug. 8. lib. de Ciuitate Dei cap. 4. Dialecticam inter ſpeculatiuas ſcientias connumerans, Scotus in prologo ſententiarum, q. 4. Capreolus ibidem, q. 2. ad. 1. Aureoli contra 4. conc. Bachonus, q. 3. Antonius Andræas. 6. Meth. q. 3. Iabellus. q. 7. Sonzinas, q. 6. Flandrenſis. 1. Meth. q. 8. Herbeus quod libeto 1. q. 3. Auicena initio ſuæ Logicæ cap. 1. Aberroes. 7. Meth. commento. 7. Conradus iam citatus. Sotus. q. 4. procœmiali, & Tolet. ibidem. Fauet Suarez in fine diſputat. 44: ipſammet (inquiens) directionem, magis facit Logica, ſpeculando naturā, quàm practicè inſtruendo, &c. Ariſt. etiam (teſte Laertio in vita ipſius, lib. 5. de vitis Philoſophorum) Philoſophiā diuiſit, in actiuam, & contemplatiuam, & deinde contemplatiuam, in Phiſicam, & Logicam eſt partitus. Hæc ſentētia probari poteſt, ex dictis, primo a priori, quia opus, quod Dialectica dirigit, eſt opus intellectus, & ſpeculatio, ſatis enim oſtenſum eſt operationē intellectus non eſſe praxim, ſed de ratione ſcientiæ practicæ eſt, quòd circa praxim verſetur; ergo Logica non eſt ſciētia practica, ſed ſpeculatiua. Secundo, quia ſi eſſet practica eſſet actiua, factiuam enim, quæ verſatur circa opera externa, nō eſſe apertum eſt, ſed

non

Digitized by Google

non eſt actiua, quia huius principium, debet eſſe electio, vt vidimus ex Ariſt. principium vero, operum Dialecticorum, non eſt electio, ſed intellectio electioq; & libertas accidit illi, ergo. Tertio, ſcientiæ ſpeculatiuæ finis eſt veritas, practicæ opus, ſed finis Logicæ eſt veritas, quia tam dirigens quã directa operatio, eſt cognitio veritatis, ergo eſt ſpeculatiua. Quarto, nam Geometria, Aſtrologia, & Mathematicæ, ſciẽtiæ ſpeculatiuæ ſunt, vt ex Ariſto. vidimus, & adducunt Authores oppoſiti pro ſua ſententia; & tamẽ non eſt contra hãc ſpeculationem, quod aliquid operentur nimirum triangulũ, Aſtrolabium, & his ſimilia, opus etiã numerandi, vel mẽſurandi illarum eſt, & tamen quia hæc ordinantur ad cognitionem veritatis, non eſt contra rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ, ergo cum Logica, non ſolum omnia ordinet, ad cognitionem veritatis, ſed ipſum opus quod dirigit, cognitio veritatis ſit, haud dubie ſpeculatiua ſcientia erit. Adde, nominis AEthimologiam Eſt enim cognitio Logicæ *ſpecu latens*, manet enim in ſpecu potẽtiæ ſuæ, non ſolum immanẽtia Phiſica, ſed immanẽtia ordinationis, neq; enim ordinatur ad opus aliud extra intellectũ ergo

Tertia ſententia Logicam practicam ſimul & ſpeculatiuã conſtituit. Practicã, quia dirigit, ſpeculatiuam, quia dirigit opus intellectus. Practicã, quia procedit modo compoſitorio, & tradit regulas cõficiẽdi, inſtrumenta ſciendi; ſpeculatiuã, quia procedit modo reſolutorio, ſubiectũ ſcilicet, & eius naturam explicãdo, reſoluendo etiam, aut reducendo, concluſsiones, vſq; ad prima principia. Hanc ſententiam ſequũtur aliqui ex Nominalibus teſte Ayal. ſuper prędicabilia: tetigit Suar. in fine citatæ diſputationis, docuit Gabr. Vazquez tomo. 1. in 1. par. S. Tho. diſp. 9. c. 2. n. 1. & ex recẽtioribus nonnulli. Probant primo, quia Logica proponit naturã ſui obiecti, & eam ſpeculatur, procedit modo reſolutorio, qui ex ſe ordinatur ad ſpeculationem: eſt ergo ſpeculatiua. Eſt etiam practica; quia procedit modo compoſitorio, tradens regulas operandi, & componendi, ac inſtrumenta ſciendi; ergo eſt practica. Cum enim modus compoſitorius ſit de eſſentia ſcientiæ practicæ, non poteſt reperiri in aliqua ſcientia, quin eam practicam cõſtituat, eſt ergo practica, & ſpeculatiua. Secundo, quia Logica eſt ianua, per quam ad reliquas ſcientias ingreditur, & quaſi

Digitized by Google

& quaſi organum,& inſtrumẽtum,eas acquirendi,ſed ſcientiæ,aliæ ſunt ſpeculatiuæ,aliæ practicæ,ergo neceſſe eſt Dialecticam, vtramq; rationem habere, practicæ quidem, vt introducat ad practicas, & ſpeculatiuæ,vt viam ſpeculatiuis aperiat.Sed hęc poſterior ſententia meo iuditio omnino falſa eſt.Poteſt autem tripliciter intelligi. Primo, quod ſit duplex habitus Logicæ eſſentialiter diuerſus,alter ſpeculatiuus;alter practicus. Secũdo, quod licet Logica ſit vna ſciẽtia,& non practica,& ſpeculatiua formaliter:has tamẽduas rationes eminenter contineat eo quod nobiliſsimo modo vtriuſq; ſcientiæ munera exequatur. Tertio,quod etiam ſi ſit vnus habitus,formaliter tamen vtramque perfectionem complectatur. Quocumq; autem modo, hæc ſententia explicetur,omnino falſa eſt.Primus modus, & duas Logicas conſtituit, quod omnes negant, & alteram facit ſcientiam practicam,quod omnino repugnat Logicæ, verſatur enim circa operationes intellectus ſiſtens in illis: qua ratione, non poſſunt habere rationem praxis, neque operationum practicarum; vt ſatis oſtenſum eſt: Secundus modus, etiam eſt falſus,tum quia Logica vt aperte oſtendit ſecunda ſententia, habet ea, quæ formaliter requiruntur ad rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ,nec poteſt eſſe practica, cum circa praxim non verſetur, illa ergo eminentia Logicæ fictitia eſt. Tum ſecundo, quia rationes formales eleuatæ ad naturam aliquam, in qua eminenter continentur, ſunt ibi nobiliori modo,quam in proprijs naturis, vbi reperiuntur formaliter, exercentque perfectius illarum formalitatum officia, vt patet in Deo, eminenter continente perfectiones creaturarum:& in anima rationali;quæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ formæ munera perfectius exequitur: ergo ſi Dialectica, eſſet eminenter practica, & ſpeculatiua,perfectiſsimo modo eſſet vtrumque. At a ratione perfectæ practicæ, immo, & practicæ abſolutè deficere ſatis probant ea, quæ adducta ſunt, & a ratione perfectæ ſpeculatiuæ etiam deficere oſtendunt, quæ pro prima ſententia adducuntur. Quæ ergo eſt hæc eminentia? Sed tertius modus, quem videntur amplecti hi recentiores, neſcio an ſpeciẽ probabilitatis habeat. Primo,quia practicũ, & ſpeculatiuum,

tiuū, adæquatè diuidunt ſcientiam, vt fatentur ipſi, ergo ſunt primo diuerſa, nec poſſunt in aliqua ratione communi conuenire, aliàs nō eſſent verè differentiæ, ſicut, quia rationale, & irrationale, adæquatè diuidunt animal, non poteſt dari animal formaliter rationale, & irrationale. Secundo, quia vel ſcientia illa ſiſtit in cognitione veritatis, vel hanc ordinat ad opus aliud, vltimate: ſi ſiſtit, ſpeculatiua eſt: ſi non ſiſtit, eſt practica: impoſsibile autem eſt, ſiſtere, & non ſiſtere, eſt enim contradictio: ergo impoſsibile eſt, eſſe practicam & ſpeculatiuam. Vrgeo ſic, vel ideo reſoluit Logica, vt componat, vel ideo componit, vt reſoluat, vel vtrumq; diſparate exercet, ſi primum: erit practica, quia vltimate ſiſtit in compoſitione, & operatione, quæ per vos eſt praxis: ſi ſecundum eſt ſpeculatiua: ſi vtrumq; diſparate exercet, neque eſt practica, neq; ſpeculatiua, quia ad rationem practicæ requiritur, vt quicquid ab illa traditur, tandem in praxim reuocetur. Neq: ſpeculatiua: quia de ratione huius eſt, vt quicquid in ea traditur, tandem reducatur ad ſpeculationem; neq; pōterit cum hac diſparata tractatione ſcientia vna eſſe, quia conſiderat plura vt plura. Sed reſpondent primo, quod modus compoſitorius, ordinatur ad ſpeculationem, & ſpeculatio ad modum compoſitoriū. At hic (vt patet) circulus vitioſus eſt, neque aliquam rationem vnam, & vltimam conſtituit, ac proinde, nec vnā ſcientiam. Reſpondent ſecundo, rationes practici & ſpeculatiui, eſſe inadæquatas reſpectu Logicæ contentæ ſub adæquata, & ſuperiori ratione, perfecte cognoſcendi naturam modi ſciendi. Sed hic, plura inuoluūt & falſa, & ipſiſmet opinātibus aduerſa. Primo concedamus hanc adæquatam, & ſuperiorem rationem. Si hæc ratio eſt perfecte cognoſcendi, ſiſtet Logica in cognitione veritatis: ac proinde erit ſpeculatiua. Neq; in hac perfecta ratione cognoſcendi, poteſt, aut debet exprimi modus compoſitorius, iam enim hæc ratio & erit plures, nempe cognitio, & compoſitio, & non erit ſuperior, ſed ipſæmet duæ inadęquatæ. Secundo, vel illæ duæ rationes, dicuntur in adæquatæ reſpectu Logicæ, quia vna, vni tantum parti Logicæ comparatur, & altera alteri, vel quia conueniunt toti Logicæ; ſed quia conuenit vtraq;, quælibet dicitur partialis. Primum non dicunt, concedunt enim per totam Logicam diuagari, & mo-

Digitized by Google

& modum reſolutorium, & cō poſitorium, ſecundum autem dici non poteſt, quia ſi vtraque conuenit toti, vel ex ęquo & diſparate, vel ſubordinate, ſi ex æquo & diſparate, nec ſub vna ratione ſub qua conuenientes, non poterunt dare vnitatem ſcientiæ; immo quæ libet erit adæquata ratio, cū neutra cum alia componat: ſi vero ſubordinate, & ſub vna ratione ſub qua, ratio illa, quæ fuerit ratio vltima, & finis alterius, ſpeciem dabit ſcientiæ; ac tandem quia ratio illa ſub qua, quæ vna eſſe debet, vel eſt cognitio veritatis, vel operabilitas (vtraque enim eſſe non poteſt) ſi ſit cognitio veritatis tantum, eſt ſpeculatio: ſi non ſit tantum, iam erit praxis, neque poteſt effugium aliquod inueniri; etenim ratio illa quantumuis aſſeras eſſe eminentem, & ſuperiorem, cum ſit ratio ſpecificans habitum intellectualem, qui ſpecificatur per actus, & actus ſit cognitio veritatis, debet neceſſario, vel in veritate ſiſtere, vel non ſiſtere: ſi ſiſtat in cognitione veritatis, eſt ſpeculatio: ſi non ſiſtat, eſt praxis: impoſsibilis ergo eſt illa ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ ſimul coniunctio: quod autem de Theologia obijci poſſet, nūc non vacat examinare. Videatur Gregorius de Valentia, qui recte hanc difficultatem abſoluit 1. p. diſp. 1. q. 1. puncto 3. & ipſius puncti, q. 4. ex quo habebis & Theologiā non conuenire cum ſcientijs practicis, adhuc in genere proximo ſcientifici habitus, cum non poſsit ellicere aſſenſum euidentem: nam aſſenſus Theologus debet reſolui in duas, aut ſaltim in vnam propoſitionem fidei, quæ eſt obſcura. Deinde, ſolum dicitur practica, per quandam analogiam, eo quod agit aliquo modo de re operabili, conſiderans operationes noſtras liberas, & morales, non quidem primo, & per ſe, ſed ſecundario, tanquam de obiecto quodam ordinato tandem ad perfectam cognitionem ſui obiecti formalis, quod eſt Deus: ac proinde agit per ſe primo de obiecto ſpeculabili, ſed hoc altioris negotij eſt. Hæc ſufficiant. Videatur prædict. Greg. qui optime explicat S. Thomam.

Ex his tribus ſentētijs, ſecūda omnino vera eſt, tātum addo poſſe ex Ariſt. 6, Meth. tex. 1. & 2. & deinceps, quatuor colligi ſciētiæ differētias, quæ ſub his duabus, practica, & ſpeculatiua cōprehēdūtur, ſub practica actiua, & factiua de quibus iā; ſub ſpeculatiua, Theorica,

Digitized by Google

& ſpeculatiua quæ nomen cõmune retinet. Theorica dicitur quæ nullo modo ordinat, aut dirigit opus vllum. Speculatiua eſt, quæ aliquid operis, ſcilicet intellectualis admittit. Dicendum ergo eſt Logicam non eſſe omnino, & in rigore Theoricam, eſſe tamen proprie ſpeculatiuam.

Argumenta facilem habent ſolutionẽ. Ad primum primę ſententiæ reſpõdetur Ariſt. ibi diuiſiſſe, non omnem ſcientiã ſpeculatiuam, ſed ſcientiam realem, prout diſtinguitur a ſermotionali, rationali, & morali: & ideo nullam Logicæ feciſſe mentionem. Vel ſecundo reſpõdetur, ibi diuiſiſſe ſciẽtiam Theoricã, & talis non eſt Logica. Ad primam rationẽ reſpondetur facile, de ratione ſcientiæ practicæ eſſe, quod habeat pro obiecto aliquid operabile extra intellectum, & quod praxis rationem poſsit habere. Hoc autem, non habet Logica. Per quod patet ad omnia: illud enim quod de Prudentia dicitur, fatemur eſſe practicam, hoc tamen, quia per ſe, primo, non eſt directiua, niſi actuum, & operationum voluntatis, operationes autem intellectus, non dirigit, niſi quatenus liberæ ſunt, & a voluntate pendent, vt tradit S. Tho. 2. 2. q. 47. Quod autem Logica ſit vtilis ad alias ſcientias, non tollit, quin per ſe, ſit expetibilis: perficit enim intellectum, illumq, dirigit ad veritatem aſſequendam.

Ad tertiæ ſentẽtiæ primam rationem, reſpondetur primo, Compoſitionem illam, & reſolutionem Logicæ, non habere rationem praxis, & proinde non poſſe conſtituere ſcientiã practicam vllo modo. Secundo reſpondetur, tãdem in cognitionem veritatis omnia ordinari, ibiq; ſiſtere; ac proinde eſſe ſpeculatiuam tantum. De quo ſatis in impugnatione iſtius ſententiæ. Ad ſecundã reſpondetur. Logicam non eſſe ianuam ſcientiæ practicæ, vt practica eſt, ſed vt ſcientia eſt, ideſt vt ſcientificè procedat. In quo conueniunt tam ſcientia practica, quam ſpeculatiua. Quod autem ſcientiæ, ſecũdum rationem vltimam procedant practicè, vel ſpeculatiuè, hoc non attinet ad Logicã: ac proinde non oportet, in illa rationem practicæ conſtituere.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO II.

De Logica in ordine ad alias ſcientias.

POſtquam præcedenti diſputatione, de natura, & eſſentia Logicæ ſecundum ſe, diſſeruimus: explicemus oportet modo, qua ratione ad alias ſcientias ſit neceſſaria, & quia neceſſarium dupliciter ſumi poteſt, & ſimpliciter, ſine quo, abſolutè finis talis conſequi nequit: ſicut dicitur oculus neceſſarius ad videndum, & ſecundum quid, quod alio nomine vtile dicitur: ſicut dicitur equus neceſſarius ad iter. Dicemus primo de Logica, quatenus 1. modó eſt neceſſaria; de eādē, quatenus vtilis eſt 2. loco dicturi.

QVÆSTIO .I.

Utrum Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias.

SVppoſita ex iam dictis, Logicæ diuiſsione in naturalem, & artificialem: de naturali, nullus eſt qui dubitet, eſſe ad alias ſcientias ſimpliciter neceſſariam. De artificiali ergo tātum procedit quæſtio. In qua re, non video authorē, qui Logicæ neceſsitatē abſolute neget præter quendā Eraſiſtrū, de quo poſtea. Opinio enim Ianduni 2. Meth. q. 3. & Iabelli in ſua Logica, trac. 1. c. 4. aſſerentiū Logicā non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias, quæ hic ſolet adduci tanquā contraria, & reijciēda, decisſioni huius quæſtionis quā omnes tradunt, noſq; tra- demus nō contradicit. Immo argumenta quæ pro ea adduci ſolent, noſtras confirmabūt concluſiones.

Dico ergo primo Logica, non

non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias, ſumpta ſciẽtia pro habitu ſolo, per quamlibet demonſtrationem acquiſito; & in eſſe imperfecto. Præcipuè tamen procedit hæc cõcluſsio in ſcientijs, in quibus intellectus, imperfecto, & non ita exacto modo procedit: ſcilicet tantum docendo ita eſſe hoc vel illud; quia ſic rei claritas, aut authoritas exigit, vt in Iuris peritia & Mechanicis artibus. Probatur ergo concluſſio. Quia Philoſophiam morũ, fertur Socratem abſq; Dialectica fuiſſe conſequutum, & Hipocratẽ in arte medendi fuiſſe peritum; vtrumq; etiam ius, Ciuile, & Canonicũ videmus ab aliquibus, etiam ſine Dialectica comparari. Secũdo poteſt cõfirmari authoritate Platonis, qui ante omnem ſcientiam, etiam ante Dialecticam, Mathematicas edocebat. In cuius ſchola ſcriptum fuiſſe fertur. *Nemo Geometriæ ignarus huc ingrediatur.*

Ratione probatur primo, ſcientia in ſenſu dicto, tantum denotat cognitionem concluſionum per ſua prima & immediata principia, ſeu cauſas, authore Ariſt. 1. poſt. cap. 2. ſed id poſſumus ſine Logica, lumine naturali ducti cognoſcere, ergo illa non eſt neceſſaria. Minor probatur. Quia veteres ante Ariſtotelem obſeruantes eclipſim Lunæ, cognouerunt illam, per ſuam cauſam: ſcilicet, per interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam: quæ eſt vera, & legitima huius effectus cauſa. Secundo intellectus poteſt conficere demonſtrationem, ſine Dialectica artificiali: ergo poteſt habere ſcientiam. Conſequentia euidens eſt. Antecedens probatur. Quia homo ſecundum Logicam naturalem diſcurſiuus eſt, poteſt ergo ex vno principio cognito, aliud deducere; ergo ſicut poteſt id, quod tantum probabiliter ſequitur, per diſcurſum ſeu ſyllogiſmum probabilem deducere, poterit etiam, id quod neceſſario ſequitur per ſyllogiſmum, ſeu diſcurſum neceſſarium, atque adeo per demonſtrationem ellicere. Tertio denique, quia ars & omnes alij habitus naturales, nõ dantur ad ſimpliciter operandum, ſed tantum ad facilius operandum, ergo quodlibet opus intellectus factum per artem, poterit ſimpliciter per intellectum fieri, licet ſine habitu, rarò & difficiliter.

Dico ſecũdo. Dialectica eſt ſimpliciter neceſſaria ad acquirẽdas reliquas ſciẽtias, perfecte, & ſine errore. Vnde id quod dictum eſt in præcedenti con-

Digitized by Google

concluſione nõnullos, aliquas ſcientias didiciſſe ſine Logica, ſecundum hanc concluſionem eſt intelligendum. Neq; enim illas ſine errore perfecte, & facile ſine Logica credendum eſt didiciſſe. Hoc docuit, Ariſt. 1. Phiſicorũ cap. 2. vbi veteres, propter Dialecticæ ignorantiam, in multos aſſerit fuiſſe errores prolapſos. Profitetur etiam noſtram cõcluſionem apertiſsimè D. Auguſtinus, 2. libr. de ordine, c. 13 vbi: *Diſciplina*, inquit, *Diſciplinarum, quam Dialecticã vocant, hæc docet docere, hæc docet diſcere: in hac ſe ipſam ratio demonſtrat, atq; aperit: ſcit ſcire: ſola ſcientes facere, non ſolum vult, ſed etiam poteſt.* Galenus etiam, in libro an ſanguis contineatur in arterijs: Hoc argumento acuto confirmat noſtram concluſionem, aduerſus Eraſiſtrum Dialecticæ neceſsitatem negantem dicens: Aut ex quolibet ſequitur quodlibet, aut non, ſi ſequitur, ſic argumentor Cygni ſunt albi, Corui ſunt nigri; ergo Eraſiſtrus eſt ſtultus. Si non ſequitur; ergo neceſſaria erit ars, quæ me doceat, quando aliquid ſequitur ex aliquo, & quãdo non. Plato hoc magis exagerat. 7. de Republic. dicens: *Impoſsibile eſt, intellectum ſine Dialectica, exactè rẽ aliquam attingere*. tenent etiam hanc ſentẽtiam Iamblicus Epiſtola ad Soſipatrum. Alexand. Aphrodiſeus in prologo. Top. D. Thom. Opuſcu. 58. & 70. & in 1. poſt. vbi etiã Ægidus. Albertus Mag. tract. 1. Logicæ cap. 3. Boecius, Tolet. Oña, & alij

Ratione probatur. 1. quia habere perfecte ſcientiam eſt, poſſe facile, & expedite, pro libito, ac ſine errore prædictos actus exercere, ſed qui caret Logica, & modum, quo demonſtratio facienda eſt non calet, facile, expedite, & ſine errore, quoties voluerit, demonſtrare nequit: Immò ſi aliquando rectè demonſtrauerit, id caſu eueniet: ergo nõ habet perfecte ſcientiam. Secundo, quia impoſsibile eſt, intellectum non ſolum omnes concluſiones omnium ſcientiarum, ſine Dialecticæ arte, ſed neq; omnes cuiuſuis ſcientiæ collectiuè ſumptas, perfecte, & ſcientifice cognoſcere: licet, vnam vel aliam poſsit ſeorſum. Sunt enim fere innumeræ cuiuſuis ſcientiæ concluſiones: multæ in eorum aſſequutione occurrunt dificultates, ex quibus errandi oriũtur pericula non parua: erit ergo im poſsibile moraliter, ſine dirigente Logica, ſemper perfecte, & ſine errore, intellectũ

Digitized by Google

in earum acquiſitione, & cognitione procederem. Sicut enim cæcus, immo videns etiam (vt ſic intellectui, qui cæcus non eſt, comparetur) ſi ignoret viam V.g. quæ Romam ducit, licet in hoc vel in illo progreſſu partiali, ſeorſum ſumpto, poſsit non errare, moraliter tamen eſt impoſsibile, quod in omni illo itinere à recto tramite, non aberret: ita intellectus (licet non ſit cæcus) cum ignorans ſit (eſt enim tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictũ) ſi in via, quę ducit ad ſcientias, ſine logica duce gradiatur, veritatem ſemper præcipue ſciẽtificam tenere non poterit.

Poteſt tamen hoc, tertio, & vltimo confirmari experiẽtia: nullum enim vnquam vidimus Dialecticæ ignarum, in virum conſummatum in alijs ſcientijs euaſiſſe: ipſius autem præſidio, ad multarũ ſcientiarum perueniſſe faſtigia nouimus multos, Vt de D. Auguſtino, de Theologia & Philoſophia maxime benemerito, Poſsidonius in eius vita, & alij ſolius aſſerunt Dialecticæ fuiſſe diſcipulum: alias autem ſcientias, hac ſola magiſtra, ſine magiſtro didiciſſe: quod ex ſequenti quæſt. conſtabit magis.

Neque obſtat Primo, artificialem Dialecticam perfecte cum ſola naturali fuiſſe inuentam: quod proinde de alijs ſcientijs, cuius eſt inuentio facilior dici poſſet. Nõ in quã obſtat. 1. quia inter Logicam, & alias ſcientias, latum eſt diſcrimen: eſt enim quaſi Dialecticæ ipſi, proprius ſciẽdi modus, ac proinde, præter lumen naturæ, alio ſciendi modo nõ indiget: aliàs daretur proceſſus in infinitum. Alię verò ſciẽtiæ, cum alicuius modi ſciẽdi adiumento debeant acquiri, præter naturale lumen, artificiali egent Logica, qua adiuuante, facilior eſt aliarum ſcientiarum inuentio. Secundo, quia ſi de Dialectica ſecũdum ſe totam loquamur, vna pars illius lumine naturæ ad inuenta, ad aliam perfectè inueniendam, plurimum, abſq; dubio conduxit, vt iam dixi. Vnde ſecundom iſtam rationem, ipſa Logica, quodammodo ad ſe ipſam eſt neceſſaria.

Neque obſtat ſecundo, naturã arte eſſe perfectiorem in ſuis operationibus, ſed id quod eſt perfectius, non poteſt perfici per artem, quæ eſt quid imperfectius; ergo Logica naturalis de ſe diſcurſiua, non perficitur per artificialẽ. Reſpondetur 1. negando hanc conſequentiam, quia id, quod

eſt

eſt perfectius, ſimul cum eo quod eſt imperfectius, poteſt perfectius operari, vt patet in fabrilignario, cuius manus, perfectius cum ſerra & dolabro; quam ſine illis, & cum perfectiori ſerra perfectius operatur. Poteſt reſponderi ſecundo antecedens illud eſſe intelligendum, in operationibus, quas ſemper natura eodem modo operatur, ad quas eſt quaſi neceſſario determinata: vt Solis illuminatio. Et ita in his nō poteſt perfici per artem, ſecus in alijs, quas non ſemper operatur eodem modo, ſed nunc ſic, nunc aliter, nunc perfecte, nunc minus perfecte, in quibus arte dirigi & perfici poſſe, non dubium eſt.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quod Logica ad alias ſcientias ſit vtiliſsima.

VACAT Hîc quęſtionis nomen. Huius enim veritatis vis, non patitur, vt ſub dubitationis titulo inquiratur. Quæ quidem veritas, licet ex præcedenti quæſtione ſufficienter maneat probata, hac tamen amplius confirmabitur. Quia (vt bene dixit Ammonius in præfatione ad prædicamenta:) *Qui incepturus quicquam eſt, quem fructum, quamue vtilitatem, ex illius rei tractione percepturus ſit, prius bene diſcat oportet: cognitio enim vtililtatis, ſtudij deſiderium alacritatemque inuehit auditori*. In cuius ſententiæ confirmationem, Mathæus Friſenius libr. 2. ſuper Rodulphum. capitul. 4. *Quemadmodum* (inquit) *gallus apud AEſopum, repertam a ſe gemmam, idcirco abijciendam arbitrabatur, quod, quæ virtus, aut quis vſus eſſet eius gemmæ ipſe neſciret: ita de Dialectica oportet, vt ante illius præcepta, quis ex illa ſperandus ſit fructus oſtendatur*. Vt ſic ab omnibus habeatur prætio, audiētesq; ad eam capeſſendam tantæ vtilitatis deſsiderio accendantur.

Et quidem Dialecticam ad omnes ſcientias eſſe vtiliſsimam, præterea quæ præcedēti quæſtione, dicta ſunt, quædā ipſius honorificæ appellationes ſimilitudinesq; in diuerſis repertæ authoribus id manifeſtant. Cicero enim vocat illam, *Scientiarū lumen*. Rodulphus *Ducem*, *&* *directricem*.

Digitized by Google

D. Auguſtin. *Iudicem*. Veteres illam comparabant Lydio lapidi, Stoyci, muro ciuitatis, ſæpi agri frugiferi, teſtæ oui, oſsibus, & neruis animalium, vt intelligamus in cæteris artibus Dialecticam, id prodeſſe, quod lumen ambulantibus per loca deuia, & incognita. Dux exercitui, Gubernator ciuitati, iudex litibus componendis, Lydius lapis, auri veri à falſo diſcretioni: denique, vt omnes alias, Logica velut muro defendi, velut oſsibus ſuſtentari, velut neruis tādem roborari, intelligatur.

Secundo in ſpeciali vtilem eſſe ad Theologiam, & Sacras literas præter ea, quæ in prologo huius operis dicta ſunt, probat denuo authoritas Auguſtin. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 31. & 32. his verbis: *Diſputationis diſciplina, id eſt Logica, ad omnium genera quæſtionum, quæ in literis ſacris ſunt penetranda, & diſoluenda, plurimum valet.*

Tertio ad Iuris prudentiā vtilem eſſe, abunde declarant verba Tulij, in libro de claris oratoribus, vbi cum Seruum Sulpicium in iure ciuili Principē conſtituiſſet: *Hoc*, inquit, *non feciſſet ipſius iuris ſciētiā, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret, rem vniuerſam diſtribuere in partes, latētē explicare*. Et cętera quæ late de Logicæ officijs ibi proſequitur. Quam etiam artem, in iuris cōſultis deſiderabat Craſſus.

Quarto, vtilem eſſe ad medicinam ex eo conſtat, quod neque ſine Dialectica Phiſica, neque ſine Phiſica Medicina, perfecte, aut ſciri, aut edoceri poteſt: iuxta cōmune illud aſſumptum. Vbi deſinit Phiſicus incipit Medicus. Quod etiam docuit Galenus. 5. de differentijs febrium, & de optima ſecta ad Traſibulum.

Tādem, ad oratoriam artē multum cōducere pręter Ariſtotel. 1. Reth. cap. 1. & Quintilianum, lib. 12. inſtitutionū, teſtatur ipſius artis Princeps Cicero, in multis locis, præcipue in libro de claris Oratoribus. Vt omnia deniq; vno verbo complectar, ſcientijs omnibus vtiliſsimā eſſe patet, quia in eis dantur definitiones, diuiſiones, & argumentationes, vel ſaltim aliquid horum: ad quæ tria, vtiliſsima eſt Dialectica, cum eorum accuratam tradat rationem. De quo qui plura deſiderat, videat Titelmanum in prologo apologetico pro Dialectica. Louanienſes in præfatione ſuorum commentariorum in Logicam. Extant etiam de hoc, nonnullæ ora-

orationes Angeli Policiani, Martini Dorpi, & Iacobi Sadoleti de laudibus Philoſophiæ.

Quod ſi obijcias: Quomodo ſancti ſæpe Dialecticã non ſolum inutilem, ſed etiam nociuam appellant. Reſpondetur primo, tãtũ improbare Sophiſticę artis exercitium: *Qui enim Sophiſtice loquitur odibilis eſt, & in omni re defraudabitur, vt dicitur Eccleſ. 37.* Non vero docere quomodo a ſophiſmatibus ſit cauendum, quod pręcipue intendit Logica. Secundo reſpondetur, tantũ damnare abuſſũ eius, & eos qui Dialectica inflati, Dialecticis præceptis, ad impugnandã veritatẽ, abutuntur. Melius tertio dici poteſt, eos in rebus fidei maximam ratiotinationẽ, diligẽtemq; iuxta rerũ naturalium inquiſitionem improbare, hoc enim in fidei rebus, quæ ſupra naturã ſunt, lumenq; naturale tranſcendunt, & indignũ, & periculoſum eſſe quis dubitat? & hęc de proœmialibus.

DISPVTATIO III.

De ente rationis & de ſecundis intentionibus.

LICET De ente rationis, quod veluti vmbra entis realis eſt, nec per ſeſe intelligibile, ſed per aliquã analogiã, & coniunctionẽ ad ens reale, agat Methaphiſicus, cuius eſt ens reale vt ſic, conſiderare: & ex conſequenti vmbram eius: nihilominus ad Logicum etiam tractatio entium rationis ſpectat, quatenus eorum cognitio, rectę directioni operationũ intellectus deſeruire poteſt. Etenim, res ſub his denominationibus rationis melius percipiuntur, cómodiuſq; definitionibus, diuiſſionibus, & argumẽtationibus applicãtur: vt ex dictis cõſtat; & ex dicendis patebit. Acturi igitur in ſequẽtibus, de quinq; vniuerſalibus ſuper Porphirium, quia relatio vniuerſalis communi omnium conſenſũ, inter entia rationum numeratur, nullaque ſpecies abſq; ſui generis cognitione perfecte dignoſcitur: neceſſum eſt, tractationi de vniuerſalibus, hãc de ente rationis in communi diſputationem præmittere.

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

Quid ſit, & an ſit ens rationis.

PRius in titulo quæſtionis, quid ſit, quã an ſit inquiro, quia non poteſt entiũ rationis exiſtentia, aut poſsibilitas, recte probari, niſi prius, quid eorum nomine intelligamus ſtatuerimus. Pro cuius explicatione, ſuppono ex D. Thom. opuſ. 48. tract. 2. cap. 1. Ens rationis ſic in cõmuni eſſe illud, quod ordinẽ ad rationem dicit. Hic autẽ ordo poteſt intelligi multiplex. 1. ad rationem, tanquam ad verã cauſam efficientẽ, & ſic ens rationis dicitur verus, & realis effectus à ratione productus: ſicut habitus, & actus intellectus, qui vere, entia realia ſunt; alia eſt habitudo ad rationem, vt ad ſubiectum inhæſionis: qua ratione, ijdem actus, & habitus intellectus, cum immanentes ſint, in eadẽ ſubiectantur potentia, à qua efficiuntur. Tertio modo dicitur aliquid pertinere ad rationem obiectiue, non quia cognitio fit per quandam aſsimilationem, & quaſi attractionẽ rei cognitæ, ad cognoſcentẽ, dicitur res cognita, in cognoſcente eſſe, non ſolum inhæſiue, per ſuam imaginem, ſed etiam obiectiue, ſecundum ſe ipſam, quia ſecundũ ſeipſam vere cognoſcitur. Eorum autem quæ obiectiue ſunt in intellectu, ad huc duplex genus eſt. Quædam enim habent quidem eſſe obiectiue cum mẽte concipiuntur, ſed præter illud habent in ſe verum eſſe reale, quod intellectui obijcitur. Quædam vero, nullũ aliud eſſe habent, quam obijci intellectui; ita vt eorum apprehẽſione ceſſante, protinus euaneſcant; & hoc propriſsime vocatur ens rationis: quia eſt in ratione obiectiue, nec habet aliũ nobiliorẽ eſſendi modum, vnde poſsit ens appellari cætera enim quæ diximus, ordinem dicere ad rationem, cũ vere in ſe habeant aliquod verum eſſe & reale, determinatæ naturæ, & ſpeciei; ab hoc intrinſeco eſſe denominationem accipiunt, nec illam ab illo rationis ordine mutuantur.

Hinc iã colligitur primus modus explicãdi quid ſit ens rationis. Eſt enim ens quodã, quod tantum habet eſſe obiectiue in intellectu: id eſt, quod nullum aliud habet eſſe, quã ab intellectu, per modum alicuius entis cognoſci. In quo ab ente reali diſtinguitur, quod quidem habet eſſe in ſe

ipſo

ipſo. Secundus explicandi modus poteſt eſſe, quod ens rationis, ſit illud, quod conſequitur rem, eamq; denominat ſecundũ quod habet eſſe in intellectu, verbi gratia ad hominẽ ſeu naturam humanam, vt habet eſſe obiectiue in intellectu, ſecundum quod abſtrahitur à conditionibus indiuiduantibus, & in ordine ad ſua inferiora, Petrum ſcilicet & Paulum, cæteraq; indiuidua, concipitur, ſequitur indifferẽtia, & habitudo quędã, ad ſua inferiora, quæ cũ non conueniat illi vt à parte rei, ſed vt tali modo ab intellectu cognita eſt, dicitur relatio, aut ens rationis: eamq; nomine rationis denominat, verbi gratia ſpeciem. Tertio explicari poteſt ens rationis eſſe illud, quod cum à parte rei nihil ſit, ab intellectu percipitur per modũ entis, quaſi aliquid eſſet: cæcitas enim verbi gratia, & quæuis alia priuatio, quæ à parte rei nihil eſt, cognoſcitur ab intellectu, per modum formæ cuiuſdam exiſtentis in oculo, vel in alio ſubiecto. Priuationes ergo, aut negationes, quæ in ſe nihil ſunt, quatenus concipiuntur ab intellectu, per modum formarum realium, dicuntur entra rationis: quia entitatem non habẽt niſi ab intellectu concipiente in illis rationem entis.

Eſt ergo ens rationis vt definiuit cõmẽtator li. 6. Mech. cõm. 3. ens ꝙ ſolũ habet eſſe obiectiue in intellectu. Vel ſecũdũ S. Tho. 1. p. q. 16. ar. 3. ad ſecundũ, ens rationis eſt, quod cum nõ ſit in rerũ natura, accipitur, vt ens in ratione. Vel tertio ens rationis eſt, quod tãtum eſt obiectiue in intellectu, & denominatiue in rebus; res enim, vt diuerſo modo cõcipiuntur ab intellectu, diuerſis rationis formalitatibus, ſeu notionibus denominãtur: ſpecies verbi gratia Genus, ſubiectũ, Prædicatũ, &c.

Sed licet in prædicta entiũ rationis deſcriptione, nulla videatur adhuc poſsibilis difficultas: neceſſario tamẽ explicãdũ eſt, an ſit de ratione entis rationis, nõ ſolũ eſſe obiectiue in intellectu, ſed quod intellectus quando ens rationis, ſecundũ hoc eſſe qualecumq; fingit, aut format, oporteat neceſſario cõſiderare rem aliter quã eſt: an vero ens rationis ſolũ poſtulet eſſe obiectiue in intellectu, ſiue intellectus rẽ aliter quã eſt cognoſcat, ſiue nõ. Et quidem, videtur neceſſario ad ens rationis requiri, intellectum in eius formatione, rẽ aliter quam eſt conſiderare. 1. quia ſic ſentit S. Thom. opuſ. 42. capit. 1. aſſerens *Tunc*

Digitized by Google

effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehẽdere quod non eſt, & ideo fingit illud ac ſi ens eſſet Secundo aperta ratione id cõfirmatur. Quia ens rationis non formatur niſi concipiendo per modum entis, id quod ens non eſt, ergo concipiendo rem aliter quã eſt. Explico. Quia ens rationis eſt non ens reale, ſed concipitur admodum entis realis, ergo aliter quam eſt

Nihilominus exiſtimo, de ratione entis rationis ſolum eſſe, quod obiectiue ſit in intellectu: nihilq; aliud pro eius definitione deſiderari. Probatur aperte. Si daretur tale ens, vere habẽs eſſe obiectiue in intellectu, eſſet ens, prout omnimodæ nihilitati opponitur. Et tamẽ nõ eſſet ens reale, eſſet ergo ens rationis: ſiue intellectus, hoc, ſiue illo modo cõſideret. Secundo ſufficiẽter explicatur entis rationis natura hac definitione, vt cõmuniter traditur. Eſt ens, quod tantũ habet eſſe obiectiue in intellu. Vbi ly, ens habet rationẽ, quaſi generis, ſaltim cõuenientia Analogica: per hoc autẽ quod tantũ habeat eſſe obiectiue, diſtinguitur ab ente reali: quid ergo ad definitionẽ amplius deſideratur? Etenim, quod omnino nihil eſt, vt nihil eſt nõ habet eſſe, neq; obiectiue in intellectu, neq; in ſe: ergo quod habuerit eſſe obiectiue; nõ erit omnino nihil. Rurſus, quod habuerit eſſe obiectiue tantũ, non erit aliquid reale, erit ergo ens rationis: ac per conſequẽs ad definitionẽ eius ſolum requiretur, quod tantum habeat eſſe obiectiue in intellectu.

Dices, impoſsibile eſt tantũ habere eſſe obiectiue in intellectu, & quod intellectus non cognoſcat rem aliter quã eſt. R. 1. Etiã ſi id concedatur, nõ quicquid neceſſario cõiungitur naturæ alicuius, intrat definitionẽ eius: aliàs, proprietates omnes, affectiones eſſentiæ, & ſimilia, oporteret in definitione explicari; ſed id ſolũ ad definitionẽ ſpectat, ex quo in recto, & intrinſice natura cõponitur, & ſine quo eſſentia talis rei nequit intelligi; at ſufficiẽter intelligitur ens rationis, per hoc ſolũ, quod tãtũ habeat eſſe obiectiue in intellectu, cætera ergo extra definitionem ſunt. Sed 2. R. optimè poſſe fieri, ens aliquod tantũ habere eſſe obiectiuè in intellectu cognoſcẽte rẽ ſicuti eſt: quod ex profeſſo oſtendemus infra. diſputantes an ens rationis fieri poſsit ab intellectu diuino. Sed reſpectu adhuc intellectus creati, id etiã poſsibile eſt. Si enim aliquis cognoſcat

Digitized by Google

noſcat, te verbi gratia cognoſcẽdo rem aliter quã eſt, efformaſſe ens rationis, tũc ens rationis a te confictũ haberet eſſe obiectiue in intellectu alterius, tuãmet intellectionẽ cognoſcentis: Qui tamẽ tunc non cognoſceret rẽ aliter quã eſt patet, quia totũ hoc eſſet obiectũ illius cognitionis ſcilicet, te cognoſcẽdo rẽ aliter quam eſt, efformaſſe ens rationis. Totũ autem hoc verum eſt, & ſic eſt. Vbi notandũ: Quod aliud eſt aliquẽ falſo cognoſcere, aliud vero falſum cognoſcere, hoc poſterius poteſt cognoſci vere, quia vere ſic eſt, rẽ aliquam falſam eſſe. Qui ergo falſum cognoſcit, ſi vere illud falſum eſt, rẽ ſicuti eſt cognoſcit: Et qui cognoſceret te falſum cognouiſſe, rem ſicuti eſt cognoſceret, ſic qui cognoſcit, te rem aliter quã eſt cognouiſſe, & efformaſſe ens rationis rem ſicuti eſt cognoſcit: & ens rationis à te cognitũ obiectiue habet eſſe in eius intellectu. Ergo poteſt eſſe aliquod ens obiectiue tantũ, in intellectu cognoſcẽte rẽ ſicuti eſt. Quin immò, in cognitione reflexa eiuſdẽmet cognoſcentis, quãdo cognoſcit ſe cognoſcendo rẽ aliter quã eſt, efformaſſe ens rationis rẽ ſicuti fecerat cognoſcit. Et reſpectu huius cognitionis poſterioris, ens rationis habet tãtũ eſſe obiectiue. Poteſt ergo habere eſſe obiectiue in cognitione aut intellectu cognoſcente rẽ ſicuti eſt

Dicendum igitur eſt in hac dubitatione. Si ens rationis ſumatur quaſi præciſſum, & à quauis alia cognitione ſeparatũ, non poteſt habere eſſe obiectiue in intellectu non cognoſcẽte rẽ aliter quã eſt. Hoc probat fundamentũ adductũ pro priori & communi ſentẽtia: etenim quando obiectum eſt cæcitas verbi gratia, aut quoduis nõ ens, apprehenſum admodum entis, nõ poteſt nõ (ſi non ens admodũ entis cõcipitur) cõcipi aliter quã eſt: vt per ſe patet. Si vero obiectũ cognitionis, non ſit hoc non ens ſeparatim ſumptum, ſed ipſum, vt alia cognitione efformatum, & admodum entis cognitum: tunc poteſt eſſe obiectum verę & perfectæ cognitionis; cognoſciturq; res ſicuti eſt. Quia vere ſic eſt: *per aliam ſcilicet cognitionem rei aliter quam eſt, ipſum fuiſſe efformatum.* Itaque ſi modus ille cognoſcendi rem aliter, quã eſt, tantum habuerit rationẽ modi, & non obiecti, ens rationis fiet cognoſcẽdo rẽ aliter quã eſt: ſi vero ipſe modus cognoſcendi rem aliter quam eſt, habuerit rationẽ obiecti reſpectu alterius cognitionis, tunc ipſe

ipſe modus, & ens rationis illi adiunctum poterit cognoſci ab intellectu cognoſcente rem ſicuti eſt : vt ſatis explicuimus.

Sed dices, hoc non eſt facere ens rationis: ſed cognoſcere iam factum. R. quod cum fieri entis rationis ſit cognoſci, & eſſe illius ſit eſſe obiectiue in intellectu, intellectus ille reſpectu cuius fuerit obiectiue dicetur illum facere: non ergo poteſt eſſe, quod ab aliquo intellectu cognoſcatur, & non fiat ab illo: quia cognoſci eſt fieri. Addo, non oportere ad hunc modum ſaluandū, quem defendimus, vt ſemper cognoſcatur ens rationis factum: ſufficit cognoſcere ens rationis per ordinem ad cognitionem alterius, ſiue hoc ſit factum, ſiue futurum, ſiue poſſibile. Si enim cognoſco, Aliquem cognoſcēdo rem aliter quam eſt facturum ens rationis, vere cognoſco rem ſicuti eſt, & tamen ens rationis ab alio futurum, habet eſſe obiectiue actu in meo intellectu tantum & non in alio. Vrgebis idem met numero ens rationis non poteſt fieri ab vno, & ab alio intellectu; ſed fieri eius eſt cognoſci: ergo non poteſt cognoſci, ab vno, & ab alio intellectu. Maiorem probo. Quia idem, nec poteſt produci à duabus cauſis totalibus, nec ſemel productum, reproduci. Sed ſi ens rationis iam factum, ab alio fieret, reproduceretur: & ſi ſimul fieret ab vtroq; dependeret à duabus cauſis totalibus: fieri ergo non poteſt, vt idem met numero ens rationis, ab vno & ab alio cognoſcatur. R. negari non poſſe, quod idem met ens rationis cognoſcatur à duobus. Deus enim, qui omnem creatam cognitionem comprehendit, cognoſcit etiā quicquid per illam, aut ex illa ortum habet: ac proinde ens rationis per illam confictum. Cumq; cognitio cognitionis creatæ poſsit alteri creaturæ communicari, poterit etiam altera creatura idem met ens rationis cognoſcere. In his autem adeo diminutis entitatibus quorum totum eſſe, eſt obijci, non eſt inconueniens, à duobus fieri, & factum fieri denuo: quia non eſt vere fieri, hæc enim entia propriè nō ſunt ab hoc, ſed obijciuntur huic: obijci autem pluribus, & idem ſæpius cognoſci, non inconuenit. Diſtinguenda ergo eſt illa maior. Idēmet numero non poteſt fieri à duabus cauſis totalibus, aut reproduci

produci productũ, ſi vere ſit fieri, & vere reproduci, fatemur. Si vero fieri aut reproduci ſolũ ſit obijci, vt in entibus rationis, id negamus. His enim entibus, ea quæ propria ſunt entium realium applicari non poſſunt.

His ergo ſuppoſitis circa definitionem entis rationis. Dubitatur modo de eorum. exiſtentia, & poſsibilitate Non enim defuere, qui entia rationis è medio tollerẽt. De quorum numero eſt Valleſ.quæſt 10. Philoſophiæ, & Bernardinus quidam Mirandulanus in ſuis commentarijs quæſt. vtrum prædicamenta pertineant ad Logicam ſect. 5. Mairon in quodlibeto quæſtio. 7. Durandus in 1. diſt. 19. quęſt. 5. num. 5. nullum ens rationis cõcedens, ſed tantũ extrinſecam denominationẽ ab actu rationis. Citari poteſt etiam pro hac ſententia Paulus Venetus quęſt. 4. proœmiali in Logicam: videtur enim huic ſententiæ ſubſcripſiſſe. Suaderique poteſt. Primo non leui ratione. Intelligibile eſt paſsio entis realis, cum ens ſit quod intelligitur, ergo ſi ens rationis intelligitur, erit intelligibile: habet ergo paſsionem entis realis. Quod ſi reſpondeas: negando maiorem, ſi tantum de eſſe reali intelligatur, intelligibile enim conuenit tam enti reali, quam rationis: quia ſicut ens rationis participat rationẽ entis, ſic etiam intelligibilis. Contra, ergo ens rationis, antequam ſit ens rationis non erit intelligibile. Probo conſequentiam. Quia antequam ſit ens rationis, nullam habet rationem entis, ergo nullam habet rationem intelligibilitatis, quæ conſequitur entitatem: ſed ens rationis habet eſſe ab intellectione, ergo antequam intellectus intelligat, non erit intelligibile: ergo non poterat intelligi. Quomodo ergo intelligitur, quod non poterat intelligi? ergo reſpectu huius verbi gratia entis rationis numero & in particulari, oportet dari intelligibilitatem hanc numero, & ſingularem, antequam intelligatur ſed hæc entitas numero, & ſingularis antequam intelligatur, omnino nihil eſt, ergo non eſt intelligibilis. Explico & confirmo: omne id, quod intelligitur in actu ſecundo, debet preſupponi intelligibile in actu primo, fieriq; tale per intellectum agentem, & ſic obijci

Digitized by Google

rationis dari neceſſario duplex ens rationis: alterū quod fit & reſultat, aliud vero ipſa reſultantia, ſeu actio rationis. Quod nullus vnquam dixit: ſed nec dici poteſt. Primo quia non eſt actio rationis, niſi quando conſideratur ad modum actionis realis, ſicut non eſt relatio rationis niſi conſideretur ad modum relationis realis. Sed ſæpe fit ens rationis ſine vlla conſideratione actionis realis: ergo. Secundo quia cum ens rationis habeat eſſe obiectiue in intellectu, illud ſolum erit ens rationis, quod cognoſcitur, aut obijcitur; ergo actio illa rationis, non erit ens rationis, niſi fiat, & cognoſcatur vt quod, ergo ad illam requiritur alia actio rationis, & ſic in infinitum.

Fateor rationes has vrgentes eſſe, reddereque difficilē cognitionem entium horum, ſatiſque probabilem ſententiam Durandi, nihil entium rationis, niſi denominationes tantum extrinſecas cognoſcē-tis. Quam noſtro tempore nōnulli vt probabiliorem amplexi ſunt, quibus ego aliquando ſubſcripſi: ſemperque exiſtimo ſatis probabilē. Sed ne a communi ſententia, & Antiquitatis placito recedamus.

Dicendum eſt. Dari hęc entia rationis, vt ſuperius definita ſunt. Sic docet Antiquitas, & omnes communiter, præter citatos: ex quibus Mayron, diſputandi potius quam aſſerendi gratia eā defendit. Hæc concluſio probatur ex Ariſt. 5. Meth. text. 14. vbi diſtinguit duplex eſſe, aliud quod vere eſt in re, aliud, quod non ſemper eſt in re, ſed ſolū in appręhenſione mentis: idem docet S. Thom. iam citatus, & ratione conſtat. Primo, quia multa cogitantur, quæ ſunt impoſsibilia, & modo poſsibilium entium finguntur (vt Chimera) quę non habent aliud eſſe quā cogitari. Secundo, cum obiectum adæquatū intellectus ſit ens, nihil poteſt concipere, niſi ad modum entis. Et ideo dū negationes, aut priuationes concipere conatur, eas concipit ad modū entium, & ſic format entia rationis. Tertio, quia qui non poteſt vnico cōceptu diſtincte cognoſcere totā perfectionem vnius rei ſimplicis, eā partitur diuerſis cōceptibus, & ſic facit diſtinctionē rationis. Quarto, diſtintio quæ eſt inter ſubiectum & prędicatū, nō eſt diſtinctio realis, cum aliquando ſubiectum, & prædicatum ſint idem realiter, in propoſitione identica præcipue, vt in hac Petrus eſt

eſt Petrus: eſt ergo neceſſario illa diſtinctio rationis. Tandem, hoc ipſum quod agimus diſputando de ente rationis, non fit ſine aliqua cogitatione eius. Nemo ergo niſi propiam vocem ignoret, negare poteſt huiuſmodi entia dari aut fingi.

Ad argumenta in oppoſitū reſpondetur: ad primum eſſe duplex intelligibile, aliud reſpectu cuius intellectus comparatur vt paſſum, ideoq; patibilis aut paſsibilis dicitur, & hoc ſupponi debet actioni intellectus. Aliud eſt reſpectu cuius intellectus poſsibilis cō paratur ad modum agentis, & hoc non poteſt ſupponi illius actioni, alias ſupponeretur eſſe ante quam eſſet. Neque ad hæc genera entium præciſſe ex vi eorum, requiritur operatio intellectus agentis; quia cū intellectus poſsibilis habeat rationem agentis, nō indiget preuia operatione agētis intellectus ad illa. Dixi ex vi eorū, quia ratione obiectorum realium, quorum cognitio cognitioni horum entium rationis neceſſario iungitur, operatio intellectus agentis requiſita eſt. Addo, quod intellectus nō efficit hæc entia, niſi efficiēdo ſolum conceptum ſuum, ratione cuius dicitur ens rationis habere eſſe obiectiue in intellectu. Quæ efficientia lato modo, & iuxta materiæ capacitatem ſumenda eſt. Sicut enim non eſt propriè ens neq; exiſtens, non eſt propriè effectus. Perquod patet ad omnia quæ in illo argumento adducebantur: etenim illa repreſentatio intellectus agentis, ad rem intelligibilem primo modo ſumptam, requiritur, reſpectu cuius intellectus poſsibilis paſsibilis eſt: nō vero reſpectu intelligibilium ſecundi generis, reſpectu quorum intellectus poſsibilis, etiam vt agens ſuo modo comparatur. Hæc enim entia rationis (vt preter cauſas adductas aliā adducamus) proueniunt ex quadam fæcunditate intellectus poſsibilis, qui poteſt ex veris entibus ficta cōfingere. Vt patet in chimera, & ſemel informatus ſpeciebus rerum, eas hoc, vel illo modo apprehendere, aut cōparare: ſiue ad modum earū alia cognoſcere. Per quod patet ad ſecundum, illa enim repreſentatio formæ poſitiuæ ab intellectu agenti facta, & hæc fæcūditas intellectus paſſibilis ſimul, taliter poſſunt attemperari, vt ex illis, predicta entia rationis, reſultent: quia reſpectu eorū intellectus paſſibilis agens eſt. Addo. Non omnino nude repreſentari, qua-

Digitized by Google

qualitatem illam, ad modum cuius cæcitas concipitur, ſed repreſentari ſimul capacitatē poſsitiuam Petri ad habendū viſſum, adiungiq; cognitionē omnium poſitiuorum quæ in Petro ſunt: inter quæ viſſus nō inuenitur. Ex quibus omnibus, ſimul cum fœcunditate intellectus poſsibilis vt dicebā, fit illa cognitio cæcitatis ad modum formæ, quæ debebat in eſſe.

Ad tertium vt reſpondeamus, notandum eſt. In intellectu poſſe diſtingui, vt ſic dicā duplex facere; & facere effectum, & facere obiectum. Facere effectum eſt, vere producere, & dare reale eſſe effectui. Facere autem obiectum eſt, dare eſſe obiectiuum, actu aliquid intelligendo, dum enim actu aliquid concipit intellectus, actu facit illud eſſe obiectum ſibi. Vtrumq; explicare poſſumus in actione directa, qua producitur verbum mentis, & in actione reflexa qua ipſum verbum mentis cognoſcitur vt (*Quod*). Per primam enim, intellectus fecit verbum tanquam effectū. Per ſecundam verò, verbum iam effectum fecit obiectum; id eſt entitati illi verbi mētis iam productę, dedit intelligēdo illam, vt actu ſibi obijceretur. Itaq;, quando intellectus facit effectum, dat illi verum eſſe & reale. Quando facit obiectum, dat illi eſſe obiectiuum. Quod ſi id quod obijcitur, nullum aliud habuerit eſſe, quam hoc eſſe obiectiuum, illud dicetur ens rationis. Hoc ipſum explicari poteſt per diuerſas rationes dictionis & intellectionis, quas in actu intellectus diſtinguimus. Eſt enim dictio, quatenus eſt productio verbi, eſt vero intellectio vt terminatur ad obiectum dans illi per intellectionem, formalitatem eſſe obiectiui, ſeu actu obiecti. Quod ſi id quod intelligitur, nullum alium eſſe habuerit quam hoc eſſe obiectiuū, tunc dicetur intellectus facere obiectum; vt explicetur non habere aliud eſſe nobilius per verā efficiētiam participatū: ſecus quando obiectum habet verū eſſe reale, ratione cuius terminat verum facere, & eſt vere effectus.

Ad argumenta ergo reſpōdetur intellectum facere ens rationis, non ſecundum quod facit effectum, ſed ſecundum, quod facit obiectum. Et hoc media intellectione reali, ex quo non ſequitur ens rationis eſſe reale, ſed habere eſſe obiectiuum, quod intellectus dat, faciendo obiectum, vt explicatum eſt.

QVAE-

Digitized by Google

QVÆSTIO. II.

Quid ſit denominatio extrinſeca, & an ſit ens rationis.

NATVRAM Denominationis extrinſecæ non video ab authoribus explicatam, forte potius implicatam, quia vel obſcure de illa loquuntur, vel eorum de hac denominatione doctrina, nonnulla continet falſa.

Denominationem intrinſicam appellamus eam, quæ ſumitur a forma intrinſeca, ſeu inhærente ſubiecto. Denominationem autem extrinſecã, illam, per quam ſubiectum denominatur tale a forma, non quidem in illo exiſtente, ſed in alio ad quem res denominata aliquo modo ordinatur, aut illum reſpicit. V. g. denominatio cogniti, aut viſi, in obiecto extrinſeca eſt; quia denominatur cognitum à cognitione exiſtente, ſeu inhærente intellectui; & viſſum à viſsione, quæ oculo ineſt.

Pro explicatione ergo quæſtionis notandum eſt. Primo, hæc omnia in præſenti materia poſſe diſtingui: *Intellectus denominans: Forma aqua res denominatur: Denominatio ipſa: Res denominata*: Et hæc, vel ſecundum eſſe rei, vel ſecundum eſſe denominatæ formaliter. Intellectus denominãs ſemper eſt quid reale: Forma, aqua denominatur, poteſt eſſe realis, ſi denominatur á forma reali: & rationis, ſi denominetur à forma rationis. Res denominata ſecundum eſſe rei, licet poſsit eſſe aliquando quid rationis (quia ens rationis poteſt ab alia ſecunda intentione denominari vt dicemus) communiter tamen loquendo, quid reale eſt. Quid autem ſit denominatio ipſa, ex quo pendet cognoſcere, quid ſit res ipſa formaliter, vt denominata nunc explicabimus.

Et quidẽ, neq; videtur eſſe quid reale, neq; quid rationis. Quia ſi eſſet aliquid reale V. g. eſſe cognitũ, quod eſt denominatio extrinſeca, poneret aliquid reale inre denominata: etenim, licet hęc denominatio cogniti ſumatur à forma extrinſeca obiecto, nẽpe a cognitione quæ eſt in intellectu; ipſa tamẽ denominatio, & eſſe cogniti in ipſo obiecto intelligitur,

gitur, ergo ſi eſſet aliquid reale, poneret reale quid in obiecto denominato; at nihil reale ponit. ergo. Neque eſt aliquid rationis. Quia denominatio extrinſeca (etiam cogniti) eſt a parte rei, antequam intellectus illam, *vt quod*, & per modum entis realis cognoſcat, ſed quod non eſt ens reale, nō fit ens rationis niſi per modum entis realis cognoſcatur; ſtat ergo ratio denominationis extrinſecæ, antequam ſit ens rationis. Quod aperte cōſtat in alijs denominationib9, quæ ſumuntur ab actibus voluntatis, & aliarum potentiarum, præter intellectum, vel a ſitu corporum vt denominatio dextri, aut ſiniſtri.

Communis ſententia eſt. Denominationē ſumptam a forma reali realem eſſe, ſumptā vero a forma rationis eſſe rationis. Probatur primo, quia denominationes etiam extrinſecę ſumptæ a forma reali; dantur ante operationem intellectus, ergo non ſunt entia rationis, ſed realia. Probatur minor. Deus dicitur creator, & realiter creator, & paries dicitur viſus, & realiter viſus, non ſolum antequam cognoſcantur ab intellectu, ſed etiam ſi nullus ſit intellectus in rerum natura: ergo. Secundo, quia ipſarum rerum vniones, aut habitudines ſunt in quibus tales denominationes fundantur, ſi ergo habitudines, & vniones reales fuerint, denominatio erit realis; ſi vero fuerint rationis denominatio erit rationis: ſic docet Suarez 2. tomo Meth. diſp. 54. ſect. 2. nu. 10. & 11. & recentiores communiter in hoc tractatu de ente rationis.

Sed quia vt dixi hæc ſententia non ſatis explicat harum denominationum naturam. Notandum eſt in hac quæſtione. Secundo, quod ipſa denominatio intelligitur etiam per modum actus conſtituere rem in eſſe denominatæ: eſt enim res, denominata a denominatione formaliter. Vnde licet forma, a qua ſumitur denominatio, vt talis, nempe *vt viſi, cogniti dextri*, &c. ſit extrinſeca rei denominatæ, ipſa tamē denominatio, ſemper eſt quaſi intrinſeca illi vt denominatæ; illamq; afficit vt ſic denominatiue eſſentialiter, quia illi vt denominatæ eſſentialis eſt.

Tertio notandum eſt: habitudinem ad aliud late ſumptam, vt includit etiam habitudines tranſcendentales, nō ponere in termino aliquid vere inhærens, nec dici proprie, eſſe in illo; ſed eſſe ad illum. Ex quo fiet vt ſi ex hac habitudi-

ne aliquid vellimus in termino conſtituere per modum *in* neceſſario ſit aliquid rationis: patet. Quia in hac habitudine ſolum eſt aliquid ad terminũ, nihil in termino; ergo non poteſt ex illa poni aliquid in termino niſi per rationem. V.g. ex viſione, in pariete viſſo, ſolum eſt viſionem eſſe ad illũ, quod ſi eſſe viſſum vellimus intelligere per modum alicuius non quidem *ad*, ſed in pariete, cum ex viſione nihil ſit in pariete a parte rei, non poterit aliquid eſſe in illo niſi per rationem.

Quarto notandum eſt, eſſe cognitum, aut eſſe viſſum, non eſſe idem, quod viſio aut cognitio, vt paſsiones ſunt: paſsio enim eſt ipſa realitas actionis ſubiectata in viſſu, aut intellectu, faciens in illo mutationẽ, eſſe autem cognitum, non eſt in intellectu ſed in obiecto; immo ſi eſſe illud cognitionis, aut aliquid ab illo vellimus in obiecto, per modum *in* conſtituere, nihil erit reale, quia a parte rei, *eſſe cognitum* nihil eſt in illo, vt dicebamus.

Obijcies. Ante intellectum denominantem, eſt eſſe viſſum in pariete, aut eſſe cognitum in re cognita, hoc enim eſt fundamentum denominationis actualis, ergo. Reſpondetur diſtinguendo, eſſe viſſum parietem poſſe ſumi, vt eſt veritas paſsiua Grammaticaliter reſpondens aut æquipollens propoſitioni actiuæ, V.g. ſi dicamus oculus vidit parietem, paries viſſus eſt ab oculo, & hoc modo a parte rei eſt. Sicut enim actiue verum eſt oculum vidiſſe parietem, ſic paſsiue verum eſt parietem viſſum eſſe ab oculo. Si tamen velis, hoc quod eſt eſſe viſſum, aliquid eſſe in pariete a parte rei; falſum eſt vt iam diximus. Itaq; diſtinguamus vnico verbo, paries eſt viſſus a parte rei, concedo, eſſe viſũ, eſt aliquid in pariete a parte rei nego. Vnde oritur ſecunda diſtinctio, ſi eſſe viſſum ſolum ſignificet a parte rei eſſe viſionem ad parietem, fatemur eſſe viſſum, a parte rei eſſe: quia a parte rei eſt viſio ad parietẽ, ſi vero hoc *ad* tranſeat in *in* non poteſt eſſe niſi per intellectum, quia eſſe viſſum nihil eſt in obiecto.

Tandem notandum eſt quinto, quod ſicut diſtinguimus, & nomina, & res, & definitionẽ nominis & definitionem rei, & relationem ſecundum eſſe, & ſecundum dici: ſignificantes in his relationibus, quæ veræ relationes non ſunt, nihil eſſe relationis, niſi dici, ſic aliquid intelligi poteſt pertinere, vel ad ordinem rei, vel ad ordinem

nominis;Illud dicitur pertinere ad ordinem rei, quod & res eſt,& quod ex ſe vbicũque reperiatur facit rem.Illud vero ad ordinem nominis, quod ſolum facit aliquid taliter denominari,aut dici.

Quibus ſuppoſitis.Iam facilis eſt deciſsio quæſtionis quo ad vtrumq; in illa quæſitum. Dico ergo primo, ſi denominatio ſumatur omnino formaliter,licet actus denominandi ſit actus rationis, quia intellectus denominat,ipſa tamen denominatio, & res vt denominata formaliter, non pertinet ad ordinem rei,ſed ad ordinẽ nominis. Patet ex ipſis nominibus,quia denominari, non eſt eſſe, ſed ſic nominari aut dici. Vnde hæc concluſio etiam communis eſt denominationibus intrinſecis;quęquidem, licet præſupponant eſſe formæ in ſubiecto denominato, ipſæ tamen denominationes,non pertinent ad eſſe rei, ſed ad ordinem nominis.Præcipue tamen hoc verum eſt in denominationibus extrinſecis quia cum in re quam denominant,nihil ſupponãt illius formæ aqua denominatio ſumitur,dicuntur hæ denominationes,vt reſpiciunt rem denominatam,pertinere ad ordinem nominis,non rei.

Dico ſecundo, ſi denominatio extrinſeca ſolum denotet extrinſecam habitudinem,quę vere eſt a parte rei, vt cognitionis ad terminum, vel actionis ab agente, denominatio extrinſeca pro fundamento omnino realis eſt, vereq; eſt a parte rei,nullo intellectu conſiderante. Huius generis ſunt, (vt fiat ſatis argumentis in oppoſitum) denominatio Creatoris,cum enim Creator dicat agens,ſolum dicit denominatio Creatoris, creationem a Deo procedere, quod ſic eſt a parte rei. Similiter denominatio termini, ſi dicatur, paries eſt terminus viſsionis, quia hac denominatione ſolũ explicatur habitudo viſsionis ad parietem,quę vere eſt a parte rei, eſt denominatio realis.

Dico tertio,ſi tamen denominatio ex cognitione V. g. uiſsione,aut forma ſimili extrinſeca rei denominatæ, aliquid ponat aut ſignificet in illa,per modum *in*, hæc denominatio ſemper eſt rationis; licet quaſi in radice ortum habuerit, a forma illa reali extrinſeca. Hoc probatum eſt in tertio notabili. Patet brebiter, quia ex cognitione aut viſsione, nihil eſt in obiecto a parte rei, ergo ſi aliquid conſtituatur in illo,

E 2 erit

Digitized by Google

erit per intellectum conſiderantem id quod non eſt in illo, ad modum formæ inhærentis illi: vnde ſemper præſupponitur ens rationis ad denominationem actualem hoc modo per modum *in*, quia hæc ſumitur proxime, a forma quæ intelligitur eſſe in termino, in quo tamen forma per denominationen explicata non eſt niſi per intellectum. Doctrina huius concluſionis communis eſt omnibus denominationibus extrinſecis, ſi aliquid ſignificent in re denominata per modum inhæſsionis. Et in hoc ſenſu denominationes hæ extrinſicæ, ſumptæ pro fundamento proximo, omnes ſunt entia rationis. Quod clarius eſt, in denominationibus quæ ſumuntur ab ente rationis. In quo ſenſu loquutus videtur Durandus & rectè: cum enim communiter hæ denominationes extrinſecæ tribuāt aliquid rei denominatæ, per modum inhæſsionis, hoc neceſſario eſt ens rationis. Ex qua doctrina, ſi quæ ſunt, quæ de denominationibus deſiderari poſſunt, recte colligitur eorum deciſsio, omnia enim nec vacat nec placet perſtringere, ne in longum abeamus.

Per quod patet ad obiecta: Quod dicitur de denominatione creatoris, fauet ſecundæ concluſioni: Quod de pariete viſſo ſatis explicatum eſt, qua ratione debeat intelligi. Ad ſecundum argumentum concedimus denominationes ſumptas a rerum habitudinibus, ſi vere eas explicent, vt a parte rei ſunt, eſſe reales; ſi vero ex eo, quod a parte rei ſolum eſt *ad*, conſtituatur aliquid in re denominata per modum *in*: ſemper eſt rationis vt ſatis declaratum eſt. Ex quibus etiam ratio dubitandi in principio, adducta ſoluta eſt.

QVÆSTIO. III.

An entia rationis ab intellectu diuino fieri queant.

EX Perfectione diuinę cognitionis poteſt oriri vrgēs ratio dubitandi pro vtraque parte. Pro affirmatiua quidem ſic, intelligere omne intelligibile perfectionis eſt, ſed entia rationis ſunt aliquo modo intelligibilia, ad diuinam ergo perfectionē ſpectat ea intelligere. Secūdo,

Deus,

Digitized by Google

Deus comprehendit perfectiſſime omnes actiones humanæ rationis, compræhendit ergo omnes (vt ſic dicam) fictiones formales, quæ in ratione eſſe poſſunt, ergo etiam cognoſcet omnes fictiones obiectiuas, quæ illis actibus mentis correſpondent & obijciuntur, atq; ita cognoſcet entia rationis.

Ex eadem etiam intellectus diuini perfectione, videtur pars negatiua omnino vera: Quia ens rationis non formatur, niſi per modum entis, id quod ens non eſt cognoſcatur, ſed perfectio diuinæ cognitionis in eo poſita eſt, quod vnũ quodque clariſsime cognoſcit ſicuti eſt, ergo non poteſt entia rationis formare. Secundo, quia quod ad repreſentationem obiecti pertinet, ſumma quæ intelligi poteſt perfectio conſiſtit in adæquatione omnimoda, & totali repreſentationis ad rem repræſentatam: ergo ſi ea quæ entia realia non ſunt, repreſententur vt realia, extraneo modo repreſentarẽtur & intellectus ſic illa cõcipiẽs extraneo etiã modo, & non qualia ſunt obiecta cognoſceret.

Hinc ergo authores in diuerſas ſentẽtias partiti ſũt; Quorũ prima aſſerit, intellectũ diuinũ entia rationis nõ poſſe cognoſcere. Sic Caiet. 1. p. q. 13. conc. 4. ad 2. Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. P. Vazquez in 1. p. diſp. 118. cap. 2. ad 3. videturq; eſſe D. Bernardi. 5. de conſideratione ad Eugenium, cap. 13. vbi agens de diſtintione rationis, quam in Deo facimus, cognoſcentes vt diuerſa, attributa & perfectiones eius, ſubdit. Hoc ſpeculum facit, & ænigma; ergo hæc diſtinctio rationis ſolum habet locum in via, vbi ſpeculum & ænigma eſt: ſed ſi Deus entia rationis poſſet cognoſcere, poſſet etiam cognoſcere hanc diſtinctionẽ rationis ſuorum attributorũ relationis, & eſſentiæ, ergo. Fũdamentum præcipuum huius ſententiæ, ſuperius adductũ eſt quod ſcilicet, hæc entia rationis cognoſci nequeãt, niſi cognoſcẽdo rẽ aliter quã eſt, quod diuinæ perfectioni repugnat. Quia tamẽ reſpõderi poteſt id quod 1. Q. tetigimus, ſcilicet poſſe optime cognoſci ens rationis in ordine ad aliã cognitionẽ, etiam ſi nõ cognoſcatur res aliter quã eſt, per hoc quod intellectus diuinus cõprehendat cognitionẽ viatoris & ens rationis quod illi obijcitur, aut obijcibile eſt; ſic q; licet in cognitione humana qua cognoſcitur res aliter quã eſt. Ly aliter quã eſt, ſit modus imperfectæ cognitionis, in diuina tamen cognitione hoc cõprehẽdẽte,

Digitized by Google

tam, quam plene, & perfectiſsi me comprehendit. Hæc ſententia expreſſa eſt S. Thom. 1. p.q.15.ar.2.& D. Aug. ab eodem S. Thom. citati: verba S. Thomæ ſunt: *Sed cōtra eſt quod dicit Auguſt. in lib. 83. quæſtionum, Ideæ ſunt principales quædam formæ, vel rationes rerū, ſtabiles atque incommutabiles; quia ipſæ formatæ non ſunt: ac per hoc æternæ, quæ diuina intelligentia continentur*, &c. Ex quo in primis placet colligere hic. D. Thom. non loqui de Idæis pro relationibus creaturarum, vt falſo aſſerunt nonnulli recentiores; illa enim à deo eminētia prædicata, quæ de Idæis hic dicuntur, cōueni re non poſſunt relationibus creaturarū. De his ergo quas dixit æternas, concludit eſſe plures, & diuina intelligentia contineri. *Vnde ſequitur* (inquit) *quod in mente diuina ſint plures Ideæ.* Sed non ſunt plures, niſi pluralitate rationis, ergo hæc pluralitas rationis erit etiam in mente diuina ob iectiue. Ad tertium etiam arti culi illius expreſſe habet, quod huiuſmodi reſpectus quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur a rebus, ſed ab intellectu diuino comparante eſſentiam ad res: ſed hi reſpectus rationis ſunt, quia in Deo nul la eſt relatio realis ad creaturas, facit ergo intellectus diuinus relationes rationis. Quam ſententiam eſſe S. Thomæ, nō poſſunt negare recentiores: nec potuit negare P. Vazquez citato illo loco primæ partis, licet oppoſitam immerito ille ſequatur, neq; ſatisfacit quod reſpondent alij huic D. Tho. authoritati: intellectum diuinum non diſtinguere Idæas in eſſentia diuina diſtinctione actuali, aut formali, ſed fundamentali, aut virtuali, in quantum cognoſcit diſtingui poſſe a noſtro intellectu. Quæ ſolutio ſe ipſam deſtruit: impoſsibile enim eſt, Deum cognoſcere me poſſe diſtinguere, quin cognoſcat meam poſsibilem diſtinctionem.

Sit ergo pro hac ſententia prima ratio. Intellectus creatus poteſt de re vna & eadem, diuerſos conceptus effingere (immo recētiores aſſerunt hoc eſſe neceſſario requiſitum, vt fiat ens rationis) qui diuerſi cōceptus veluti partiales ſunt, diſtinguentes V. g. in eodem indiuiduo plures gradus *animalis, hominis, Petri*, &c. Cognoſcit ergo Deus hos diuerſos conceptus formales; ergo cognoſcit diuerſitatem conceptuum obiectiuorū. Probo conſequentiam: quia non poteſt cognoſci hunc V. g. conceptum, quem format intellectus

Digitized by Google

creatus de animali vt ſic præciſſe, eſſe partialem reſpectu totius eſſentiæ hominis, & alium quem format de gradu rationalitatis ſimiliter eſſe partialem, quin in conceptibus obiectiuis expreſsio partialitatum cognoſcatur. Ideo enim conceptus ille partialis eſt, quia obiectiuam habet partialitatem, non poteſt igitur diuerſitas conceptuum formalium intelligi, quin intelligatur partialitas, & diſtinctio obiectiuorum; ſed hæc diſtinctio eſt rationis, vt conſtat de diſtinctione animalis a rationale: Deus ergo diſtinctionem rationis cognoſcit, cognoſcere autem facere eſt, vt ſtatim dicam: facit ergo.

Vrgeo & confirmo. Quia quando viator cognoſcit Deũ ad modum ſapientiæ creatæ, ſolum vt ſapientem, vel cognoſcit Deus illum conceptum eſſe adæquatum, vel non eſſe adæquatum: nõ primum, quia illud falſum eſt nempe eſſe adæquatum: ergo cognoſcit nõ eſſe adęquatum. Idem rurſus de conceptu, quo cognoſcit Deum vt iuſtum; cognoſcet etiam eſſe in adæquatum & diuerſum ab alio: cognoſcet ergo, ſe ipſum vt ſapientem, terminaſſe priorem conceptum, ideoque fuiſſe partialem tantum: & ſe ipſum vt iuſtum, terminaſſe poſteriorem, id eoque fuiſſe conceptum partialem diuerſum; atq; cognoſcet diſtinctionem rationis.

Eandem ſententiam docuit Henricus quod libeto. 6. q. 1. Canarienſis, q. 8. 1. p. diſput. 2. dub. 1. 2. & 3. Durand. in 1. diſt. 2. q. 3. Molina 1. p. q. 28. diſp. 3. & præter adducta fundamentum eſt, quia Deum cognoſcere entia rationis per ordinem ad intellectum creatum nullam dicit imperfectionem, quia hoc poteſt cognoſci cognoſcendo rem ſicuti eſt vt 1. q. diximus, & in fine primæ ſententiæ huius quęſtionis. Per hunc enim modum cognitionis, non cognoſcitur ens rationis ſeparatim ſumptum, & vt habens rationem obiecti, (vt ſic dicam) incomplexi: ſed vt coniũgitur cognitioni imperfectæ, totũq; hoc perfecte dignoſcitur: ſicut enim Deus ſumme verus, poteſt habere pro obiecto mendacium alterius, & falſam cognitionem, ſic perfecte intelligens, poteſt habere pro obiecto imperfectam alterius cognitionem, & quod ex illo reſultat cognitum.

Secundo. Ad perfectionem diuinæ cognitionis ſpectat vt cognoſcat ſuam eſſentiam non ſolũ vt in ſe eſt, ſed ſecũdũ omnẽ modũ, quo cognoſcibilis eſt nõ quod cognoſcat illo modo, ſed

Digitized by Google

ſed quod cognoſcat illum modũ: at cognoſcibilis eſt imperfecto modo a viatore diſtinguente in illa, quæ a parte rei diſtincta nõ ſunt, ergo modus iſte imperfectus ratione diſtinguens cognoſcibilis eſt a Deo. Reſpondet Vazquez, quod ſicut ex hoc quod Deus cognoſcat noſtrum intellectũ diſcurrere non ſequitur ipſum etiã diſcurrere, ſic ex eo quod Deus cognoſcat noſtrum intellectũ diſtinguere, non ſequitur ipſum diſtinguere, quia illud primũ oritur ex imperfecto modo, quem Deus non poteſt habere. Sed hæc ſolutio omnino innanis eſt, etenim cũ eſſe diſcurſus non ſit tantum obijci, & cognoſci, poteſt Deus diſcurſum cognoſcere non tamẽ facere, quia vero eſſe entis rationis eſt, eſſe obiectiuum, non poteſt alicui intellectui obijci quin ab illo fiat. Deinde author ſibi eſt contrarius, fatetur enim nunc, Deum poſſe cognoſcere diſtinctionem meam, non tamen facere: cum tamẽ (vt vidimus) in impugnatione ſecundæ ſententiæ fateatur, ſi ſemel concedatur Deũ poſſe cognoſcere ens rationis, neceſſario concedendum eſſe poſſe illud effingere.

Hinc ergo fit Deum facere ens rationis ſi enim cognoſcit, dat illi eſſe obiectiuum ergo facit. Addo; de eſſentia entis rationis ſolum eſſe, eſſe obiectiue in intellectu, ſic in communi, ſiue intellectus cognoſcat aliter quam eſt, ſiue non, ergo hoc ens rationis erit exiſtens (vt ſic dicam) quando actu habuerit eſſe obiectiue, ergo intellectus cui actu obijcitur facit illud. Addo ſecundo: intellectum facere ens rationis, non faciendo effectum, ſed obiectum (vt dictum eſt) ſed facit obiectum cognoſcendo: ergo ſi ens rationis cognoſcitur, fit obiectum: ergo fit abſolute, quia ſuum eſſe eſt obijci.

Ad argumenta in oppoſitum, ad primum pro ſecunda ratione dubitandi reſpondetur. Deum cognoſcere ens rationis, non cognoſcendo aliter quam eſt, quia non cognoſcit illud ſeparatum, & quaſi obiectum incomplexum, ſed vt coniunctum cognitioni imperfectæ, quam perfecte comprehendit. Ad ſecundum: per hunc modum cognoſcendi repreſentari ens rationis perfectiori modo, quo poteſt. Cognoſcitur enim, & non ens eſſe, & habere eſſe obiectiuum reſpectu alicuius cognitionis, cognoſcentis illum

ad

QVÆSTIO. IIII.

An ens rationis eſſe poſsit ante quam cognoſcatur, & an per eandem cognitionem per quam fit intelligatur.

QVod attinet ad primum, videtur ens rationis eſſe poſſe, antequã cognoſcatur. Primo, quia inter entia rationis negationes & priuationes numerantur, vt ſequẽti quæſtione videbimus, ſed negationes aut priuationes, ante quam cognoſcantur ſunt: Petrus enim eſt cæcus, & lapis eſt nõ videns ſecluſa qua uis intellectus operatione. Cõ firmo quia ante intellectum, ſubiectum denominatur priua tum, aut negatum ſi habeat carentiam formæ, ergo ante intellectum ſunt negationes, & priuationes. Secundo actio phantaſiæ, aut imaginationis præuia eſt actioni intellectus, ſed ex actione phantaſiæ poteſt reſultare ens rationis, ergo poteſt reſultare ante intellectum. Minorem probo, quia phantaſia poteſt componere vnum aliquid non exiſtens in rerum natura, V. g. montem aureum, ſed mons aureus ille ſolum habet eſſe obiectiue in potentia, ergo eſt quid rationis. Tertio, ſi eſſe entis rationis neceſſario eſt cognoſci, & ideo non eſt antequam cognoſcatur, ſequitur, poſſe eſſe genus ſine ſpecie: vt ſi conſideretur ratio communis, & generica entis rationis ſine hoc quod aliqua eius ſpecies concipiatur (vt fit in præſenti diſputatione, quæ de ente rationis in communi agit) at eſſe genus ſine ſpecie eſt impoſsibile, neq; enim poteſt eſſe animal, niſi ſit homo, aut equus ergo, &c.

His tamen non obſtãtibus. Dico primo: entia rationis quæ dicuntur mere impoſsibilia, & non habent aliud fundamentum in re præter vim potentiæ componentis, quæ in re componi non poſſunt, fingi ab imaginatione queunt. In quo ſenſu Dialectici aiũt ens imaginabile latius patere, quã ens poſsibile. Hanc concluſionem probat ſecundum argumentum, non enim poteſt negari hæc vis fingendi phanta-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ aut imaginationi humanæ, quia tamen obiectum eius nō eſt ens in hac latitudine entis vt ſic, quod eſt proprium intellectus, & quia hæc entia diminuta vmbram habent veri entis, quod proprie reſpicit intellectus, ſub hoc nomine entis rationis, tantum intellectui tribuenda ſunt, præcipue quia imaginatio (vt ego exiſtimo) nunquam hanc fictionem facit niſi cooperante ratione: ac proinde ipſa etiam fingente intelligibiliter. V.g. montem aureum, qui potius dicitur ens rationis vt a ratione, quā vt ab imaginatione. Addo, a phantaſia ſolum poſſe fieri hęc entia ficta quæ non habēt fundamentum in re, ab intellectu vero tam habentia fundamentum in re, quam non habentia. Propter quæ omnia.

Dicendum eſt ſecundo, ens rationis abſolute loquendo, non eſſe antequam cognoſcatur ex communi ſententia Ariſto. S. Tho. & omnium expoſitorum & ratio eſt aperta, quia ſi ens rationis eſt antequam cognoſcatur, habebit eſſe per ſe, & non per intellectum; ac proinde erit ens reale. Secundo eſſe entis rationis eſt cognoſci (vt ſæpe diximus) ergo non eſt ens rationis antequam cognoſcatur. Ex quo ſecundæ parti quæſtionis reſpondēdo.

Dico tertio: ens rationis per eandem cognitionem agnoſcitur per quam fit, patet ex nunc dictis, eius fieri eſt cognoſci, ergo cognoſcendo illud facit intellectus, ergo eodem actu quo fit cognoſcitur. Secūdo: per primam cognitionem directam, qua apprehenditur ens fictum, vel priuatio per modum entis, non apprehenditur nihil formaliter, & vt ſic, quia poſitiua apprehenſio intellectus, ad id, quod eſt aliquo modo ens terminari debet, ſed entias rei fictæ, vt cæcitas nulla eſt niſi per intellectū, ergo ſi hanc in prima, & directa cognitione apprehendit, hanc etiam per illam facit. Explicatur & confirmatur hoc, quando intellectus per directam cognitionem apprehendit diſtinctionē inter ea, quæ realiter ſunt idem, vt fit in propoſitione in qua ſubiectum eſt idem realiter cum prædicato, non habet pro obiecto indiſtinctionem, quia apprehendit diſtinctionem: neque diſtinctionem realem, quia non eſt talis diſtinctio in re cognita, ergo habet pro obiecto eādem diſtinctionem rationis, quam apprehendendo confingit.

Ad argumenta in oppoſitum, ad primum reſpondetur cum Caietano capit. 1. de ente, & eſſentia, quod licet nullo

nullo intellectu conſiderante Petrus ſit cæcus, ita vt ly *ſit* denotet veritatem propoſitionis: tamen nullo intellectu conſiderante cæcitas in Petro nullam habet rationẽ entis, quod optime diſtinguit D.Tho q. 1. de malo art. 1. dicens: quod malum eſt in rebus, vt priuatio: non autem, vt aliquod ens niſi in ratione, quod explicari poteſt, ſi dicamus priuationes, aut negationes eſſe a parte rei, quia formæ quibus priuant nõ ſunt a parte rei; cæcitas enim V. g. a parte rei eſſe dicitur, nõ quia ponit aliquid reale in homine, ſed potius, quia tollit aliquid reale ab illo. Hæc autem carentia, aut non eſſe formæ poſitiuæ, ante intellectum eſt, ſed ante eius operationem non eſt ens, niſi conſideretur per modũ entis, quia vero ſic conſiderari poſſunt, dicuntur entia rationis, vt ſequenti quæſtione latius explicabitur: Per quod patet ad confirmationẽ. Secundum argumentum probat primam concluſsionẽ. Ad tertium Reſpondetur in huiuſmodi entibus poſſe eſſe prædicata ſuperiora ſine inferioribus, quia ſicut in entibus realibus prædicata hæc ſuperiora, aut rationes vniuerſales, poſſunt ſine inferioribus cognoſci, ita in his entibus rationis poſſunt ſine inferioribus eſſe, quia in his idem eſt eſſe, & cognoſci: quamuis tamen ratio ſuperior ſit ſine inferiori, non tamen habebit rationẽ generis, niſi quando conſideratur cum ordine ad inferiora, quia notio generis eſt reſpectiua, & cum habitudine ad illa: non poteſt autem cum ordine ad inferiora cognoſci, niſi ſimul etiam inferiora concipiantur, ac proinde ſint, quia eorum eſſe cognoſci eſt.

QVÆSTIO V.

Quotuplex ſit ens rationis.

PRima & communiori diuiſione diuiditur ens rationis, in illud quod habet fundamentum in re, & in illud quod mera fictio eſt nullum habens in re fundamentum, Ens rationis habens fundamẽtum illud eſt, quod non ſolũ ex nu do (vt ſic dicã) cerebro, & virtute fictiua intellectus oritur, ſed in re cognita; aliquod eſt, quaſi huius efformationis ini-

initium, intellectum veluti prouocans, & inuitans, vt taliter cognoſcat naturam, illaq; entia rationis efformet: ens autem rationis hoc non habens, ſed ſine fundamento, ex nudo (vt dicebam) cerebro compoſitum & virtute fictiua intellectus dicitur, non habens fundamentum, nomenq; fictionis antonomatice ſibi vſurpat: exẽplum eſſe poteſt in diſtinctione rationis, quam appellant ratiocinantis, ſiue ſine fundamẽto & rationis ratiocinatæ, quæ fundamentum habet a parte rei, prior reperitur in propoſitione identica, cum dicitur, Petrus eſt Petrus, in Petro enim reſpectu ſui ipſius, & ſub eodem Petri conceptu, non poteſt eſſe fundamentum diſtinctionis, potius omnimodæ identitatis. Quando vero ex eminẽti perfectione, aut virtuali diſtinctione, quæ in re ſit, ducitur intellectus vt aliquam formalitatum illius rei diſtinctionẽ efformet, tunc diſtinctio eſt cum fundamento; vt patet, quãdo in homine formalitatem animalis a formalitate rationalitatis diſtinguimus, & diuerſis cõceptibus partialibus contemplantur, ſunt enim vere in homine hæ duæ rationes quaſi virtute & initiatiue diuerſæ, quam diuerſitatem complet intellectus illa actu & expreſſe diſtinguens.

In qua re omnino aperta, miror P. Vazquez 1. p. diſp. 117. c. 3. ſingularem omnino ſentẽtiam (neſcio qua probabilitate) contra commune placitũ elegiſſe; nullam exiſtimans eſſe diſtinctionem rationis ratiocinantis, & conſequenter omne ens rationis habere fundamentum, & in virtute intellectus (vt aſſerit) & natura rei, ad modum cuius concipitur. De quo quia late in materia de Trinitate contra ipſum diſputatum eſt a nobis, quod nunc ad præſens attinet ſolum obiiicio. Diſtinctionem illam Petri a ſe ipſo nullum habere fundamentum vt patet. Reſpondet: hanc non eſſe diſtinctionem, ſed quandã nominis, aut eiuſdem conceptus repetitionem, aliud autem eſt repetitio conceptus, aliud diſtinctio: ſed hoc aperte falſum eſt, repetitio enim ſolum eſt eandẽ rẽ, & eodem modo ſemel atq; iterum concipere, & nominare, vt ſi dicas, Petrus, & iterum Petrus, tertio deniq; Petrus: in quo modo repetendi non applicãtur diuerſæ denominationes Petro, neq; Petrus, ad modum aliarum rerum diſtinctarum conſideratur. Aliud enim eſt rem aliquam pluries concipere, aliud, vt plures. Primum quidem repetitio ſolum eſt.

Se-

Secundum vero, neceſſario dicit aliquid diſtinctionis. Si igitur, quando formamus hanc propoſitionem, Petrus eſt Petrus, non ſolum Petrum ſemel atq; iterum præciſſe concipimus, ſed etiam illum intelligimus ad modum diſtinctorum, & diuerſas eidem rei, vt ſic conceptę, denominationes tribuimus, dũ quatenus eſt a parte ſubiecti; ſubiectum dicitur, & concipitur, ad modum materiæ, & potentiæ, & quatenus a parte prædicati, dicitur prædicatum, cõcipiturq; vt actus & forma: certe hoc non ſolum repetitio eſt, ſed genus aliquod diſtinctionis.

Relicta igitur fictione, quia eius conſideratio doctrinalis non eſt, poteſtq; in infinitum multiplicari, nulla habita ratione rerum, & naturarum realium, ſed pro intellectus cerebro (vt dicebam) Ens rationis fundamentum habens in re, communiter & vere diuiditur in negationem, priuationem, & relationem rationis, quæ diuiſsio fundamentum habet in Ariſt. 4. Meth. in principio, & lib. 5. cap. 7. vbi negationes, & priuationes inter entia conſtituit, & eodem lib. 5. c. 15. relationes rationis inſinuat. Sumitur etiam hæc diuiſsio ex D. Tho. q. 21. de veritate ar. 1. & in 1. diſt. 2. q. 1. ar. 3. & diſ. 19. q. 1. ar. 1. quã etiã diuiſsionem recentiores omnes admittunt.

Sed eius ſufficiẽtia, & diſtinctio etiã mẽbrorũ diuidẽtiũ difficilẽ habet explicationẽ. Primo enim, omnia entia rationis vidẽtur negationes, nullũq; relatio rationis, quia ens rationis, quod eſt negatio aut priuatio (his enim nominibus indifferenter vtimur nunc vt opponuntur relationi) ideo dicitur ens, quia quod non eſt ens in re per modũ entis fingitur, aut cognoſcitur, ſed hoc modo omnia entia rationis erũt negationes, quia omnia ſunt non entia realia, & per modũ entis realis cognoſcũtur. Secũdo omnia entia rationis vidẽtur relationes, quia negatio & priuatio nõ cõſtituũtur vt entia rationis ſine habitudine ad aliud, priuatio enim, alicuius eſt priuatio, ergo nõ recte diſtingũtur a relatione rationis. Tertio omẽ ẽs rationis eſsẽtialiter habet hoc quod eſt cognoſci, ergo eſsentialiter habet referri ad intellectũ cognoſcẽtẽ, cognoſci enim eſt cognoſcẽtẽ reſpicere, ergo omnia entia rationis relationes ſũt, ergo nõ recte diſtinguũtur hæc tria mẽbra diuidẽtia. Sed nec ſufficiũt adęquare diuiſſo: poteſt enim ens rationis per omia prædicamẽta diuagari. 1. quia in ſubſtãtia concipitur chimera, aut ſimi-

ſimilia monſtra rationis, quæ non finguntur vt adiacentia alijs,ſed vt entia per ſe ficta, in alijs autem prædicamentis accidentium dari entia rationis ſuadent argumenta fortiſsi ma.Primo,ſicut reſpectus ad a liud,qui nomine relationis im portatur,duplex diſtinguitur, alter realis,alter vero rationis: cur etiam in alijs accidentibus non poteſt duplex in hærentia diſtingui,alia realis, alia autem per rationẽ? Dices, quia hæc inhærentia rationis hoc ipſo quod rationis eſt ſolum pendet ab intellectu, non a ſubiecto, a quo dependere, eſt de ratione inhærentiæ.Cõtra. Quia ad rationem inhærẽtiæ rationis, quæ tantum in cognoſci conſiſtit, ſufficit dependentia ab intellectu cognoſcente illam, quaſi eſſet in ſubiecto.ſicut in relatione rationis ſufficit quod intelligatur dependere a fundamento, & termino, quamuis a ſolo pendeat intellectu. Secundo, intellectus non ſolum apprehendit relationem rationis per modum reſpectus ad alterum, ſed etiam per modum formæ accidentalis inhærentis ſubiecto,& facientis illum correlatiuum alteri;ergo hoc ipſum poterit apprehendere in alia forma abſoluta, quia in quantum dicunt *in*, eadem videtur omniũ ratio. Tertio, quia cæcitatem appræhendimus per modum qualitatis, ſpacium imaginariũ per modum cuiuſdã extenſionis quãtæ,denominationes viſsi,cogniti,&c.cõcipiũtur vt aliquid in re denominata per modum paſsionis: in prædicamento *Quando* concipimus extenſionem ſucceſsiuam imaginariã, & deniq;in ſubſtantia ficta, V. g. chimera poſſumus omnia prædicamenta fingendo concipere *Actiones, Paſsiones, Vbi* &c.ergo non recte partitio illa entis rationis in communi ad illa tantum tria membra coarctatur.

Pro explicatione prioris difficultatis:quomodo ſcilicet illa membra diuidentia interſe diſtinguantur, notandum eſt. Primo,carentiam formæ ſic in communi diuidi in carẽtiam formæ in ſubiecto apto ad habendam talem formam, & in carentiam formæ, in ſubiecto non apto, ſeu inepto ad habendam formam talem.Carentia formæ in ſubiecto apto,dicitur priuatio:vt cęcitas in Petro apto quidem ad habendum viſum. Carentia vero in ſubiecto non apto dicitur negatio, vt carentia viſſus in lapide, qui per negationẽ dicitur nõ vidẽs:ſumptę ergo negationes, & priuatio-

nes

nes pro hac carẽtia, aut nõ eſſe formæ à parte rei ſunt, ſeu à parte rei eſt nõ eſſe formę, & hoc modo nõ ſunt entia realia nec rationis, ſed non entia, quæ quia per modum entis conſiderari poſſunt ab intellectu, entia in ratione, ſeu entia rationis dicuntur. Habeamus ergo eſſe quoddã ens rationis non entium ideſt, cuius fundamentum ex parte rei cõceptæ eſt non ens, quando enim cæcitatem concipio (licet concipiam ad modũ entis) concipio nõ ens, quod ſic concipiendo facio ens rationis: hoc autem ens rationis non entium, aliud eſt, quod connotat aptitudinem in ſubiecto, & conſtituit priuationem: aliud quod non connotat hãc aptitudinem, & conſtituit negationẽ, & licet priuatio alicuius dicatur priuatio, non dicitur alicuius, tanquam termini, ſed vel alicuius tanquã ſubiecti; in quo eſt talis priuatio, vel tanquã formæ cuius carentiã dicit. Hoc autem non eſt eſſe relationẽ, quia relatio eſt ad aliud tã quam ad terminum. Addo, quod etiam ſi ratione fundamenti, modus habitudinis priuationis ad habitum, ſeu formam poſitiuã eo modo quo in priuatione eſt, aut eſſe poteſt concipi poſſit, non eſt per modũ relationis ſecundũ eſſe ſed ſecundũ dici: vnũ enim oppoſitorũ per aliud cognoſcitur & habitudo, quã haberet forma poſitiua ad ſubiectũ, ſolũ eſſet ſecundũ dici: ex parte vero ipſius priuationis, vt ſit ens rationis, quod appellamus priuationem, ſemper cõcipitur per modum formę inhærentis ſubiecto, quod nõ eſt adhuc per intellectũ conceptus relationis, per quod patet ad ſecundum argumentum.

Secundo notandũ eſt, quod fundamentum quod habet intellectus ad concipiẽdam relationem rationis non eſt negatio aliqua, vel remotio entitatis, ſed potius eſt aliqua poſitiua entitas quæ à nobis nõ perfecte concipitur niſi per modum reſpectus, verbi gratia, Petrus & Paulus à parte rei vere ſunt animalia, homines &c. diſtinguens ergo intellectus rationem animalis, & comparans rationi hominis, quæ eſt inferior, & diſtinctionem facit, quæ eſt relatio, & comparationẽ, quæ ſimiliter relatio eſt, idemq; videri poteſt in alijs entibus rationis, quæ ratione fundamenti entia poſitiua appellamus: denominationes enim viſsi, & cogniti, ſi concipiantur quaſi intrinſecæ rei denominatę, & ſic fiant ens rationis, etiam conſi-

Digitized by Google

conſiderantur relatiue, eſt enim conſideratio obiecti vt terminantis actum potentiæ, & relati ad illum, eo quod aliud referatur ad ipſum, quod etiam colligi poteſt ex doctrina de relatiuis non mutuis ex Ariſt. 5. Meth. cap. 15. quam trademus cap. de relatione concipi ſcilicet & denominari, vt correlata, eo quod alia referuntur ad ipſa, & in qualibet denominatione rationis fundata in reali denominatione extrinſeca ſemper talis denominatio reſpectiua eſt in ordine ad formam à qua ſumit talis denominatio. Quod infra amplius reſpectu entiũ rationis quę ratione fundamẽti poſitiua appellamus explicabitur.

Hinc infero duo. Primum, quod licet ad concipiendum reſpectũ rationis ſemper ſupponatur in re carentia reſpectus realis, hęc tamen carentia, ſeu negatio ſupponitur tã quam conditio neceſſaria: nõ tamen vt proprium fundamẽtum huiuſmodi relationis. Patet, quia relatio rationis non fingitur ad concipiendam carentiam relationis realis per modum entis poſitiui, ſed ad concipiendum aliquid aliud, quod in re poſitiuum eſt, & abſolutum per modum reſpectiui ad aliud, ad quod vere in re non refertur, itaq; aliud eſt id quod concipitur eſſe carentiam relationis realis: aliud id quod concipitur eſſe poſitiuum, relationem realem non habens; primo modo ex parte fundamẽti carentia aut negatio relationis ſumitur in recto, ordinaturq; fictio rationis ad concipiendum nõ ens, per modum entis ſicq. potius pertinet ad negatiõnẽ, & priuationem, quam ad relationẽ rationis. Secundo modo ex parte fundamẽti eſt poſitiuũ abſolutum, quod vt expreſſius, & accomodatius, diſtinctius ve percipiatur, ab intellectu concipitur per modum reſpectiui, aut diſtincti ab eo à quo non diſtinguitur. Per quod patet ad primum argumentum. Carentia enim entitatis realis quæ omnibus entibus rationis communis eſt: eſt veluti tranſcendẽtalis, ſolumq; requiritur vt conditio, non tamen vt proprium fundamentum, quod concipitur. Quis enim dubitet diuerſum ens rationis eſſe quando quis negationem entitatis realis ad modum entis poſitiui cognoſcit, ac quando cognoſcendo vere entitatem poſitiuã verbi gratia hominis illam cognoſcendo refert Petro, aut Paulo.

Infero ſecundo, quod licet totum eſſe entis rationis ſit

cognoſci,

cognoſci, nec ens rationis ſit aliquid aliud quaſi ſuper additũ huic denominationi, nõ recte dicitur referri ad intellectũ; quo vſq; intellectus ipſe hoc ipſum cognoſci quaſi aliquid reſpectiuũ cognoſcẽdo ad ſe referat; & licet quia intellectus facit obiectũ hoc ipſum obijci intelligamus quaſi fundamentũ, vt intellectus poſsit per modũ reſpectiui ad ſe, illud cõcipere, dũ actu nõ cõcipit referendo, actu nõ refertur ad illud. Per quod patet ad tertiũ. Addo tamẽ, quòd ſiue ens rationis dicat proprie ordinẽ ad intellectũ ſiue non: hic ordo tranſcendẽtalis eſt, & cõmuniſsimus omnibus entibus rationis: ex quo proinde non poteſt ſumi ratio aliqua mẽbri diuidẽtis, ſed hac ratione tranſcendẽtali ſuppoſita, peculiares aliæ in quibus peculiaria etiam entia diſtinguũtur diuiſioni, ſeu mẽbris diuidẽtibus applicantur. Cõſtat autẽ rationes conſtitutiuas negationis, priuationis, & relationis rationis non eſſe trãſcendentales, ſed peculiares & diſtinctas vt probatũ eſt.

Dubitabis circa negationẽ, & priuationẽ, an diuerſitas, quæ eſt inter illa ſit eſſentialis, aut ſpecifica eo modo quo eſſentia, aut ſpecies in carentijs reperiuntur. Sed quæſtio eſt parui momẽti. Conſtat enim aliquo modo diſtingui (vt explicuimꝰ.) Videtur autẽ nõ poſſe eſſe diſtinctionẽ ſpecificã; quia licet priuatio dicat præter carentiã aptitudinẽ in ſubiecto, ex ipſa tamẽ aptitudine, & carentia, non poteſt fieri vnũ per ſe propriè, in eſſe ſpecifico & eſſentiali per quod ſpecie diſtinguatur à negatione; etenim carentia priuationis, quæ eſt nõ ens, & aptitudo in ſubiecto, quæ eſt ens reale, nõ poſſunt vnũ per ſe cõponere. Nihilominus exiſtimo, ſpecie diſtingui, nõ quidẽ quia in recto includat priuatio aptitudinem (hoc enim eſt impoſsibile (ſed quia illa carentia connotat aptitudinẽ in obliquo, illãq; per ſe reſpicit, & eſſentialiter in ratione carẽtiæ quæ eſt priuatioꝰ negatio autẽ eſſentialiter hoc non habet: immò eſſentialiter petit ineptitudinem, ergo. Nec contra hoc adducta aliquid probant.

Dubitabis ſecũdo, ſi hęc tria mẽbra diuidentia ſunt entia rationis, quare ſicut relatio (quod eſt alterũ membrũ) dicitur relatio, ſic negatio & priuatio non dicuntur etiam negatio & priuatio rationis. Reſpõdetur facile; quòd cum negatio, & priuatio ex ſe ſint non entia, quoties in diuiſione entis adducuntur, ãinitelligitur eſſe entia rationis,

quia alterius entitatis capaces non ſunt: relationis vero nomen quia indifferens eſt ad realem & rationis, poſtulabat additum illud determinans, ſcilicet rationis.

Quoad ſecundum de ſufficientia diuiſionis, & an in alijs prædicamentis præter relationem reperiātur entia rationis, notandum eſt valde, quod S.Tho. 1. par. quęſt. 28. art. 1. in corpore expreſsit (ſcilicet) ſolum in his quæ dicuntur ad aliquid inueneri aliqua ſecundum rationem tantum, non ſecundum rem; non vero in alijs generibus. Ratio S.Thomæ eſt, quia alia genera vt quantitas, & qualitas ſecundum propriam rationem adhuc communem ſignificāt aliquid alicui inhærens: ea vero quæ dicūtur ad aliquid, ſolum dicūt ſecundum propriā rationem reſpectū ad aliud, qui reſpectus, & in ipſis rebus aliquando, aliquando etiam ſolum per appręhenſionē eſſe poteſt, quæ ratio, ſi recte perpēdatur, maximā (meo iudicio) habet vim, & ideo eā explico. Primo, ex vi huius vocabuli inhærere, quod idē eſt ꝙ alicui hærere: hæreo autem (ſi peritis linguæ Latinę credendum eſt) idem eſt, quod arcte rei inſideo, & coniunctus ſum; vbi ponderanda eſt illa particula, arcte: ſi ergo alia genera præter relationem ſecundum propriam rationē aliquid alicui arcte inſidere ſignificant, hocq; per intellectum, nullo modo fieri poteſt (quomodo enim arcte inſidet, quod apprehenſiue tantum, & fingendo concipitur inſidere, euaneſcitq; hac etiā fictione ceſſante) entia rationis non poterunt ad prædicamenta (vt ſic dicam) inhæſionis pertinere.

Explico ſecundo ex quadā particula D. Thomæ loco citato dicētis, aliquando reſpectus eſt in ipſa appræhenſione rationis referentis vnum alteri: vbi notanda eſt illa particula, referentis, ex qua ſic argumentor, intellectus non tantum intelligit, ſeu cognoſcit vnum alteri referri, ſed cognoſcendo refert: at licet poſſit intelligere unum alteri inhęrens aut extenſum, non tamen intelligendo extēdit aut inhæret actiue: ergo in entibus rationis, quæ pertinēt ad cognoſci, poteſt propriè eſſe relatio, non inhæſio.

Explico tertio, quia non videtur poſſe eſſe dubium dari entia rationis præter relationem, vt conſtat ex communi diuiſione in priuationem, negationem & relationem negatio enim, vt membrum huius diuiſionis ens poſitiuum rationis

tionis eſt:nec enim loquor pro fundaměto, vel ergo reſpődet ſeu aſsimilatur enti poſitiuo reali, quod eſt relatio vel quod eſt quantitas, qualitas, aut aliud. Si primũ ergo erit relatio rationis:ac per conſequens non erit membrũ diuidens condiſtinctum ab illa: ſi ſecundum ergo pertinebit ad aliud genus entis poſitiui qualitatis, quantitatis, aut ſimilis: ac per conſequens dabitur qualitas, aut quantitas rationis; licet autem hoc verum ſit hæc entia rationis cődiſtincta à relatione, non dicuntur quantitas, aut qualiter, ſed negatio, aut priuatio, retinět enim nomẽ ſui fundamenti, aut carentia ex quà (vt ſic dicam) elliciuntur, & hoc ideo, quia nomen qualitatis, quantitatis, &c. etiam in communiſsima acceptione ſumpta, tam ſecundum rationẽ cőmunem accidentis, quam ſecundum rationem vltimam talium, dicunt inhęrẽtiam, & modũ ſubiecti: qualitas enim verbi gratia ſecundum rationem vltimã qualificantis formaliter, & in ſignificato expręſſo, dicit rationem *in* quia explicatur per modum formę & modi ſubiecti; illud enim eſt quod qualificatur, & quia ratio inhærentię non poteſt cőuenire rei per intellectum (vt dictum eſt) ideo hæc entia rationis, quæ condiſtinguũtur contra relationem, non recte ſignificantur nomine quãtitatis qualitatis &c. ſecus eſt in relatione, quia ratio vltima conſtitutiua relationis in expreſſa ſignificatione non dicit ordinẽ ad ſubiectũ, potius dicit ordinem à ſubiecto, qua ſi exiens ab illo ad terminũ: vnde expreſſa ratio, *Ad*, vt ſic ſecundum modum ſignificandi abſtrahit à reali, & rationis: ratione cuius abſtractionis, & ſignificationis expreſſæ etiam relatio rationis abſolute dicitur relatio: & hinc in his, quæ ſunt ad aliquid ſecundum formalem, & expreſſam ſignificationem. *Ad*: aliqua ſunt ſecundum rationem tantum: non vero in alijs generibus, vt nomine quantitatis, qualitatis &c. ſignificãtur, bene tamen vt ſignificantur nomine priuationis, & negationis. Vnde S. Thom. vſus eſt in tradẽda hac doctrina nomine ſignificationis dicens; ea vero quæ dicũtur ad aliquid ſignificant ſecundũ propriã rationem ſolum reſpectum ad aliud; cum tamen alia genera ſolum ſignificent inhærentiã in ſenſu iam dicto. Sed vt impenſius adhuc S. Tho. authoritas expendatur.

Explico quarto: quia non

poteſt forma rationis intelligi in ſubiecto niſi per hoc quod intellectus eam illi referat: neq; eam format niſi ſic referendo: ſic autem referre eſt per rationem, ergo ad relationẽ rationis ſpectat. Rurſus. Hoc ipſo quod entia rationis excogitantur referendo, finguntur ad inſtar relationũ prædicamentalium, & non tranſcendentalium: ratio eſt; quia ſemper ſunt illi reſpectus aduentitij, & non concipiuntur vt intrinſice pertinẽtes ad conſtitutionem alicuius entis, quod eſt de ratione reſpectus tranſcẽdentalis. Addo. Quod in reſpectibus adhuc tranſcendentalibus prius intelligitur abſolutum inhæſionis, & in hoc fundari reſpectum illum vt aliquo modo diſtinctum ab abſoluto, quod ſi non intelligeretur inhærere niſi per reſpectum primario, accidẽs videretur reſpectiuũ; non abſolutum; ſed in his cõceptionibus rationis, prius eſt formã rationis referri ad ſubiectum per intellectum, & ſi quæ ratio inhæſionis in ea poteſt intelligi, vel tota eſt per intellectum cõtinue referentẽ, vel intelligitur quaſi ex hac relatione cõſequẽs, nõ ergo poteſt induere rationẽ entis abſoluti, & inhęrẽtis, quãtũ nis addatur eſſe ens rationis.

Propter hæc ergo, ſi propriè & in rigore loquẽdum eſt, in cæteris prædicamentis nõ dãtur entia rationis: ac proinde recte intelligitur eſſe ſufficiẽtem, & adæquatam diuiſionẽ entis rationis, in ens rationis, cuius fundamentum ex parte rei conceptæ eſt nõ ens, quod appellant aliqui ens rationis non entium; & in ens rationis poſitiuorum, quando aliqua poſitiua entitas nõ diſtincta, aut non relata per modum diſtinctionis, & relationis concipitur, in quo membro continentur omnia entia rationis, præter negationes, & priuationes, quia ea fingit intellectus vnũ alteri referẽdo, vt adductis explicationibus nũc dicebamus.

Dicendum tamen vlterius eſt, quod cum etiam ſuo modo dicatur fundamentum illa entitas, admodum cuius ens rationis concipitur, poſsitq; concipi per modum qualitatis, quantitatis, & aliorũ prædicamentorum, (vt argumenta adducta recte probant) entia etiam rationis in ſenſu lato, nec ita proprio, etiam per omnia prædicamenta diuagari. Cæterum quia in illis reperitur ſemper aliquid relationis, reſpectusue intellectus vnum alteri referẽtis, ſemper eſt in illis aliquid, ratione cuius

ius proprius ad relationẽ rationis dicantur pertinere, immo iuxta quartam explicationem in rigore ad illã tantum.

Ad argumenta ergo Reſpõdetur. Ad primum, Chimerã, cæteraq; monſtra ab intellectu ficta eſſe entia rationis ſine fundamẽto: ac proinde pertinere ad alium membrum nẽpe fictionem; deinde hæc etiã entia fieri per hoc quod intellectus, caput verbi gratia, equi referat ad corpus Leonis, & corpus Leonis ad caudã aſini; cumq; ratio ſubſtãtiæ ſit eſſe per ſe, nũquam intellectus dicitur propriè dare eſſe per ſe, rectè tamẽ dicitur referre cognoſcendo, & cognoſcere referendo.

Ad ſecundum Reſpõdetur, iam explicatam eſſe differentiam inter rationem relationis ex vna parte, & inhæſionis ex altera, vt propriè dicatur relatio etiam per rationem; non vero inhæſio, licet late loquendo iam dixerimus poſſe dari entia rationis in alijs prædicamentis,

Ad tertium Reſpondetur, quod licet in relatione reali ſemper coniũgantur eſſe, *in*, & eſſe, *ad*, quia tamen hæ duæ rationes per intellectum diſtingui poſſunt, poteſt etiam intellectus reſpectum, & rationẽ, *ad*, ſeorſum cõſiderare, & hoc ipſo ens rationis facere in ſuis entibus obiectiuis, quod ſolũ ad relationem, & ad eſſe, *ad*, pertineat.

Ad quartum Reſpõdetur, in omnibus illis entibus in argumento relatis ſemper interuenire ordinem, & reſpectum intellectus referẽtis vnum ad alterum, non vero propriè extendentis, aut facientis inhærere: ex parte vero entium illorum ad modum quorum cõcipiuntur, & efformantur, iam dixi poſſe per omnia prædicamenta diuagari, licet plura exempla in eo argumento adducta ad fictionem pertineãt, vt patet in Chimera & actionibus, paſsionibus, cæteriſq; in illa conſictis.

Digitized by Google

QVÆSTIO VLTIMA.

Quid ſit prima & ſecunda intentio.

INtentio in communi, & germana ſua ſignificatione dicit tendentiam ad aliud, & ideo intentio dicitur quaſi in aliud tentio ſeu tendentia in obiectum, & hæc aliter ſumitur apud Theologos, & Philoſophos morales, quam apud Dialecticos; apud illos enim ſignificat actũ voluntatis, quo tẽdimus in finem; immo finis ipſe hoc nomine intentionis explicari ſolet: qua ratione dicimus mea in ſtudendo intentio eſt, Deo placere, doctum euadere, &c. Apud Dialecticos autem ſumitur pro actibus intellectus: immo etiam ſicut apud Philoſophos pro obiecto illorum (penuria nominum id efficiente) vſurpari ſolet, & ita tam actus intellectus, quã eius obiectum dicitur intentio: ad vitandam tamen æquiuocationem, quando pro actu, quando vero pro obiecto ſumi debeat, actus intentio formalis: obiectum vero intentio dicitur obiectiua: ſicut conceptus, & formalis & obiectiuus ſolet communiter appellari.

Quælibet autem harum intentionum, ſiue formalis, ſiue obiectiua in primam, & ſecundam diuiduntur, quia intellectus dupliciter circa res obiectas verſatur. Primo cognoſcendo in illis aut tribuendo illis ea quæ habent à ſe, & ante operationem intellectus; ea (inquã) quæ habent ex natura ſua; ea rurſus, quæ per terminos primæ intentionis ſignificantur: talis ergo cognitio dicitur prima intẽtio formalis, & obiectum iſtius cognitionis prima intentio obiectiua. Verſatur ſecundo intellectus cognoſcendo in rebus, aut tribuendo illis ea, quę ſolum per intellectum ipſis conueniunt, ſcilicet quod ſint cognita, quod ſint vniuerſales, ac deniq; ea quæ per terminos ſecũdæ intentionis ſignificantur; & hæc cognitio dicitur ſecũda intentio formalis, & obiectum iſtius ſecundæ intentionis formalis, ſecunda intentio obiectiua; & quia prius eſt res ſecundum eſſe, quod habet à parte rei, quam ſecundũ illud, quod habet ab intellectu, ideo cognitio, quæ reſpicit rem ſecundum primam rationem, prima: quæ vero rem ſecundum aliam, ſecunda

da denominatur intentio.

Prima ergo & ſecunda intētio formalis (quæ ſemper eſt quid reale) eſt cognitio ſeu actus intellectus in illo ſubiectiue exiſtens, immanenſq; in potentia, à qua realiter producitur. Prima autem intētio obiectiua includit in ſe omnia entia realia, quæ intellectus cognoſcit in rebus, includit etiam omnes negationes, & priuationes entiū realium præciſſe, vt carentiā dicunt, quia vt ſic ante intellectum ſunt, vt dixi: includit etiam omnes denominationes extrinſecas præter eam, quæ prouenit ab actu intellectus, & in vniuerſum omnia, quæ etiam ſi entia realia non ſint, non tamen conueniunt rebus per intellectum.

Ex quo colligitur quid includat ſecunda intentio obiectiua: includit enim (vt omnia vno verbo cōplectar) omnia entia rationis quotquot ſunt, ſi formaliter ſumantur; ac deniq; omnia illa, quæ rebus non conueniunt ante intellectum, vnde etiam includit denominationem extrinſecā, ab actu rationis prouenientem, vt eſſe cognitum, quia hæc (vt patet) licet ens rationis non ſit formaliter, non tamen conuenit rei ante intellectum.

Ex quo rurſus ſequitur: ſecundam intentionem latius patere quam ens rationis, cū præter illud etiam denominationem extrinſecam cogniti comprehendat: poſſet tamen admitti omnem ſecūdam intentionem eſſe ens rationis, ſi faciat hunc ſenſum, vel eſſe ens rationis, vel certe cū primum cognoſcitur, ens rationis formaliter fieri.

Tandē colligo contra Sonzinatem & Herbeum: non omnem ſecundam intentionem cognoſci per cognitionem reflexam, quia (vt ſupra probaui) entia rationis per cognitionem directam cōmuniter fiunt; neq; omnem primam intentionem cognoſci per cognitionem directā, multa enim ex entibus realibus, quæ ſunt primę intentiones cognoſcūtur per cognitionē reflexā, vt conſtat de ipſis met directis cognitionibus, quæ non niſi per reflexam cognoſcuntur. Et hæc de ſecundis intentionibus.

(?)

POR-

PORPHIRII PHOENICEI DE QVINQVE vniuerſalibus.

INTRODVCTIO.

De nomine & vita Authoris.

QVOD attinet ad nomen: Author huius libri Porphirius eſt appellatus: Syriaca lingua vocabatur Malchus, quæ vox (ſi Græco interpretetur ſermone) ſignificat Regem, vnde Amelius ipſius condiſcipulus in libello ad eũ de differentia doctrinæ Plotini, & Numenij, Pithagorici, Regem ipſum vocat, non quia Rex fuerit, ſed quia nomen Malchi interpretatus eſt ſic: vocatus fuit etiã Philoſophus Tyrus, vt conſtat ex Suida in Græcis Commentarijs, quia cũ natione Phenix eſſet (propter quod Pheniceus etiã dicitur) fuit patria Tyrus; ob purpuream deniq; veſtem quã ob generis ſplendorẽ, & nobilitatẽ vtebatur Porphirij nomen accepit (Porphira enim Græce, idẽ eſt, quod Latine purpurea.) Fleruit anno Domini. 280. Aureliano & Diocletiano Imperatoribus, habuitq; præceptorem Plotinum inſignem Platonis ſectatorem.

Vt autem ad vitam eius accedamus, fuit primo profeſsione Chriſtianus, poſtea autem, vel propter quorũdam Chriſtianorũ odium, à quibus in Ceſarea ceſus fuerat, (vt in Tripartita legitur)

vel

vel (vt author quidam vult) illuſionibus & præſtigijs dæmonum ob artem magicam, (quam ille maxime ſectabatur) fuit impius Chriſtianæ religionis Apoſtata, & veræ ac Catholicæ doctrinæ perfidus deſertor, eam enim aliquādo ſuſceptam tandem auocauit perfide, & impugnauit accerrime: ac quindecim volumina impio & ſacrilego ore tanquam virulentus hoſtis euomuit, inter quæ multa ſcripſiſſe inter ſe diſsidentia Calepinus teſtatur, cui ſanctiſsimi Patres occurrere doctiſsime, aduerſus ipſū etiā cōſcribētes præſertim Methodius, Euſebius Ceſarienſis, D. Auguſt. lib. de ciuitate Dei & D. Hier. multis in locis maxime ſupra Danielem, à quo, libro de viris illuſtribus ſtatim in proœmio tom. 1. rabidus in Chriſtum canis appellatur, cuius nomen adeo fuit in Eccleſia à Chriſtianis odio proſecutū, vt quo Arrianis maius odiū conflaretur, iuſſerit Conſtantinus Magnus Arrianos Porphirianos nuncupari. Ex omnibus ſuis operibus ſuperfuit liber hic, qui quia ad doctrinam Ariſtot. & vniuerſam Dialecticam apprime eſt vtilis, ab Eccleſia eſt permiſſus, ac etiā ab omnibus, ante Ariſtotelis Cathegorias ſolet explicari. Fuit autem adeo inſignis Philoſophus vt Aug. de ciuitate Dei lib. 19. cap. 22. ſimul, & Chriſtianorū acerrimum inimicū, & Philoſophorū appellat doctiſsimum. Hūc tractatū conſcripſit in gratiam Cryſaorij Patricij Romani chariſsimi apud Porphirium diſcipuli.

De Inſcriptione operis.

HVius operis, ſeu libri inſcriptio, introductio, vel Iſagoges, vel inſtitutio, (vt vertit Perilonius) eſt: dicitur autē abſolutē inſtitutio, ſeu introductio ſine aliquo addito, vel p Antonomaſiā, propter operis excellentiam, (vt teſtatur Ammonius) vel quia cū aperte oſtēdatur Porphiriū in gratiam Chriſaorij, qui ab illo introductionem ad Ariſt. Cathegorias intelligēdas poſtulabat, id ſcripſiſſe: clarum erat ſub intelligēdum eſſe ad prædicamenta Ariſt. (vt teſtatur D. Seuerinus Boecius) vel deniq; tertio (cum Magiſtro Soto & Tolet.) quia cū ſit introductio ad Dialecticā, quę doctrinę ordinę prima eſt, primoq; addiſcitur, erit introductio ad vniuerſā Philoſophiā, & ideo ſimpliciter introductio dici poteſt. Sic etiā P. Foſeca li. 5. Meth. c. 7. q. 1 ſect. 3.

CAPVT

CAPVT. I.

Quod eſt Procemium Porphirij.

SVmma huius procemij, & capitis eſt, docere cognitionem vniuerſalem ad prædicamenta Ariſto. neceſſariam eſſe, polliceriq; ſe quæſtiones difficiliores prætermiſſurum, ac breuiter, & dilucide (prout introductionis exigit ratio) de his quinq. vocibus tractaturum.

Primum autē quod dicit, cognitionem harum vocū eſſe neceſſariam, ſi ſermo ſit abſolute de aliquali doctrina & cognitione Vniuerſaliū, verū eſt hanc cognitionem ad vniuerſam Logicam, & Ariſtotelis prædicamenta eſſe ſimpliciter neceſſariā; patet, quia in prædicamentis ſit eorū mentio: immo prædicamentū, (vt Deo dante videbimus) eſt prædicabilium ordinatio; vnde olim à Magiſtris mixtim in prædicamētis vniuerſalia docebātur, & ab Ariſt. in Topicis ac poſterioribus multa de vniuerſalibus in genere, & in ſpecie docētur, quare ipſe nō fuit diminutus: ſi tamē de hoc opere & tractatione Porphirij ſermo ſit, vt ſeparatim cognitionem tradit vniuerſalium, tantum eſt vtile, ſeu ſecūdū ſi quid neceſſariū; ipſe enim Porphirius, & ante illum multi, prædicamēta, & Logicā ſine hac introductione didicère, non ergo eſt ſimpliciter neceſſaria vtilis tamen eſt, quia de iſtis vniuerſalibus ſeorſum & facile egit Porphirius.

Sed quia Quæſtio quæ de natura obiecti alicuius libri, aut tractationis inquirit, vicē etiā habet Procemij erit, quaſi Procemialis huius tractationis quæſtio.

QVÆSTIO.

Quod ſit adæquatum huius libri ſubiectum.

OMmito ſententiam Nominalium, qui ſicut vniuerſæ Logicæ ſubiectum, voces eſſe dicunt, ita huius partis obiectum has quinq; voces eſſe aſſerunt: ſicut enim falſum eſt primum, ita & ſecundū, cū enim hic de vniuerſali in prędicando agatur, hocq; non ſit vox formaliter, ſed res ſignifi-

ſignificata per vocem, natura ſcilicet (alias hæc propoſitio Petrus eſt homo, quæ eſt ſecũdi Prædicabilis, eſſet falſa, cũ Petrus non ſit hæc vox homo) fit vt hæc opinio abſq; dubio falſa ſit.

Nec memini eorum qui aſſerunt obiectum huius partis eſſe prędicabile formaliter, & non vniuerſale; ducti hoc argumẽto. Quod Porphirius de his quinq, vocibus, ſub ratione prædicabilis diſputat, cum omnes earũ definitiones per prædicati tradat (vt videbimus.) Hoc enim argumentũ nullius momẽti eſt, definiũtur enim vniuerſalia per prædicabilitatem tanquam per paſſionem, quæ notior eſt eſſentia vniuerſalis, ſcilicet eſſe vnum in multis; ac proinde tãtum colligitur illa definiuiſſe definitione deſcriptiua, per proprium ſcilicet, & paſsionẽ ſubiecti.

Vera ergo ſentẽtia eſt, obiectum adæquatum huius partis eſſe vniuerſale, hæc autem ſententia ſolet diuerſimode ab aliquibus explicari. Quidã enim ex recentioribus volunt huius libri adæquatum ſubiectum non eſſe vniuerſale in cõmuni, ſed quinq; vniuerſalia, aut prædicabilia in ſpecie. Ducuntur ad hoc aſſerendum quodam exemplo, & quodam ſigno: ſignum eſt, quia in hoc opere nihil prorſus dicitur de vniuerſali in communi, ſed ſolum quinq; prædicabibia in ſpecie tractantur ac definiuntur. Exemplificat etiam in potentia viſsiua, cuius obiectum non eſt color in communi (vt ſic enim non videtur) ſed colores omnes in particulari, colores inquam, vt tales. Sed hæc ſententia falſa eſt omnino; & præter quã quod nullo innititur fundamento, vt ſtatim videbimus. Contra illam argumentor ſic: quia vel Porphirius agit de his quinq; vocibus, vt conueniunt in aliqua ſuperiori ratione, vel tantum ſecundum quod diſtinguntur ad inuicem: ſi primo modo, ratio illa ſuperior, in qua conueniunt, eſt vniuerſalis in communi; ergo illud erit obiectũ adæquatum: ſi vero de illis vt diſtinguntur, habebit liber hic quinq; diſparata obiecta, quod ita eſt abſurdum vt non indigeat impugnatione.

Signum autem quod adducunt, ſignum eſt, non attente euoluiſſe Porphirium; ſi enim id acurate præſtaſſent, inueniſſent cap. de genere illum dixiſſe, eorum quæ prędicantur, aliud de vno, aliud de pluribus prædicari: hæc autem eſt definitio vniuerſalis, ſcilicet, quod prædicatur de pluribus

& cap.

Digitized by Google

& cap.7.commune eſſe inquit omnibus de pluribus prędicari, definiuit ergo vniuerſale, docuitq; illud omnibus prædicabilibus eſſe commune. Exẽplum autem, nõ eſt exemplũ, quia non eſt ſimile, quia potẽtia viſiua cum ſenſitiua ſit, & materialis, non poteſt pro obiecto niſi rem ſenſibilem, & ſingularẽ habere; & ideo color in communi abſtractus nõ eſt eius obiectum, quia nõ eſt ſingularis, & ſenſibilis, vt ſic; at vero cum hæc pars Logicæ, intellectu qui eſt ſpiritualis potentia percipiatur, poteſt vniuerſale etiam in genere, & in communi ſibi conſiderandum obijcere.

Ex quo infero & Dico primo, vniuerſale in cõmuni eſſe huius tractationis adæquatũ obiectum. Eſt communis ſententia, ſic Boecius Dialogo.1. in Porphirium, Amonius etiã ſuper Porphiriũ Albert. Mag. tract.2.cap.5. Aberr. prologo Magno in poſter. Ant. Andr. q. 2. Logicæ Scot. Sot. Tolet. Louaniẽſis, Iuſtinianus. Gaſconius, Fonſeca Oña, & Maſius, patet ex dictis, quia voces de quibus agit, & omnia quę hic tractãtur ſub vniuerſali in cõmuni cõtinentur, vel ad illud pertinẽt; prædicabilitas etiã, quæ eſt paſsio vniuerſalis oſtẽditur in hoc libro; quomodo conueniat ſingulis illius ſpeciebus, ac deniq; de partibus & ſpeciebus ſubiecti, vniuerſalis ſcilicet, in præſenti tractatur quod Ariſt 4. Meth. tex. 3. ſcientiam agere debere indicauit.

Dico ſecundo: obiectũ formale quo, ſeu ratio ſub qua huius operis eſt quatenus iſta vniuerſalia cõducere poſſunt ad modos ſciẽdi, vel ad actus rationis dirigendos, patet ex dictis quæſt. de obiecto Logicæ, ſi enim hæc pars ad totam Logicam ordinatur, eius obiectum partiale ad obiectum totale Logicæ ordinari etiam debebit, & illius rationem formalem ſub qua (à qua præcipuè vnitas, & realitas ſcientiæ ſumitur) participare, at obiectum Logicæ adæquatum, ſunt operationes intellectus, vt dirigibiles ne errẽt &c. debent ergo vniuerſalia in hoc opere quatenus ad huiuſmodi directionem conducũt cõſiderari. Quod indicauit Porphirius hanc vniuerſaliũ notitiam ad definiendum, diuidẽdum, & demonſtrandum, vtilẽ eſſe docens & definiens.

Dico tertio, obiectum principale poteſt dici ſecundum prædicabile, ſcilicet ſpecies. Ratio eſt quia dicit totam eſſentiã, & naturã rei, ac proinde perfectior eſt quã natura generica, & differẽtialis, quæ tantũ dicunt partẽ eſſentiæ, & à for-

à fortiori eſt perfectior quam propriũ & accidẽs quę nõ ſunt partes eſſentiæ, ſed accidẽtia.

Neq; obſtat primo, quod in pręſenti agatur de indiuiduo, agitur enim de illo quia eſt correlatiuũ vniuerſalis, & illi ſubijcitur. Vnde poſſet dici ſecũdo, ſub huius libri adęquato ſubiecto etiã ſubijcibile cõprehendi, ideſt id, de quo vniuerſale prædicatur tãquã correlatiuũ illius quia correlatiua pertinent ad eandẽ ſcientiã. Vnde hoc ipſo quod dicitur vniuerſale eſſe obiectũ ſtatim indicatur cõprehẽdi etiã correlatiuũ illius in ſẽſu dicto.

Neq; obſtat ſecundo, quod omnes ſciẽtiæ etiã ſint de vniuerſalibus, ſunt enim de illis, ſpecificatiue & materialiter de naturis (inquã) rerũ quę vniuerſales denominantur: nõ vero de ipſa vniuerſalitate formaliter, niſi forte hãc vniuerſalitatem tanquam conditionem ſine qua non tantũ poſtulent. In pręſenti autẽ vniuerſale formaliter eſt obiectum formale, & adæquatum, vt diximus.

DISPVTATIO IIII.

De natura, & quidditate vniuerſalis in communi.

MVltipliciter vniuerſale ſumitur. Primo cõplexe, & eſt idẽquod propoſitio vniuerſalis, & hoc vniuerſale, pronũciatũ, dici ſolet (de quo in ſumulis) aliud eſt incomplexũ, quod eſt vnũ aliquid ſimplex, ordinẽ habens ad plura. Et ſicut iſte ordo poteſt eſſe multiplex, ſic etiã multiplex eſt vniuerſale; aut enim dicit ordinem cauſæ ad plura, vt ad effectus, & tale dicitur vniuerſale in cauſando vt Deus, de quo ꝓpriè pertinet ad Meth. Cæli etiã hoc pacto vniuerſales cauſæ dici ſolẽt; vel eſt ordo ad plura ſignificata, & hoc modo voces & nomina, immò ſcriptura etiã, & cõceptus vniuerſalia dicuntur in ſignificãdo, vt homo, cuius ſignificatũ pluribus hominibus cõuenire ſeu applicari poteſt; vel ordo iſte poteſt eſſe ad plura inferiora, de quibus aliqua natura prædicari poteſt, qua ratione natura verbi gratia humana abſtracta à ſuis inferioribus, & ad illa relata de quibus verè, & propriè pręedicabilis eſt, vniuerſalis in prædicãdo dici poteſt. Solet addi vniuerſale in eſsẽdo quale eſt iuxta errorẽ Auerr. intellectus ille vnus numero, quẽ ipſe in omnibus

pon.bat

ponebat hominibus & etiam Ideæ illæ à rebus ſeparatæ, quas dicunt poſuiſſe Platoné, de quibus ſtatim, ſed nullum eſt vniuerſale in eſsẽdo aliud, præter ipſum vniuerſale in prædicando, quod Ariſtot. de finiuit *Eſſe vnum, quod eſt in multis*: inde enim habet de multis vere prædicari, quia eſt in illis: ideo enim homo de Petro & Paulo vere dicitur, quia eſt in Petro, & Paulo: ac proinde (ſi in rigore loquamur) idem eſt vniuerſale in prædicando, & in eſſendo, licet ratione formali diſtinguantur, de quo ſolum in præſenti ſermo eſt, ſed quia eſſe vniuerſale in eſſendo, ſeu eſſe in multis, eſt veluti ratio & cauſa, quare ſit prædicabile, ſeu vniuerſale in prædicãdo, agemus primo de vniuerſali primo modo, ex quo facile cõſtabit quid de illo ſecundo modo ſumpto dicendum ſit.

QVÆSTIO I.

An ſit vniuerſale in rebus.

PRincipio quæſtionis huius tam pro eius intelligentia quam pro his quæ tota hac diſputatione dicẽda ſunt. Notandum primo, cõceptum intellectus noſtri vnum eſſe formalem, alterum vero, obiectiuum. Formalis conceptus eſt intellectio, ſiue directa ſit, ſiue reflexa. Conceptus vero obiectiuus eſt id quod per talem conceptum formalem cõcipitur, obiectumq; ipſius eſt. Hic autem cõceptus obiectiuus dupliciter ſumi poteſt, vel materialiter pro re obiecta, aut cognita, vel formaliter pro ipſa re, quatenus obiecta, & cognita (id eſt) ſecundum ea, quæ in illa intelliguntur per conceptum formalem, & cognitionem, quod magis ſequenti notabili declaratur.

Notandum ergo ſecundo eſt, plura prędicata, aut rationes, quæ in re aliqua exiſtentialiter neceſſario coniunguntur; nec à parte rei ſeparari queũt, poſſe optime vnũ, præciſſo altero, ab intellectu conſiderari; licet enim in Petro verbi gratia animal, homo, & Petrus neceſſario coniungantur, & realiter idem ſint; intellectus tamen, pręciſsiua (quã habet) virtute, poteſt optime ratio-

rationem animalis præciſſa ratione hominis,& rationẽ hominis præciſſa ratione Petri cõſiderare. Tũc igitur cõceptus obiectiuus dicetur ratio illa, ſiue animalis, ſiue hominis quę ab intellectu cõſideratur.

Notãdũ eſt tertio, cõceptus formales, ſiue operationes intellectus omnes eſſe quidẽ entitatiue ſingulares: cognoſcitiue vero ſeu in repreſentando (vt ſic dicam) expreſiue poſſe dici vniuerſales, vt tetigimus in capite diſputationis; quando ſcilicet non contemplãtur ſingularia, ſub rationibus individuis, ſed aliqua ratio vere in illis contenta ſine hac ſingularitate percipitur. V. g. ratio animalis, aut hominis, vt ſic, quæ licet reperiatur in Petro ſingularizata; non tamen ſub hac cõſideratione ſingularitatis cõcipitur. His cõceptibus formalibus, qui vniuerſales dicũtur, reſpõdẽt cõceptus obiectiui vniuerſales, qui nihil aliud ſunt, quã illæ rationes obiectæ, & cognitæ, ſine illa ſingularitatis contractione. Immo cõceptus formales nõ ſortiuntur denominationẽ vniuerſaliũ, niſi quia has communes rationes (quæ vniuerſales cõceptus obiectiui dicuntur) exprimũt cognoſcẽdo, & ideo dixi hos conceptus formales eſſe cognoſcitiue, ſeu in repreſentãdo expreſsiue vniuerſales.

His ſuppoſitis duæ ſunt in hac quęſt. extremæ ſententiæ. Prima eſt Nominalium Ochã ſcilicet c. 14. ſuæ Logicæ; & 1. ſentẽtiarũ diſt. 2. q. 7. & 8. vbi etiã Gabriel. Adã etiam in 1. diſt. 33. q. 8. ar. 1. fuit etiã Heracliti & Cratili, vt Ariſt. refert 4. Meth. tex. 22. aſſerentiũ, vniuerſalia nõ eſſe res, ſed tãtum cõceptus, vel voces, quibus nõ ſignificatur natura aliqua vniuerſalis, ſeu plura ſingularia, ideoq; vocẽ illã, qua plura ſingularia repreſentãtur, dici vniuerſalẽ, ad diſtinctionẽ vocis illius, qua vnũ tantũ ſingulare exprimitur, quæ ſingularis appellatur. Poteſt probari hæc ſentẽtia. Primo ſic. Vniuerſalia dãtur, quia dãtur ſcientiæ, quæ ſunt de vniuerſalibus (ſciẽtia enim eſt neceſſaria, & non poteſt aliter ſe habere, ac proinde debet eſſe de neceſſarijs, & inuariabilibus) ſingularia autẽ variationi obnoxia ſunt: at hæc vniuerſalia non ſunt in rebus, reſtat igitur vt ſint ſolũ in intellectu, in quo cõceptus reperiuntur, & in vocibus quę ad aliorum notitiam exprimũtur. Minor probatur. Quia res omnes a parte rei ſunt ſingulares, ſed ſingularitas opponitur vniuerſalitati, ergo res non poſſunt eſſe vniuerſales, tãtũ ergo, hęc vniuerſalitas in cõceptibus reperietur, & vocibꝰ Secũdo, vniuerſale vt hic loqui

tnur, eſt quod prædicatur de multis, ſed prædicari propriè ineſt vocibus, & non rebus, ſi loquamur de prædicatione vocali; ſi vero de mentali, ineſt conceptibus, ergo vniuerſalitas in vocibus, & conceptibus reperitur, non in rebus. Tertio, inter res ipſas, & conceptus nihil mediat, quicquid enim eſt, vel in re eſt, vel in intellectu concipiente, ſed in re omnia ſingularia ſunt, non ergo poſſunt eſſe vniuerſalia niſi in conceptibus intellectus.

Secunda ſententia, per extremum huic oppoſita, tribuitur Platoni ab Ariſt. 1. & 7. Meth. qui vniuerſalia dicebat, eſſe naturas quaſdam ſeparatas realiter a ſingularibus, incorruptibiles, & per ſe exiſtẽtes, independentes a tempore, loco, & motu, quæ eſſent de eſſẽtia, & quidditate omnium ſingularium: quas dicunt Idæas vocaſſe. Sicut enim ſygillo in cera fiũt multæ ſygillationes, quibus corruptis, adhuc manet ſigillum ſeparatum durãs, ſic ex participatione harum Idæarum, intelligebant ſingularia fieri: quibus corruptis, adhuc manebat vniuerſale ſeparatũ. Hæc ſentẽtia nullũ aliud habet fundamentum, quam vniuerſalia neceſſario debere eſſe res, nec ſolũ in cõceptibus & vocibus reperiri vt aperte oſtendemus. In rebus autẽ niſi hæ reales, & vniuerſales ideæ conſtituãtur, omnia eſſe ſingularia, ac proindè nihil aliud eſſe quod poſsit in re, vniuerſale dici, niſi hæc ſeparata, & veluti Idæalia vniuerſalia conſtituantur.

Sed vt ab hac ſentẽtia incipiamus, duo circa illã dicẽda ſunt. Primũ omnino eſſe falſã, nec vlla probabilitatis ſpecie poſſe veſtiri. Ex quo elliciem9 ſecũdũ, ſcilicet nullo modo fuiſe Platonis. Primũ probatur facile, quia ex illa, plura ſequuntur aperte pugnantia ſecũ; ſequitur enim, ſi talis natura daretur, quod eſſet vniuerſalis, & nõ eſſet vniuerſalis; vniuerſalis quidẽ, quia ſic in hac ſentẽtia cõceditur: nõ vniuerſalis autẽ, primo, quia illa Idæa, eſt exiſtẽs in ſe indiuiſſa, & diuiſſa realiter a quacũq; alia: eſt ergo ſingularis, & vna. Secũdo quia illa Idæa creata eſt (in creatũ enim tãtũ eſt vnũ) & hæc ſentẽtia plures ponit Idęas, ergo per creationẽ, aut generationẽ factę, ſed iſtę actiones, tãtũ terminantur ad ſingularia, erit ergo ſingularis.

Secundo principaliter ſic probat S. Tho. Opuſ. 35. quia impoſsibile eſt, eſſe aliquid de mea eſsẽtia, quod in me realiter nõ ſit: ergo impoſsibile erit, dari illam naturã vniuerſalem,

'lē,quæ de eſsētia omniū ſingulariū ſit,&dari ſeparatā.Cōfirmatur quia ſi illæ ſubſtantiæ eſsēt incorruptibiles, vt ponit hæc ſentētia,ſequitur,illas ſpecie diſtingui a ſingularibus,ac per cōſequēs nō eſſe eiuſdē naturæ,& eſsētiæ:quia corruptibile,& incorruptibile,diuerſę ſunt naturæ, & ſpeciei. Addo, has Idæas,hoc ipſo quod ſunt de eſſentia ſingulariū, eſſe intrinſicæ in illis;hoc ipſo quod ſunt ſeparatæ,non poſſe eſſe in illis, ac proinde apertam repugnantiam inuolui.

Secūdū ex hoc facile ſequitur,hācſcilicet ſentētiā nō fuiſſe Platonis:nec enim credibile eſt,diuinū illud ingeniū, rē adeo manifeſte falſam, & improbabilē,ut vidimus,tāquam veriorem elegiſſe;ſed per illas Idæas,intelexiſſe imagines & rationes creaturarū omnium, quas in mēte diuina cōſiderāt Theologi cū Magiſt.in 1.diſt. 36.& cū D.Th.1.p.q.15.de quibus ibi.Secūdo probatur hoc ipſum authoritate grauiſsimorū Doctorū,qui in ſenſu a nobis dicto,Platonis mētē explicarunt. Hi ſunt, Euſtracius. & Simplicius vt refert S.Th. lib. 4.de regimine Principū ca.4. D.Aug.lib.83. quæſti. q.46.& lib.7.de Ciuitate Dei c.28.D. Greg.Naziāz orat.1.de Theolog.n.8.Plutar.de placitis Philoſophorū c.10.Cicer.1. de oratore, Eugubin.lib.1.de perēni Philoſ.c.10. Picus Mirādul. li. 6.examinis veritatis doctrinæ gētiū c.15.immo ab ipſo Platone in Parmenid.& Thimeo id ſignificari videtur.Omniū prę clare Senec.lib.8. epiſt.66. ait *Deus in ſe,rerū exempla habet quas Plato Ideas vocat.*

Dicēdū igitur eſt in hac quæſtione,cōtradictionę implicare quod natura vniuerſalis,realiter a ſingularibus ſit ſeparata, propter rationes nunc dictas cōtra hāc ſentētiā: ſed tātū ſeparari ſola ratione,ſeu per intellectū ab illis. Patet. Ea quæ aliquomodo diſtinguūtur, ſi realiter nō diſtinguātur,diſtinguētur ſaltim ratione,& per intellectū:ſed vniuerſale aliquomodo diſtinguitur a ſingularibus(prædicatur enim de pluribus,eſt cōmune multis, de illo eſt ſciētia,quæ omnia ſingularibus nō cōueniūt)& nō diſtinguitur realiter, ergo per intellectū. Quod explicatur, & probatur, ſecūdo,quia cōceptui,& voci formali vniuerſalis V.g.hominis,animalis,&c. cōceptus obiectiuus reſpōdēs,aliquid reale eſt, animal enim, & homo,realia prædicata ſūt; & vt patet,nō ſunt entia rationis,eſſe enim hominis,nō eſt tātū obijci intellectui, ſed eſſe animal rationale.Hęc ergo natura realis quæ ſic cōcipitur, eſt quā appellamus vniuerſalē

que a ſingularibus eſt ſeparata per intellectũ: eſſe vero reale habet aſe, ergo per intellectũ diſtinguitur, quod ergo in præſenti queſt. volumus, tãtũ eſt vniuerſalẽ naturã, quæ obiectiue reſpõdet cõceptui, & voci cõmuni, eſſe aliquid ad ens reale pertinẽs, quod vere in ſingularibus reperitur. Vere enim reperitur in Petro quod ſit homo, licet ab intellectu ſine ſingularitate concipiatur.

Explico tertio, quia in indiuiduo plures rationes reales sũt: ſubſtãtiæ ſcilicet realis, realis corporis, realis vite, animalitatis, &c. ſed vt vidimus, quæ exiſtẽtialiter realiter cõiũgũtur, poſsũt per intellectũ ſeparatim intelligi, & vnũ ſine altero expreſſe cõcipi, poterit ergo, rationẽ hominis, que realis eſt, ſine ratione ſingularitatis cõcipere. Quæ realis ratio ſic cõcepta, dicitur vniuerſalis, & in rebus eſſe. Vnde licet nõ reperiatur, quid ſit illud reale, realiter a ſingularibus ſeparatũ, quia nihil tale eſt, eſt tamẽ aliquid reale, ſeparatũ per intellectũ tãtũ a ſingularibus.

Neq; obſtat cõtra hoc, quod ſicut res ſe habẽt ad eſſe, ita ad cognoſci, ac proinde ſi naturæ vniuerſales ſingularibus ſũt cõiũctæ, debẽt cognoſci, vt ſic cõiũctæ. R. enim maiorẽ eſſe verã ex parte illius quod cognoſcitur, nõ vero ex parte modi cognoſcẽdi: Ideſt in re quã cognoſcimus, id qđ res eſt debet cognoſci, ſi vere cognoſcenda res eſt, nõ vero ſecũdũ eũdẽ modũ quẽ res habet, res enim iſte inferiores in ſe materiales ſũt, ab intellectu autẽ qui potẽtia ſpiritualis, & immaterialis eſt, debẽt immaterialiter intelligi, & rationes in re cõiũctæ, poſſunt etiam intelligi ſeparatim, vt vidimus notabili 2.

Ex quo fit, cõtra primã ſentẽtiã, dicẽdũ eſſe ſecũdo vniuerſalia nõ in cõceptibus, & vocibus reperiri, niſi tãtũ dicãtur vniuerſalia in ſignificãdo, q̃a ſcilicet rei vniuerſalis ſignificatiua ſũt. Ex quo aperte nr̃a ſẽtẽtia ãplius cõfirmabitur. Hoc autẽ ꝓbatur 1. ex Ariſt. qui. 1. de interpræt. c. 5. *rerũ* (inquit) *aliæ ſunt vniuerſales, aliæ particulares*, dantur ergo res vniuerſales.

Ratione probatur primo, Illud eſt vniuerſale, quod de pluribus prædicatur, ſed quod prædicatur de homine, equo, & alijs, non eſt conceptus animalis, ſed animal, animal ergo, non vero conceptus formalis animalis eſt vniuerſale: cõceptus enim formalis eſt intellectio: quæ vt patet, de homine non prædicatur. Idem cõſtat de vocibus; Petrus enim non eſt hæc vox *homo*, ſed res. Deinde, omĩa eſſet accidẽtia, q̃a de illis nihil prædicatur (per vos) niſi

niſi conceptus, & voces, quæ accidentia ſunt. Sed ſecundo, ne reſpondeant prædicari omnia ſingularia repreſentata per conceptus vniuerſales, argumentor ſic. Si in his propoſitionibus Petrus eſt homo, vel Paulus eſt homo: per illũ terminum *homo* non ſignificatur aliquid vniuerſale, ſed omnia ſingularia, ſequitur Petrũ eſſe omnia ſingularia, & Paulum eſſe omnia ſingularia, quo nihil abſurdius dici poteſt. In re igitur aperta nó immoremur.

Ad argumẽta Reſpõdetur, quod licet omnia quæ exiſtũt, exiſtentialiter ſingularia ſint, poteſt tamen aliqua ratio realis ab intellectu cõcipi, ſine ſingularitate; quã realẽ rationẽ vniuerſalem appellamus.

Ad ſecundũ Reſpõdetur potius eſſe cõtra illos, quod enim prædicatur, neceſſario debet eſſe res, vt probauimus; licet expreſsio & declaratio rei huius per conceptus mentaliter, & per voces vocaliter fiat.

Ad tertiũ, fatemur inter res & conceptus nihil mediare, ſicq; naturã vniuerſalem ad res pertinere, ex parte rei cognitæ; licet præciſsio a ſingularitate, ad cõcipiẽdi modũ ab intellectu pertineat. Neq; modo inquirimus, an formaliſsima ratio vniuerſalitatis, hãc rẽ quã explicuimus denominans, ſit quid reale, an quid rationis? hoc enim iã iam explicabitur. Sed tãtũ volumus, id quod denominatur vniuerſale, eſſe vere naturã realẽ, & rationẽ aliquam, quæ a parte rei in ſingularibus reperiatur.

QVÆSTIO. II.

Vtrum Natura hæc realis, quæ vniuerſalis dicitur: ſit formaliter, & poſitiue vniuerſalis, ante operationem intellectus.

PRo intelligẽtia quæſt. præcipue termini illius *vniuerſale* præmitto. Vniuerſale eſſe vnũ in multis; vel quod de pluribus prædicari aptũ eſt. Vtraq; deffinitio colligitur ex Ariſ. Prima 7. Meth. tex. 13. Secunda vero 1. de interpræt. cap. 5. Quarũ prima quidditatiua eſt, quia per eſſentialia. Secunda vero deſcriptiua, quia per paſsionẽ, ſcilicet prædicabilitatẽ datur. Ideo enim prædicari poteſt aliquid d multis, quia eſt in illis. De cuius ratione eſt, quod ſit vnũ, vnũ inquã proprijſsime, & in rigore, nomine ſcilicet, & ratione, nomine,

Digitized by Google

vt ſit vox ſimplex, & vna: per quam excluduntur a ratione vniuerſi, orationes, propoſitiones & complexa; vt etiam initio huius diſputationis tetigimus. Ratione autem, quia debet habere vnam, & eandem rationem, ab inferioribus participatam. Per quod excludũtur a ratione vniuerſi, æquiuoca, quæ plura, non vt vna ratione conueniunt, ſed vt plures, & diuerſas habent naturas, ſignificant. Excluduntur etiam Analoga, quorum ratio non eſt omnino eadem, vt in vniuocis: quia vero partim eſt eadem propter proportionem, & ſimilitudinem, aliquando ab Ariſt. vniuerſalia dicuntur. Vnde 3. Meta. c. 34. Ens quod abſq; dubio eſt Analogum, vt videbimus, vocat maxime vniuerſum. Licet 4. Meth. cap. 2. tex. 6. illi vniuerſalis neget rationem. Extendit ergo Ariſt. nomen vniuerſalis, quando id Analogis tribuit, ad id quod eſt commune pluribus, habens inferiora de quibus prædicetur, quæ aliqualem habent interſe conuenientiam, ſimilitudinem, proportionem, & Analogiam. Quod clarius ex dicendis de natura Analogiæ, infra conſtabit.

Præmitto ſecundo, pro intelligentia illius termini *formaliter* vniuerſale eſſe terminum connotatiuum, ac proinde de formali dicere vniuerſalitatem, connotare autem de materiali, naturam, quæ vniuerſalis denominatur: ſicut album de formali dicit Albedinẽ, cõnotat autem corpus. Vnde, ſicut corpus dicitur albũ actu, & formaliter, quando actu & formaliter eſt in illo albedo, ſecus quando tantum eſt in potentia ad illam: quia tũc ſolum eſt in potentia album: ſic natura aliqua, quando actu denominatur ab vniuerſalitate generis V. g. aut ſpeciei; actu & formaliter eſt vniuerſalis; quando vero tantum eſt in potentia vt denominetur, tãtum dicitur vniuerſalis fundamentaliter, & in potentia. Hæc autem potentia poteſt eſſe duplex. Vna remota; & eſt natura inuoluta a parte rei cũ proprietatibus ſingularibus, prout abſtrahibilis eſt a ſingularibus: ad quam non ſequitur immediate notio vniuerſalis Logici. In potẽtia autem proxima, tunc dicitur eſſe natura, quando habet vniuerſalitatẽ negatiuam, ſeu actualem abſtractionem vt iam explico.

Præmitto tertio pro intelligentia alterius termini *poſitiue* duplicem eſſe vniuerſalitatem; negatiuam vnam, poſitiuam aliam. Poſitiua, conſiſtit in hoc, quod natura conſideretur,

tur actualiter, cum ordine, & reſpectu poſitiuo ad plura inferiora, de quibus apta eſt prędicari. Vniuerſalitas autem negatiua, conſiſtit in indifferẽria quadam, qua natura ſe habet negatiue ad ſingulare, eo quod nullum reſpicit poſitiue. Quod habet natura, quando a conditionibus indiuidualibus abſtrahitur, ſine hoc quod tunc poſitiue aliquod reſpiciat ſingulare. Quod q.4. clarius & latius explicandum eſt. Et quando natura habet hanc vniuerſalitatem negatiuam, eſt in potentia proxima, ad hoc, quod fiat vniuerſale Logicum, quod in illo poſitiuo reſpectu conſiſtit.

Ex his fundamentis poſſunt oriri rationes dubitandi. Prima ex primo ſic, vniuerſale eſt vnum in multis, ſed natura V, g. humana a parte rei, eſt in multis indiuiduis; & eſt vna; tum, quia omnium hominum, vna eſt natura; tum ſecundo, quia natura humana de ſe, eſt ens, ergo eſt vna: quia vnum & ens conuertuntur. Ergo eſt vniuerſalis. Explico & vrgeo natura humana ſecundũ ſe, nõ dicit conditiones indiuiduãtes, per quas eſt plures: ergo de ſe vna eſt. Si ſemel autẽ ſupponamus vnam eſſe, quod in multis ſit dubitari non poteſt. Eſt enim a parte rei in Petro, & in Paulo. Quid ergo deſideratur ad rationem vniuerſalis?

Secunda dubitandi ratio, oritur ex ſecundo fundamento, vniuerſale formaliter eſt quod actu ab vniuerſalitate denominatur, ſed a parte rei datur natura, actu denominata genus aut ſpecies, quæ ſunt denominationes vniuerſalis, ergo datur vniuerſale formaliter. Minor probatur, quia Deũ omnia rerum genera creaſſe dicimus. Et Geneſ. 1. dicitur. *Et pro tulit terra herbam virẽtem, & facientem ſemen, iuxta genus ſuum, & habens vnum quodq; ſementem ſecundum ſpeciem ſuam.* Ecce quomodo, loquendo de eo, quod a parte rei eſt, mentio fiat generis & ſpeciei, quæ ſunt formaliter vniuerſalia.

Tertia dubitandi ratio oritur ex tertio fundamento, obiectum actu & poſitiue ſumptum, debet præcedere potentiam, ex Ariſt. 2. de anima tex. 33. ſed ex eodem Ariſt. 3, de anima cap. 5. vniuerſale eſt obiectum intellectus, ergo vniuerſale poſitiue ſumptum, debet eſſe ante intellectum, ergo a parte rei.

In hac igitur quæſtione: Prima ſententia aſſerit, res eſſe a parte rei vniuerſales formaliter, ante omnem intellectus operationẽ. Sic Paulus Venetus

Digitized by Google

tus lib. 2. ſuæ Meth. & q. 1. vniuerſalium. Ioannes Baptiſta Monlorius, diſp. de rebus vniuerſalibus cap. 6. Antonius Andræas 7. Meth. q. 18. Præter adducta probari poteſt denuo. Quia ſingulare opponitur vniuerſali relatiue: eſt enim vniuerſale, id, quod dicit ordinē, & relationē ad ſingulare, quod eſt ſub illo, tanq; inferius, ergo ſi relatiue opponitur, cū relatiua ſint ſimul natura, ſimul erūt a parte rei. Quiā ſicut nō poteſt eſſe Pater formaliter a parte rei, niſi a parte rei ſit filius, ſic non poterit eſſe ſingulare a parte rei, niſi a parte rei ſit vniuerſale, ad quod refertur, ſed a parte rei eſt ſingulare, ergo à parte rei erit vniuerſale.

Secunda ſententia eſt Scoti in 2. diſt. 3. q. 1. naturam a parte rei vniuerſalem eſſe, & communem negatiue, videtur etiā Magiſtri Soto hic, q. 6. Probatur primo, inter duo cōtradictoria, non datur medium, aut ergo natura de ſe eſt determinata: aut de ſe eſt non determinata: non primum quia de ſe ſolum conueniunt naturæ prædicata eſſentialia, ſingularitas autem in ſuis prædicatis eſſentialibus non comprehenditur, etenim prædicata eſſentialia, nullo exiſtente indiuiduo, naturæ conueniunt, ratio autem ſingularitatis non eſt niſi in indiuiduis; ergo cum natura de ſe non ſit determinata, erit de ſe indeterminata, ac proinde negatiue vniuerſalis.

Secundo: impoſsibile eſt naturam humanam eſſe in pluribus realiter, niſi realiter apta ſit eſſe in pluribus, ſed vniuerſale eſt quod eſt aptum eſſe in multis, ergo natura realiter apta eſt eſſe in multis, ergo realiter eſt vniuerſalis.

Tertia tandem ſententia eſt S. Th. 7. Meth. lect. 13. & opuſc. de ente, & eſſentia cap. 4. & 1. p. q. 85. ar. 1. & 1. 2. q. 29. ar. 6. aſſerentis, naturam a parte rei non poſſe eſſe vniuerſalem neq; negatiue, neq; poſitiue, & ex ſe neq; ſingularē eſſe, neq; vniuerſalē, ſed per cōditiones indiuiduantes ſingularē eſſe, per intellectum autem vniuerſalē. S. Tho. ſequūtur Capreolus in 3. diſt. 5. q. 3. & ar. 3. nec oportet cæteros authores exprimere, ſunt enim omnes præter citatos pro contraria ſententia. Eſt etiam expreſſa Ariſtot. qui hac ratione 1. de anima tex. 8. vniuerſale inquit, aut nihil eſt, aut poſterius eſt, ideſt poſt intellectus operationē, vt ibi D. Tho. Albert. Mag. & omnes alij intelligunt. Sed vt hanc ſententiam radicitus intelligamus, eamque probemus, verum ſenſum quem habere debet elliciendo.

Dubi-

Dubitare oportet. Utrum vnitas tranſcendentalis ſit tantum vnitas numeralis, an vero conſequatur omnem formalitatem entis realis.

DVplex dicendi modus in hac dubitatione reperiri poteſt. Primus aſſerens hanc vnitatem numeralem tãtum eſſe realem paſsionem entis, ſicq; vnitatem tranſcendentalem cõuerti cum numerali. Poteſt probari vrgenter. Primo, quia vnitas tranſcendentalis quę eſt paſsio entis realis, eſſe debet vnitas realis, ſed in rebus nulla eſt vnitas realis præter vnitatem numeralem, & ſingularem, ergo illa ſola eſt adæquata paſsio entis, vnitas enim vniuerſalis per intellectum eſt. Secundo, etiam ſi in aliquo ente, per intellectum poſsint plures rationes reales diſtingui, illa pluralitas per intellectum non facit plura entia, ergo non facit plura vna, ergo vnitas quæ eſt paſsio entis nõ ſequitur rationes formales etiam reales, ſed entitatem ſingularem & indiuiduã. Tertio, vnitas tranſcendentalis non eſt paſsio entis in potẽtia, ſed entis actu, niſi enim actu ſit ens, actu vnum eſſe non poteſt, ſed ens actu tãtũ eſt ens ſingulare, ergo vnitas tãtũ ſequitur ſingularitatẽ, & indiuiduationẽ. Minorẽ probo, quia antequã ens actu exiſtat, ſolũ eſt ens in potentia cauſæ, ergo nõ eſt ens actu. Addo, quod ſi adhuc loquamur de ente in potẽtia, nõ poteſt eſſe ens reale, niſi quod ſit capax realis exiſtẽtiæ, ſed nihil eſt capax exiſtẽtiæ realis, niſi res indiuidua, qualis enim eſt actus, talis debet eſſe potẽtia ad illũ, ſed actus eſt vere exiſtẽtia ſingularis ergo potẽtia debet eſſe ſingularis, vt huic actui ꝓportionetur.

Secũdus dicẽdi modus aſſerit, vnitatẽ trãſcẽdẽtalẽ nõ ſolũ cõuenire entibus indiuiduis, & ſingularibus, ſed etiã cuicũq; rationi entis realis per ſe, quatenus indiuiſa eſt adæquate, & ſecũdum ſe. Hæc videtur ſentẽtia Ariſ. 5. Met. c. 6. tex. 11. vbi vniuerſaliter ait, *quæcũq; nõ habẽt diuiſionẽ in quãtũ nõ habẽt, ſic vnũ dicũtur*. Ratione probatur primo vrgẽter ſic. De quocumq; dicitur ens dicitur vnũ trãſcendẽs, ſed ens nõ ſolũ dicitur de indiuiduis, ſcilicet Petro, & Paulo, ſed etiã d homine, & animali, eſt enim

hæc

hæc prædicatio æternæ veritatis, homo eſt ens, ergo ratio vnius tranſcendentalis non ſolum dicitur de indiuiduis, ſed etiam de homine, & quauis alia ratione reali. Secundo, eſſe reale, non tantum dicitur de eſſe exiſtentiæ, ſed de eſſe eſſẽtiæ, eſt enim realis eſſentia, quæ explicatur per definitionem V. g. animal rationale, ergo hæc eſſentia realis, vna eſſentia realis erit, & tamen abſtrahit ab exiſtentia, ergo etiã ſi non ſit exiſtens & indiuidua erit vna. Tertio, natura ſecundum ſe ideſt ſecundum ſua prędicata eſſentialia, eſt indiuiſſa in ſe, quoad hæc prædicata eſſentialia, & diuiſſa a quibuſuis alijs prædicatis eſſentialibus, ergo ſtando in hac eſſentialitate ſecundum ſe, eſt vna, quia vnum eſt indiuiſſum à ſe, & diuiſſum a quo libet alio. Quarto, adæquata paſsio alicuius communis obiecti, non ſolum conuenire debet inferioribus contentis ſub illo, ſed etiam ipſi communi obiecto ſecundũ ſe, & formaliter ſumpto, ergo eſſe vnum, non tantũ ſingulis entibus indiuiduis, ſed enti in communi conuenire debet. Vnde recte dicitur, ens eſt vnum, & tamen non eſt vnum numero, quia non eſt ſingulare exiſtens, vnitas ergo tranſcendens non eſt adeo anguſta, vt ſolum ad vnitatem numeralem ſit limitanda. Hãc poſteriorem ſententiam, tanquam omnino veram amplectitur P. Suarez 1. tom. Meth. diſp. 4. ſect. 3. in fine.

Ego vero priorem ſententiam omnino certam exiſtimo, argumenta enim adducta eam omnino conuincunt, illud præcipuè, quia diuerſa formalitas entis, non trahit diuerſam entitatem, ergo neq; diuerſam vnitatem, ergo cum diuerſæ formalitates quantũuis obiectiuæ reales, tandem cum indiuiduis identificẽtur, erunt etiam vna numero cum illis. Sed ſecundo, ex indiſtinctione quam dicit vnitas, præter adducta argumentor ſic, vnum eſt indiſtinctum a ſe, ſed inter rationes communes, & ſingularem, indiſtinctio eſt realis, & vna, ergo & vnitas realis tantum erit vna, ſicut eſt vna indiſtinctio, ſed hæc vnitas realis qua indiſtincta ſunt eſt vnitas numerica, nulla ergo alia realis vnitas reperitur in illis, quia nulla reperitur alia indiſtinctio realis. Tertio ex diſtinctione ab alijs. Vnum eſt diſtinctum a quolibet alio, ergo qualis fuerit diſtinctio, talis erit vnitas, at inter rationes communes, & ſingularem tantum eſt diſtinctio rationis, vt vidimus præcedenti quæſtione,

tione, ergo ſi quæ eſt diuerſa vnitas, tantum erit per rationem, & non realis, ergo loquēdo de vnitate reali quæ eſt paſſio entis, ſolum eſt vnitas numerica. Quarto, quod vnitas tranſcendentalis non ſequatur quācumq; rationem entis realem, vt communis eſt, & diſtincta ab indiuiduo, probatur aperte, quia ens in communi, eſt de conceptu quidditatiuo entium ſingularium, ergo ſi vnitas qua ens in communi vnum eſt, eſſet tranſcendens, etiam eſſet de conceptu quidditatiuo ſingularium, hoc autē eſt impoſsibile, quia ens in communi eſt vnum Analogicè, ſingularia autem non poſſunt habere hanc vnitatem, hæc ergo non eſt tranſcendēs. Quod argumentum non ſolū ſoluit argumentū quartū ſententiæ oppoſitæ, ſed illud contra illam retorquet.

Ad cætera argumenta Reſpondetur Ariſtotelem potius fauere nobis, fatemur enim, quæcumq; non habent diuiſionem, eſſe vnum, & ſi illa nō diuiſio, fuerit realis, vnitas erit realis, cum ergo indiſtinctio quæ reperitur inter rationes communes & ſingulares ſit realis, & ſit indiſtinctio vnitatis numericæ, vt pote cum qua identificantur; indiuiſio realis erit numerica, ac proinde & vnitas, nulla ergo realis vnitas eſt, quæ non ſit numerica, ſed vnitas tranſcendens debet eſſe realis, ergo ſemper eſt numerica. Addo, quod ſi loquamur de formalitatibus illis obiectiue realibus, vt ab vnitate numerica diſtinguuntur, non ſunt indiuiſæ, quippe, quæ diſtinguuntur, & multiplicantur medijs differentijs indiuidualibus, omnes enim gradus naturæ, & omnia prædicata eſſentialia, quæ ratione eorum, poſſunt ei conuenire, fiunt hæc, & indiuidua, per differentiam indiuidualem, eſt enim Petrus hæc ſubſtantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, hoc rationale, & hic homo: immo repugnat aliquid eſſe in Petro quod non ſit hoc numero, ratione differentiæ indiuidualis; quomodo ergo ratio hominis eſt indiuiſa, ſi diuiditur per hæcceitates indiuiduorum. Ariſt. ergo potius nobiſcum eſt. Ad primam rationem diſtinguenda eſt illa maior. De quocumq; dicitur ens, dicitur vnum tranſcendēs diſtinguo, de quocumque dicitur ens entitatiue realiter, concedo, obiectiue vero formaliter, formalitate reali tantūm, nego, poſſunt enim (vt vidimus, multiplicari formalitates, indiuiſſa vnitate, neq; homo eſt vnus vnitate tranſcenden-

den-

dentali, niſi vt entitatiue Petrus, cum quo identificatur; & ſic entitatiue etiam eſt ens idẽtificatum ſimiliter cum ſingularitate in Petro, qui eſt hoc ens. Communitas autem illa quæ intelligitur in ente, aut in homine ſolum eſt per rationẽ abſtrahentem, aut comparantem, quæ ratio communitatis, vt ſic, non eſt quæ prædicatur, ſed ratio illa realis habens illam communitatem tanquam conditionem, non vt propoſitio ſit vera (eſt enim vera etiã identice) ſed tantum vt ſit formalis.

Ad ſecundum Reſpondetur quod eſſe eſſentiæ Phiſicum etiam eſt reale, non tamen reale actu, & a parte rei, ſed in potentia, vnitas autem tranſcendentalis, non conſequitur ens in potẽtia niſi etiã ipſa vnitas ſit in potẽtia, quia vero hoc ẽs in potentia dicit ordinem ad hanc exiſtentiam quæ facit vnum numero, ipſum ens in potentia, eſt vnum numero in potentia, ac proinde vnitas entis realis, ſiue ſit ens reale in potentia, ſiue in actu ſemper eſt numerica, eſſentia autem Metaphiſica vel identificatur cum hac Phiſica realiter, ac proinde quoad indiuiſionẽ, & vnitatem realem idem erit dicendum, vel ſi ab illa diſtinguitur tantum eſt ratione, ſolumq; intelligitur habere eſſe obiectiuè, quod vt ſic, ſiſtit omnino in ordine ad intellectum & connexionem naturalem prædicati cum ſubiecto, nec reſpicit eſſe in indiuiduis, ac proinde vt ſic, ad illa non eſt comparabilis niſi per identificationem cum eſſentia Phiſica producibili, & exiſtente in illis, quæ realiter ſemper ſingularis eſt, tam actu, quam potentia (vt dixi) vniuerſalis autem, ſolum per intellectum.

Ad tertium Reſpondetur, negando, naturam ſecundum ſua prædicata eſſentialia eſſe indiuiſam, vidimus enim prædicata omnia etiam communiſsima diuidi per differẽtias indiuiduales, faciunt enim in quouis indiuiduo non tantum hunc hominem V. g. ſed hoc animal, hanc ſubſtantiam, & hoc ens, hoc autem animal, ſemper eſt diuiſum ab hoc alio animali.

Ad quartum, iam vidimus aſſumptum falſum eſſe, vel nõ debere intelligi de vnitate tranſcendentali, aliàs vnitas Analogica conueniens enti in communi, conueniret cuiuis indiuiduo, quod aperte falſum eſt.

Addendũ eſt in calce huius dubitationis, quod ſi in ratione formalitatum, aut abſtrahẽtis eſſentiæ, vellimus aliquam

vni

vnitatem aut indiuiſsionem formalem concedere, hæc vnitas debet illi cõuenire in quãtum indiuiſa adæquatè, & ſecundum ſe, quia vnitas in vnaquaq; re, ſeu conceptu obiectiuo reali, ſecundum eius propriam rationem attendi debet, & non ſecundum aliquam ſuperiorem, inferiorem, aut extraneam, nam hæ, aut ſunt inadęquatæ, aut per accidens, vnitas vero vnius cuiuſq; eſt illi adæquata, & per ſe illi conuenit, vnde homo dici poteſt vnus eſſentialiter, quia ſecundum propriam adæquatam rationẽ ſuam pro illo ſtatu abſtractionis non eſt diuiſus in eſſentiali ratione. Hæc autẽ vnitas ex duplici capite non poteſt reperiri in indiuiduis, tũ, quia ſolũ conuenit illi formalitati obiectiuæ reali pro illo ſtatu abſtractionis, qui ſtatus non poteſt communicari in indiuiduis, atq; ita non obſtãte hac vnitate poſſunt eiuſdẽ naturæ indiuidua multiplicari. Tum ſecundo, quia illa vnitas conuenit ſecundum adæquatam rationem, non poteſt autem hæc ratio hominis ſecundum totam ſuam adæquationem eſſentialem, ſic ſecũdum ſe conſideratam, plenè in quouis indiuiduo reperiri, alias ſi quoduis indiuiduum illam adæquaret, eſſet veluti natura Angelica immultiplicabilis.

Quibus addo, vnitatem illam ratione ſtatus (abſtractionis ſcilicet) eſſe quoddãmodo rationis; licèt ratione rei conceptæ ſit realis, abſolute tamen rationis dici debet, quia conuenit illi conceptui obiectiuo reali, vt diſtincto ab indiuiduo ſingulari, quæ diſtinctio per intellectũ eſt. Tum etiam, quia illa vnitas non trahit indiuiſionẽ realẽ abſolutè, cum diuidatur realiter in indiuiduis ac proinde abſolutè non eſt vnitas realis. Dices: allę paſſiones trãſcẽdẽtales cõſequuntur quãcumq; formalitatẽ entis realis, vt aliquid, res, verũ, &c. quare ergo vnitas nõ adeo trãſcendens eſt ſicut aliæ.

Reſpondetur primo, etiã bonitatẽ nõ adeo trãſcendere, ſicut verũ, quia bonitas requirit exiſtentiã, verũ autẽ perfectius eſt in abſtractione, quia ibi inuariabile, & proportionatũ obiectũ eſt intellectui, qui potentia ſpiritualis eſt.

R. 2. quod paſsiones illæ, quę opponũtur priuationi & nihilitati, omnino formaliter, & immediate, quãcũq; entis formalitatẽ ſequuntur, quia quæcumq; formalitas entis tollit nihilitatẽ & ita quia aliquid opponitur nihilo, verum etiã transſcendentale opponitur nõ intelligibili, & res, non rei, hæ paſsiones quancumque formalitatẽ entis cõſequũtur, quia

quia quæcumq; tollit nihilitatem, non rem, & non intelligibile. Vnitas vero, quia immediate opponitur multitudini, quæ poſitiuum quid eſt, aut diuiſioni, quæ poſtulat neceſſario poſitiuũ multitudinis, non eſt adeo tranſcendẽs, poteſt enim dari formalitas entis abſtrahẽs à poſitiuo multitudinis & vnitatis quam proinde formalitatem neq; multitudo neque vnitas conſequitur.

Et hæc de hac dubitatione.

QVibus ſuppoſitis pro explicatione ſẽtẽtiæ S. Th. dico primo natura a parte rei, ſolũ poteſt habere numericã vnitatẽ. Hæc facile probatur ex dictis quia a parte rei eſt cõtracta per differentias indiuiduales quæ in quouis indiuiduo faciũt numericã vnitatẽ, ex quo in pluribꝰ indiuiduis erit etiã plures numero. Secũdo probatur, quia a parte rei, cõmunior, quæ reperiri poteſt vnitas, eſſet vnitas trãſcẽdẽtalis, ſed hæc ſolũ eſt numerica vt probatũ eſt, ergo. Hinc fit naturã a parte rei nõ poſſe eſſe vniuerſalẽ, quia vniuerſale poſtulat vnitatẽ cõmunẽ, vnitas autem numerica omnino ſingularis eſt. Hãc cõcluſionẽ fatẽtur Philoſophi fere omnes, Arabes, & Latini, docuitq; luculẽter Damaſce. lib. 5. de fide cap. 11. cuius verba ſunt. *In rebus omnibus creatis perſonarũ diſtinctio re cõſideratur, cõmunitas autẽ & cõiũctio, & vna earũ ſpecies, ratione atq; cogitatione percipitur*, animo enim intelligimus Petrũ, & Paulũ eiuſdẽ naturæ eſſe, naturãq; vnã communẽ habere. Tertio probatur, quia natura aut poteſt cõſiderari ſecũdum ſe, vel, vt in ſingularibus, vel, vt in intellectu: ſed ſecũdũ ſe nõ eſt vniuerſalis, alias nõ poſſet eſſe ſingularis, neque vt eſt in ſingularibus, quia vt ſic ſingularis eſt, non communis, ergo ſolum eſt vniuerſalis, vt eſt in intellectu. Quarto, vt natura ſit vniuerſalis actu, & formaliter debet ſeparari a ſingularibus, & ab illis aliqua ratione diſtingui, vt pote quæ refertur ad illa, ſed non poteſt ſeparari niſi per intellectum, ergo non poteſt eſſe vniuerſalis niſi per illum. Sed reſpondet Monlorius, quod licet natura non ſit ſeparata ſecundum exiſtentiam, eſt autem ſeparata ſecundum eſſentiam quia in ſua eſſentia non inclu-

cludit illa. Sed contra primo, quia omnis eſſentia, ſecundum quod eſt ens reale in potentia, dicit ordinem ad exiſtentiam: ergo ad ſingularitatem, ergo eſt ens in potentia ſingulare, ac proinde, licet abſtrahat ab exiſtentia actu, dicit tamen ordinem ſingularẽ ad exiſtentiam: quod ſi in communi, & Methaphiſice ſumatur, hanc communitatem tantum habet ſecundum eſſe obiectiuum, ſecundum quem ſtatum iam ſupra oſtendi non poſſe eſſe vniuerſalem. Sed quomodocumque loquantur Monlorius & Scotus, argumentor ſecundo quia ſicut natura ſecundum ſe non includit ſingularia, ita neque includit in ſua eſſentia hanc ſeparationem a ſingularibus: ſi enim includeret, non poſſet non eſſe ſeparata ab illis, ac proinde non poſſet eſſe in illis, quod præter quam quòd eſt falſum (vt patet, cum a parte rei ſit coniuncta Petro, & Paulo) potius ſequeretur cõtra illos nõpoſſe eſſe vniuerſalem, ſi quidem poſtulat ſecundum ſe abſtrahere, neque eſſe in ſingularibus: vniuerſale autem poſtulat eſſe vnum in illis. Tertio contra ipſos addo: cauſalem illam, ſcilicet, naturam eſſe ſeparatam a ſingularibus, quia ſecundum ſe non includit illa, falſam eſſe; alias recte ſequeretur albedinem eſſe ſeparatam actualiter a ſubiecto, quia ſecundum ſe nec ſubiectum, nec inhærentiam actualem includit.

Tandem probatur concluſio, quia vniuerſalitas non eſt, ante operationem intellectus: ergo neque vniuerſale formaliter: antecedens conſtat ex notabilibus adductis, quia quælibet vniuerſalitas tam negatiua quam poſitiua, fit per aliquam operationem intellectus: quod magis conſtabit ex eo quod.

Dico ſecundo. Natura ſecũdum ſe neque eſt vniuerſalis, neq; ſingularis, ſed vtrumque accidit illi ſi ſumatur ſecundum ſe. Sic omnes Doctores, præter prædictos. Probatur primo, natura a parte rei eſt in ſingularibus concreta, ergo abſtrahere ab hac concretione, opus eſt intellectus, at quod conuenit per intellectũ, & non a parte rei, non eſt eſſentiale rei, ergo. Secundò, quod conuenit alicui ex ſe, & eſſentialiter, ſemper, & vbique conuenit, & nunquam illi repugnat; ſed hæc negatiua communitas, repugnat illi, vt eſt in ſingularibus: ergo non conuenit ex ſe & eſſentialiter. Tertio

tio, quidquid conuenit ſuperiori ſecundum eſſentiam debet conuenire omnibus inferioribus eſſentialiter contentis ſub illo, quia enim homini ſecundum ſe conuenit eſſe rationale, conuenit etiam Petro, & Paulo, ergo ſi naturæ hominis V. g. conueniret ſecũdũ ſe indifferentia & vniuerſalitas negatiua, conueniret etiam Petro eſſe indifferentem, & vniuerſalem, quod apertiſsimè falſum eſt.

Ad argumenta in oppoſitũ Reſpondetur, & primo ad rationes dubitandi. Ad primam iam vidimus naturam a parte rei non eſſe vnam, niſi ſolum vnitate numerica, neq; omniũ hominum dicitur vna natura, niſi vnitate fundamentali, ad id autem quod dicitur natura de ſe eſt ens, ergo eſt vna. Reſpondetur vnum nõ eſſe paſsionem entis in quauis formalitate, & vnitatem tranſcendentalẽ ſolum eſſe numericam, ſi ergo nomine entis intelligatur entitas realis, ſolũ eſt entitas realis ſingularis, ac proinde etiam vnitas numerica in natura, ſi vero ſumatur ens pro formalitate tantum, nõ multiplicatur vnitas trãſcendentalis, ac proinde tranſcendẽtaliter non eſt niſi vnum numero, de ſe autem natura ſolũ dicit eſſe ens, ſecundum prædicata eſſentialia in quibus nõ includitur vnitas aliqua, ſed indifferẽtia ad vnum, & plura, pluralitatẽ habens in indiuiduis, vnitatẽ autem per intellectum. Addo quod etiam ſi concedatur cõſequentia, nempe eſſe vnũ vnitate Metaphiſica, negandum tamen eſt ſecundum illam poſſe eſſe in multis propter rationes ſuperius dictas, nec recte dicitur eſſe a parte rei in Petro & in Paulo, ſed quod a parte rei ſint Petrus & Paulus, quorum quilibet ſuam habet actu naturam diſtinctam; vnde ſunt in illis plures naturæ actu, per differentias indiuiduales diſtinctæ, de quo quæſt. ſequenti. Ad id quod additur. addo & ego, naturã humanã ſecundũ ſe, conditiones indiuiduãtes, nec dicere, nec excludere, iuxta doctrinã 2. cõcluſi.

Ad ſecũdã rationẽ dubitãdi Reſpõdetur, ſcripturã ſacram nõ dixiſſe genus & ſpeciẽ produci ab arboribus, ſed ſemẽ ſecũdũ genus, id eſt, ſemen eiuſdẽ naturæ, quę fundamẽtaliter dicitur genus & ſpecies, vtitur autẽ hoc dicẽdi modo, nõ in rigore Logico, ſed quia nos ſermone vulgari, hoc modo dicẽdi ſolemus vti.

Ad tertium Reſpondetur, quod in eo ſenſu quo diximus vniuerſalia dari in rebus, ſunt obiectũ præcedens intellectũ, & hoc

& hec ſufficit vt verificetur dictum Ariſtotelis, præcipue, quia cum ſit intellectus agens producens ſpeciẽ rei ſine con ditionibus indiuiduantibus, ante intellectionem intellectus poſsibilis, obiectum repræſentatur ſic in communi, & hoc eſt eſſe vniuerſale. Addo rurſus, cum dicitur vniuerſale eſſe obiectum intellectus, ſenſus eſſe poteſt, obiectum adæquatũ eius non eſſe aliquod peculiare ens, quod poteſt eſſe verum, etiam ſi formalitas vniuerſalis ab in tellectu fiat.

Ad fundamẽtũ primæ ſentẽ tię Reſpõdetur, ſingulare ſecũ dũ ſuã entitatẽ realẽ, non eſſe relatiuum formaliter reſpectu vniuerſalis, eo enim ipſo ꝙ ali qua natura indiuidua ſit in rerum natura quantũuis nullum detur vniuerſale, eſt verè ſingularis, ſi tamen ſingulare conſideretur formaliter vt ſubijcibile, relatiuum eſt vniuer ſali, vt prædicabili: ſicut autẽ formalitas prædicabilitatis eſt per intellectum, ſic formalitas ſubijcibilitatis eſt etiam per intellectum.

Ad primam rationem ſecũ dæ ſentẽtiæ Reſpõdetur, vtrãq; hanc propoſitionem, natura de ſe eſt determinata, natu ra de ſe eſt non determinata, falſam eſſe, de ſe enim neutrũ dicit, nec ſunt contradictoriæ hæ propoſitiones, vtraq; enim eſt affirmatiua. Dices, natura ſecundum ſe non eſt ſingularis, ergo eſt vniuerſalis. Nego conſequentiam, quia licet omne quod eſt, ſit vniuerſale vel ſingulare, non tamen ſub quacumq; ratione, ſicut omne cor pus licet albũ ſit, aut nõ albũ, non tamen ſub quacumq; ratione, homo enim ſecundum ſuam eſſentiam neq; eſt albus, neq; eſt non albus. Ita natura ſecundum ſe neq; eſt vniuerſa lis neq; eſt ſingularis, neq; eſt non ſingularis ſed tantum dicit ſua prędicata eſſentialia. Dices ſecundo, natura de ſe non eſt determinata, ergo eſt non determinata, quia à nega tiua ad affirmatiuam de prædicato infinitante optima eſt conſequentia. Reſpondet Caietanus hoc falſum eſſe in reduplicatiuis, ſecundum ſe, ſicut non ſequitur homo de ſe non eſt albus, ergo de ſe eſt nõ albus. Prima enim vera eſt, ſecunda autem falſa, quia ſi de ſe eſſet non albus, nũquam poſſet eſſe albus. Ego tamen exiſtimo maximã illam Ariſt. eſſe verã dummodo integrũ prædicatũ, quod in vna affirmatur in altera negetur, ly au tem *ſecundum* ſe, vel *de ſe* ſunt partes prædicati, quare mutari deberet in contradictorijs,

Digitized by Google

& in vna negari affirmari in altera, erunt ergo cōtradictoriȩ verè ſic, natura eſt determinata ſecundum ſe, quæ eſt falſa, natura non eſt determinata ſecundū ſe, quæ eſt vera. Ad ſecundā, quod natura eſt apta prȩdicari de pluribus aptitudine remota, & communi negatiue per intellectum agẽtem, aptitudine proxima per poſsibilem, remotiſsime autẽ à parte rei, in quantum vni ſingulariū, nō repugnat habere aliud ſimile, ex quibus poſſit per intellectum ellici aptitudo communis.

QVÆSTIO. III.

Vtrùm detur à parte rei in natura vnitas formalis diſtincta ab vnitate numerica.

PRȩſens quȩſtio ex dictis in præcedenti, iam fere deciſſa eſt, quia tamen oportet aliquibus argumentis occurrere, & veritatẽ iam traditā, amplius elucidare hȩc quȩſtio agitanda erit. Pro explicatione autem. Notandum eſt primo, vnitatem formalẽ duplicem eſſe, aut concipi poſſe, alteram, quæ quomodocūq; dicit carentiā diuiſionis formalis, qua ratione quidquid eſt vnum numero dicitur etiam vnum formaliter, quia quodlibet ſingulare carentiā dicit diuiſionis formalis, altera eſt formalis vnitas, pro fundamẽto dicens naturā vnam & cōmunẽ pluribus, in qua proinde ſingularia à parte rei conuenire poſſunt, & hæc neceſſario diſtincta debet eſſe à numerica, quia per numericam ſingularia diſtinguūtur in hac autẽ conueniunt: ſenſus ergo quæſtionis eſt. Vtrum detur à parte rei aliqua vnitas aut carentia diuiſionis quȩ pluribus indiuiduis cōmunis ſit, ipſaq; ſingularia vnum in illa.

Secundo notandū eſt, vnū ſiue vnitatẽ in indiuiſione formaliter conſiſtere. Eſt enim vnum indiuiſum in ſe: vtrū autem iſta indiuiſio formaliter dicat negationẽ, vel aliquid poſitiuū res eſt Metaphyſica & ita alio loco ex profeſſo tractāda, pro nūc omnino veriſimilius exiſtimo formaliter dicere aliquid poſitiuū, quā ſententiam exiſtimo eſſe S. Tho. quicquid alij vellint: vtrumq; autẽ hoc argumẽto cōfirmo, quia diuiſio eſt negatio, ergo indiuiſio eſt affirmatio, erit enim negatio negationis. Antecedẽs, diuiſionẽ ſcilicet eſſe negationẽ, eſt D. Tho. q. 9. de potentia art. 7. dicentis multitudinẽ includere negationẽ, ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet diuiſionē vnius ab alio & 1.p.q.11.ar.2. ad quartū dicit in tantū nos apprehēdere diuiſionē in quantū appræhēdimus hoc ens nō eſſe illud.

Secūdo probatur vrgēter. In re vna p cōpoſitionē, vnitas ſurgit per vnionē pluriū, quæ vnio eſt quid poſitiuū, ē cōtrario vero res plures, hoc ipſo plures ſunt, & nō vna, ꝙ vnione carent, ergo in illis diuiſio formaliter dicit carentiā vnionis, conſiſtit ergo in negatione, ſed vnitas quę ſequitur ſimplices entitates eſt perfectius quid in ratione vnitatis, dicet ergo poſitiuā perfectionē cōſiſtentem in quadā rei integritate, quæ eſt altior, & eminentior perfectio quā vnio.

Tertio, quia tres quas diſtinxit Ariſt. vnitates, generica ſpecifica, & numerica, omnes poſitiuæ ſunt. Tū quia & genus poſitiuè cōtrahitur ad ſpeciē, & ſpecies poſitiue cōtrahitur ad indiuiduū, tū etiā quia cōformitas, vel conuenientia, quę eſt in ſpecie, aut genere poſitiua eſt, alias ſicut concedūt authores vnitatē formalē propter carētiā diuiſionis formalis, quare nō concedūt vnitatē ſpecificā propter carentiā diuiſionis ſpecificę? Hinc fatemur vnum dicere negationē diuiſionis, hæc tamē eſt negatio negationis, quia diuiſio formaliter dicit negationem. Ad minus certū omnino eſſe debet vnū, de formali nō dicere vtcūq; nudā negationē, ſed entitatē ipſam cū negatione adiūcta, ꝙ expreſſe docuit S. Th. in 1. diſt. 19. q. 4. ar. 1. ad ſecundū dicens, ipſa eſſentia entis creati ſecundū, ꝙ eſt indiuiſa in ſe, eſt vnitas eius. Clarius Auicena. 3. Metha. c. 2. dicēs vnitas eſt eſſe, ꝙ non diuiditur, ita ꝙ eſſe, eſt de eſſentia vnitatis, & nō ſubiectū ei9. Ex quo fit (ꝙ ſupra etiā ſatis oſtēdimus) nō multiplicata entitate, nō multiplicari vnitatem, quia vnitas eſt eſſe ꝙ non diuitur, ſed ſtat idem eſſe cū diuerſis formalitatibus, ergo ſtat eadem vnitas.

Secundo notandū eſt, ꝙ iam tetigimus ex Ariſt. 5. li. Meth. c. 6. triplicē eſſe vnitatem, genericā, ſpecificā, & numericā. Generica eſt quā habēt ſpecies in genere, vt homo & equus in animali; ſpecifica quā habent indiuidua in ſpecie, vt Petrus & Paulus in homine, numerica quā habet quodcumq; indiuiduū in ſe ipſo vt Petrus, generica minor vnitas eſt, quia cū illa cōpatiē diuiſio ſpecifica; vnitas ſpecifica minor eſt numerica, quia cū illa cōpatitur diuiſio numerica; vnitas ergo numerica maxima vnitas eſt.

Tertio reuocandum eſt in memoriam, differentias indiuiduales diuidere etiā cōmu-

Digitized by Google

niſsimas rationes, quia in Petro eſt hoc ens & hoc animal &c. & hęc diuerſa ab hoc ente Paulo, & hoc animali &c.

His ſuppoſitis prior ſententia eſt Scoti in 2. diſt. 3. q. 1. aſſerentis dari vnitatem formalē à parte rei inter duo eiuſdem ſpeciei indiuidua. Capreoli in 3. diſt. 5. q. 3. concl. 2. fauet Alb. Mag. lib. de prædicabilibus text. 2. cap. 3. Caiet. de ente, & eſſentia, cap. 4. ſubſcribit Scoto omnis eius Schola, & plures ex recentioribus. Probatur primo, vnitas eſt carentia diuiſionis, ergo vnitas formalis carentia diuiſionis formalis, ſed Petrus & Paulus à parte rei carent diuiſione formali, ergo ſunt indiuiſi formaliter, ergo ſunt vnum formaliter. Cōſequētia recta eſt, antecedēs patet, quia Petrus & Paulus, ſolū differunt materialiter per differentias indiuiduales, non vero per formales aut ſpecificas. Secūdo, quia ſi non datur à parte rei vnitas formalis, dabitur diſtinctio & diuiſio formalis, ſed diuiſio duabus vnitatibus conſtat, ergo non tantum vnitas formalis, ſed vnitates formales erūt à parte rei. Ex quo tertio ſequętur, Petrum & Paulum ſpecie diſtingui, quia ſunt formaliter diuerſi, ſicut enim quæ habēt eandem formam & naturam dicuntur eiuſdem ſpeciei, ſic quæ diuiſa ſunt formaliter, dicentur eſſe ſpeciei diuerſæ. Quarto, ſi non eſt vnitas formalis à parte rei, ſequitur Petrū & Paulū non magis conuenire, neq; eſſe magis vnum, quàm ſit Petrus & hic equus, conſequens autem eſt abſurdum, ergo. Sequelā probo, quia in Petro, & Paulo nō eſt vnitas numerica à parte rei, quia differunt numero, non eſt vnitas ſpecifica aut generica, quia hæ ſunt per intellectum, non deniq; vnitas formalis, per te, ergo nulla, ergo nullo modo ſunt vnū, ſicut etiam Petrus & hic equus.

His tamen non obſtantibus, ſecūda, & verior ſentētia eſt, naturam in pluribus indiuiduis à parte rei nō eſſe vnam niſi per intellectū, neq; à parte rei vllam aliam vnitatē ſortiri præter numeralem, quam habet in quolibet indiuiduo. Ita S. Tho. 1. p. q. 39. art. 4. ad 3. & 1. 2. q. 17. art. 4. corpore, & & 10. Meth. lect. 5. & alibi ſæpe: Durandus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Thomiſtæ omnes cōmuniter. Damaſcenus idē docet, vt vidimus queſtio præcedenti, dicens animo intelligimus Petrum & Paulum eiuſdem naturę eſſe, naturamq; vnam communnem habere. Ex Ariſt. etiā id colligitur

hęc

hac ratione qua hæc ſententia probatur. Primo ſic, quia tripliciter ſolum poteſt aliquid dici idem, vel vnum, numero, ſpecie, aut genere, docuit Philoſophus loco citato & primo Topicorum cap. 7. & 7. Topicorum cap. 1. ſed natura à parte rei non habet vnitatẽ genericam, aut ſpecificam, vt fatetur etiam contraria ſententia, ergo ſolum habet numericam.

Secundo, differentia conſtitutiua rei ſolum eſt triplex, generica, ſpecifica, & indiuidualis, ergo & vnitas, patet conſequentia, quia conſtitutiuum eſt diſtinctiuum, ergo id per quod conſtituitur vnum, per id etiam diſtinguitur, vnitas ergo rei tantum erit generica, ſpecifica, & indiuidualis, ſed duę priores non dantur à parte rei etiam per illos, ergo tantum datur numerica vnitas, quod intendimus. Tertio inquiro ab iſtis authoribus, an differentia formalis & ſpecifica idem ſint, an diuerſę, ſi ſunt idem, ergo ſicut colligunt naturam humanam, quia non eſt diuiſa per differentias formales, eſſe vnum formaliter, ita debent colligere, quia nõ eſt diuiſa per eadẽ, eſſe vnã ſpecie à parte rei, ſi vero ſint diuerſæ (præter quam quod præter differentiã indiuidualem verbi gratia Petri, & præter ſpecificam verbi gratia rationale, non eſt aſsignabilis alia formalis diſtincta ab his) ſi (inquã) diuerſæ ſunt, ad minus, eadem forma argumentãdi ſi indifferentijs formalibus eſt vera, erit etiam in ſpecificis. Vnde ſicut ex carentia diuiſionis formalis à parte rei colligunt vnitatem formalẽ, ſic ex carentia diuiſionis ſpecificæ, poſſet colligi vnitas ſpecifica, quam ipſi negant. Quarto: quia à parte rei communior vnitas debet eſſe tranſcẽdens, tranſcendẽtia enim ſemper communiori rationi applicantur, ſed vnitas tranſcendens à parte rei, ſolum eſt vnitas numerica, vt probauimus quæſt. præcedenti, ergo à parte rei non datur alia communior. Quinto & vrgẽtius, quia vnitas illa formalis qua natura ſecundum ſe à parte rei dicitur vna, vel eſt ſingularis vnitas vel communis, non ſingularis, quia natura ſecũdum ſe non eſt ſingularis, erit ergo cõmunis, ergo multiplicatur in indiuiduis ſicut multiplicatur natura. Ex quo rurſus fit, eſſe in indiuiduis diſtinctã numero vnitatem formalem, ergo ſicut dicuntur numero diuerſa, quia habent diſtinctã numero vnitatem, ita dicentur formaliter diuerſa quia habẽt

diſtinctam vnitatem formalẽ, & ſicut quia habent diuerſam humanitatem numero Petrus & Paulus, non dicuntur vnus homo, ita quia habent diuerſam vnitatem formalem numero, non erunt vnum formaliter.

Dico ſecũdo. Ante omnem intellectũ indiuidua eiuſdem naturæ poſſunt dici ſimilia in in natura, non quia in aliqua ſimilitudine communi vtriq; à parte rei conueniant, ſed quia ad eorum entitates ſequitur mutua relatio ſimilitudinis, à qua, eadem, vel ſimilia dici poſſunt, ſicut vnum albũ, ſimile dicitur alteri albo, non quia in aliqua ſimilitudine cõmuni & vna à parte rei cõueniant, ſed quia quodlibet habet albedinẽ ſimilẽ alteri albedini. Quod ſi Ariſt. 5. Meth. c. 15. aſſeruit, ſimilitudinẽ & identitatẽ in vnitate fundari, loquitur de vnitate fũdamẽtali, quatenus indiuidua eiuſdẽ naturæ fundamẽtũ ſunt vnitatis ſpecificæ, & incapaces alterius diſtinctionis quã numericæ.

Ex quo infero, idẽ proportionaliter dici poſſe de indiuiduis diuerſarũ ſpecierũ, eſſe ſcilicet ante intellectum diuerſa, vel diſsimilia in ſubſtantia à relationibus diuerſitatis, vel diſsimilitudinis, quæ cõſequũtur eorum entitates, & naturas, quatenus ita ſunt numero diuerſæ vt omnino ſint incapaces conuenientiæ vel vnitatis ſpecificæ. Dicũtur ergo indiuidua vnius ſpeciei magis èadem, vel minus diuerſa quam indiuidua diuerſæ ſpeciei, ab vnitate fundamentali, & à relatione ſimilitudinis quam habent à parte rei. Per quod ſolutum eſt quartum argumentum.

Pro ſolutione cæterorũ. & maiori explicatione: Notãdũ, vnitatem numericam radicaliter ſumi à materia, & ex hac parte appellari materialem, ſonareq; indiuiſum ratione materię, ſed quia Petrus habet etiã vnã formã & eſſentiã, poteſt diſtingui etiam vnitas numerica, in vnitatẽ formalẽ etiam, diciturq; vnitas numerica materialis indiuiſio in in materia, vnitas numerica formalis indiuiſio in forma & eſſentia, vtraq; autem componit vnitatem numericam plenam, & completam illius indiuidui. Cumq; in quolibet alio indiuiduo hæc vnitas formalis & materialis numerica reperiatur, multiplicatur, diuerſaque eſt in omnibus indiuiduis. Habeamus ergo, vnitatem formalem numericã dari à parte rei in quouis indiuiduo, non vero aliquam cõmunem

nẽ multis,per quod patet ad ſecũdum, & tertium,fatemur enim plures eſſe vnitates numericas à parte rei, per hoc autem quod res diſtinguãtur formaliter numerice, non ſequitur eſſe diuerſę ſpeciei,niſi illæ formæ numero diuerſæ tales ſint, vt à parte rei ſint in natura diſsimiles & incapaces vnitatis ſpecificę, quod nõ habent verbi gratia Petrus,& Paulus.

Ad primum,quod ſolum reſtat,Reſpondetur,naturam in Petro, & Paulo eſſe diuiſam formaliter, quia vere natura humana, & forma rationalis quæ eſt in Petro, nõ eſt in Paulo, qualis autem diuiſio eſſentiæ,& formæ repugnat vnitati formali communi, quia ſemper manet forma, & eſſentia diuiſa à parte rei,quod explico à ſigno, & confirmo.Quia vt natura per intellectum fiat vna,& vniuerſalis,abſtrahitur à differentijs indiuiduãtibus per quas erat diuiſa, & multiplex,ergo diuiſio per has differẽtias indiuiduas repugnat vnitati, multo ergo magis vt natura à parte rei verè & realiter ſit vna & eadem,non debet per differẽtias indiuiduas eſſe diuiſa.

Sed obijcies, Petrus & Paulus carent diuiſione ſpecifica à parte rei, ergo à parte rei habent vnitatem ſpecificam. Reſpondetur, quod cum carẽtia diuiſionis ſit vnitas poſitiua,ſi loquamur de vnitate ſpecifica communi & formali, ſicut non eſt vnitas ſpecifica à parte rei,ſic nec carentia diuiſionis ſpecificæ formaliter, ſi vero loquamur de vnitate fundamentali, fundamentaliter ſunt vnum ſpecie. Contra,formaliter non habent vnitatem ſpecificam, ergo formaliter habent diuiſionem ſpecificã. Nego conſequẽtiam, quia diuiſio aut multitudo ſupponit vnitates eiuſdem generis, nõ enim poſſet eſſe diuiſio aut multitudo in quantitate, niſi eſſent vnitates quantitatiuæ, quia ergo vnitas ſpecifica formalis non eſt ex genere vnitatum, quę ſunt à parte rei, ſed per intellectum, à parte rei neq; eſt vnitas ſpecifica, neq; multitudo harum vnitatum. Addo,quod ſi nomine diuiſionis ſpecificæ intelligas carentiam vnitatis ſpecificæ formalis à parte rei, habent carentiam huius vnitatis formalis, & communis, quia à parte rei non ſunt vnum ſpecie formaliter, & communiter.

QVÆSTIO. IIII.

Per quam operationem intellectus fiat vniuerſale.

COnſtitutum eſt in præcedentibus naturam per intellectum fieri vniuerſalē; nunc per quam operationem intellectus fiat, inueſtigandū eſt, oportet autem breuiter diſtinguere duplicem intellectum, ex 3. lib. de anima, agentem, & poſsibilem, munus intellectus agentis eſt, producere ſpeciem intelligibilem, per quam res illa quæ per ſenſus internos & externos cognita eſt cum materialitate & ſingularitate, repręſentetur ſine ſingularitate, ſpiritaliter & intelligibiliter, vt ſic intellectus poſsibilis, qui potentia ſpiritalis eſt, obiectum proportionatum ſibi, & quaſi ſpiritualizatum cognoſcat. Intellectus ergo ſpeciem hanc producēs agens dicitur, idq; ſolum efficit, neq; eius munus eſt intelligere, aut cognoſcendo operari, intellectus vero poſsibilis, ſeu paſsibilis ſic dictus, quia ſpeciem illam intelligibilem recipit, eſt vere & propriè cognoſcitiuus, illiuſq; (quod ad præſens nunc attinet) duplex eſt operatio. Prima per quam cognoſcit obiectum, vt repręſentabatur in ſpecie intelligibili producta per intellectum agentem, quæ dicitur abſtractio, quia eſt cognitio naturæ non cognitis indiuiduis, cum quibus à parte rei cōiuncta eſt: à quibus licet re non ſeparetur, ſeparatur per intellectum agentem, quia illam repreſentat ſine illis, & ab intellectu poſsibili; quia illam ſine illis cognoſcit, vnde & vterq; illā abſtrahere dicitur: abſtractio enim nihil aliud eſt quam duarum coniūctarum rerum ſeparatio. Alia operatio intellectus poſsibilis eſt comparatio, ſiue duorū interſe collatio, tunc enim cōparare dicimus, quando conferimus vnum cū alio, in hac ergo ſecunda operatione, iā intellectus comparat naturā & ſingularia, facitq; media hac cōparatione, vt illa natura quę per abſtractionem erat ſeparata ab illis cognoſcitiue, per comparationem in illis ſit, quia ad illa vt illā habentia, natura comparatur. Itaq; tres ſunt operationes, quod ad pręſens attinet, de quibus poteſt eſſe diſſenſio, per quam fiat vniuerſale, altera intellectus agentis producentis

ceatis

centis ſpeciem in qua natura præciſſe, & abſtracta ab omnibus indiuiduis repreſentatur. Secúda intellectus poſsibilis, per quam, naturam ſic repreſentatam cognoſcit. Tandem tertio, eiuſdem intellectus, per quam eandem naturam iam comparat indiuiduis, tanquã inferioribus participantibus illam.

Secundo notandum eſt, tã abſtrahere, quam comparare, dupliciter ſumi poſſe, vno modo per modum affirmationis, aut negationis, in abſtratione quidem, quando intelligimus aliquid non eſſe in alio, vel eſſe ſeparatum ab alio, hocque affirmando, ſeu propoſitionẽ aliquam efformando concipimꝰ, in qua abſtractione poteſt eſſe veritas, aut falſitas, ſi enim diceremus naturam ſeparatã eſſe à ſingularibus à parte rei, eſſet abſtractio, quia eſt cognitio ſeparans, & eſſet falſitas, quia dicitur ſeparatam eſſe à parte rei, quod eſt falſum. Secundo modo, abſtrahere poſſumus ſimpliciter, ſeu præciſiuè, cum intelligimus vnum nõ conſiderando aliud, dicitur autem præciſio, quod ea quæ in re adunata ſunt præſcindamus, non tamen negando, vel affirmando illa in re eſſe coniuncta, vel ſeparata, ſed conſiderando in eadem re vnum ſine alio, quæ abſtractio ſine aliqua falſitate eſſe poteſt, ſecundum illud Ariſt. 2. Phiſ. text. 18. abſtrahentium non eſt mẽdacium, ſicut enim viſus percipere poteſt colorẽ pomi nõ percipiendo odorem vel ſaporem illius, quamuis hęc omnia in re coniuncta ſint, ſic intellectus noſter, qui ſecundum D. Dionyſium maiorem vim habet, quocumq; alio ſenſu, cõcipere quidem poteſt naturã vniuerſalẽ ſine ſingularibus, licet in re ab illis ſeparata nõ ſit. Idem de comparatione, alia eſt enim ſimplex, alia compoſita, ſimplex comparatio eſt per quam intellectus vnum in altero, vel in ordine ad alterum cognoſcit, ſine affirmatione, poſſumus enim ſimplici cognitione Patrem in ordine ad filiũ cognoſcere, vel albedinem in pariete, etiam ſi compoſitiue id non affirmemus. Alia eſt comparatio, per quam intellectus cognoſcens duo extrema vnum attribuit alteri, affirmãdo quod in eo ſit. Tribus igitur operationibus quas in pręcedenti notabili conſtituebamus, additur nunc quarta, nẽpe comparatio cõpoſita ſeu affirmans, quæ actualis dicitur prædicatio. Dubitamus ergo, an natura fiat vniuerſalis per abſtractionem intellectus

agentis

agentis aut paſsibilis, an per cōparationē intellectus poſsibilis, & ſi per comparationē, an per comparationem ſimplicem, an vero per componētem aut compoſitam, quæ actualis prædicatio ſit, iuxta has igitur quatuor operationes, ſunt quatuor opiniones.

Prima eſt: vniuerſale fieri per abſtractionem intellectus agentis, quam ſequitur Caietanus in opuſculo de ente & eſſentia cap.4.q.6. Sotus q. 3. vniuerſalium. Zumel. 1. p. q. 13. art. 7. cōcl. 3. fauet Toletus q. 2. vniuerſalium in fine, & Aberroes. 3. de anima text. 8. vbi ait, quod ſi vniuerſalia eſſent extra animam fruſtra eſſet intellectus agens, quaſi denotās ipſum eſſe, qui facit vniuerſāle. Probatur primo: natura contractione ſit ſingularis & indiuidua, ergo abſtractione fiet vniuerſalis & communis, ergo cum primum per intellectum agentem abſtrahitur, vniuerſalis eſt. Secundo: vniuerſale eſt vnū in multis, natura à parte rei eſt in multis, & per abſtractionē ſit vna, repræſentatur enim ſine conditionibus indiuiduantibus, quæ illam plurificant, eſt ergo vna in multis, ac proinde vniuerſālis.

Secunda ſententia aſſerit, naturam non fieri vniuerſalē per abſtractionem intellectus agentis, ſed requiri abſtractionem intellectus poſsibilis, per quam natura abſtracta, & ſine conditionibus indiuiduantibus cognoſcatur, ſic que fiat vniuerſalis. Prima pars (quod ſcilicet non ſufficiat abſtractio intellectus agētis) probatur, quia natura nō eſt vniuerſalis à parte rei, & vniuerſalitas eſt ens rationis, at totum eſſe entis rationis eſt cognoſci, ergo cum intellectus agens non cognoſcat, non poteſt facere ens rationis, ac proinde neq, vniuerſale. Secundo, quia prima hæc ſententia ex falſa procedit hypoteſi, nempe *ſpeciem* productam ab intellectu agente, tantum repræſentare naturam in communi, præciſſam ab indiuiduis, eſt enim ſatis probabile, & fortaſſe omnino verum, per ſpeciem intellectus agentis repræſentari ſingulare, licet illa ſpecies ſit intelligibilis, & ſpiritualis. Addo, eſſe etiam probabilius, ſpeciem impræſſam non eſſe formalem imaginem, nec formaliter repręſentare, ſed effectiue tantum, quatenus eſt veluti ſemen aut inſtrumentum obiecti, ad efficiendum ſimul cum intellectu poſsibili formalem repręſentationem, per expreſſam imaginem quę

ab

Digitized by Google

ab illo producitur, non ergo vniuerſale per intellectũ agentem fit. Quo ſuppoſito, argumenta pro prima ſententia, pro hac vrgent maximè, ac proinde non oportet illa repetere. Confirmari autẽ poſſunt: primo, natura per abſtractionem intellectus poſsibilis fit vna, non numero, ergo ſpecie vel genere, ergo fit vniuerſalis, quia vnitas ſpecifica, aut generica vniuerſalis eſt. Secũdo cõfirmatur, ſi Idæa hominis quam excogitabat Plato, eſſet in re ſubſiſtens, ſeparata ab indiuiduis, eſſet vniuerſalis ſecundum rem: ergo cum primum eſt ſeparata ab indiduis per rationem, erit vniuerſalis ſecundum rationem, at iſta ſeparatio fit per abſtractionem, ergo per illam fit vniuerſalis.

Secundo principaliter probatur, vniuerſale ex Ariſt. eſt aptum prædicari de multis, ſed ante comparationem habet hanc aptitudinem natura ergo ante comparationem eſt vniuerſalis. Minor probatur, quia per comparationem actu prædicatur de multis, ſed actu prædicari, prǽſupponit poſſe prædicari, ergo ante comparationem poterat, ſeu erat natura apta ad prædicandũ; cum ergo abſtractio præcedat comparationem, per abſtractionem habebit hanc aptitudinem. Sed quia reſpondere poteſt, quod licet actualis prǽdicatio ſit comparatio, non tamen omnis comparatio eſt prædicatio: poteſt enim eſſe cõparatio ſimplex, per quã natura fiat proxime apta, vt per cõparationẽ compoſitã actu prædicetur. Obijci poteſt, nõ poſſe naturã intelligi eſſe in multis per intellectũ, niſi per comparationem compoſitam, quod tamen tertiæ ſententiæ id aſſerenti probandum reliquimus. Docuit hanc ſecundam, Durandus in 1. diſt. 3. q. vlt. num. 27. & in 2. diſtinct. 3. quæſt. 3. Flandria. 7. Meth. q. 17. art. 1. Toletus q. 2. de vniuerſalibus videturq; fauere S. Tho. 1. p. quǽſt. 16. art. 3. ad 2. & opuſc. 42. cap. 5. in fine, videatur 1. p. q. 85. art. 3. ad quartum.

Franciſcus Suarez 1. tomo Metaph. diſput. 6. ſect. 6. numer. 8. ſingularem excogitauit ſententiam, dicens vniuerſale dupliciter concipi poſſe, primo vt quid abſolutum, quod poteſt relationem aliquam fundare. Secundo vt relatiuum formaliter, dicens ordinem ad inferiora. Quod vero his duobus modis concipi poſſit probatur, quia vnitas qua aliquid eſt commune, &

aptitudo,

aptitudo vt prędicetur in multis, veluti formæ abſolutæ ſunt: ſicut vnitas numerica, & aptitudo ad ridendum, ſunt quid abſolutū, declarariq; poteſt exēplo vniuerſalis (quod appellant Platonicum) ſeparati à ſingularibus, eſſet enim ſubſtantia, quia per ſe exiſteret: & ideo vniuerſalitas eius, forma abſoluta: quia ſubſtātia res abſoluta eſt. Vnde non eſſet vniuerſalis, propter relationem realem ad inferiora, ſed propter vnitatem ſuam, cum intrinſeca, & ſubſtantiali aptitudine ad eſſendū in multis. Poterit ergo etiam vniuerſale ab intellectu factum, concipi per modum abſoluti. Poteſt etiam concipi vt relatiuum, per expręſſam habitudinem, & relationē vnius ad multa in quibus eſt, vel de quibus prędicatur. Quæ habitudo concipitur ad modū relationis ſecundum eſſe. Dicit ergo author hic quod ſi vniuerſale ſumatur primo modo, ſcilicet per modum abſoluti, ſit tale, per abſtractionem intellectus poſsibilis. Ad hoc enim abſolutum non eſt neceſſaria comparatio, qua vnū alteri refertur. Hecq; videntur probare argumenta adducta pro his duabus ſententijs de abſtractione. Si vero vniuerſale ſumatur expreſſe relatiue, fit per comparationem, cuius munus eſt vnum alteri referre. Relatiuum enim non poteſt cognoſci, niſi per comparationem ad ſuum terminum. Quæ ſententia, cum ſit veluti media inter ſecundam iam dictam de abſtractione, & inter tertiam nunc dicendam de comparatione, medio etiam loco inter illas collocata eſt.

Tertia igitur ſententia eſt, vniuerſale formaliter nō poſſe fieri per abſtractionem intellectus poſsibilis, ſed neceſſario fieri per comparationē, hancq; debere eſſe compoſitam, & actualem prædicationem. Hęc ſententia continet plura. Quātū ad id, quod aſſerit vniuerſalę fieri per comparationem, colligi poteſt ex D. Tho. 1. p. q. 28. art. 1. corpore, ad quartum, ex quo loco ſupra vidimus omnia entia rationis, quæ ratione fundamēti, & rei conceptæ dicūtur entia poſitiua, eſſe relationes rationis, ſed relatio vt ſic, eſt ab intellectu referente vnum alteri, vt ibidem docet ſanctus Doctor, ergo ab intellectu cōparante. Sentit hoc ipſum de potentia q 7. art. 1. & opuſculo. 48. cap. 1. & 2. tenet etiam Caietanus in ſua Logica cap. de genere, Ferrara contra gētes cap. 11. Sōzinas. 10. Meth. q. 15. Iabellus tractātu. 4. Logicæ

Digitized by Google

gicæ cap. 2. Nimphus in dilucidario lib. 7. diſp. 7. & Deza Hiſpalenſis in 1. diſt. 35. q. 2. art. 4. ad primum: Canarienſis. 1. p. q. 28. artic. 1. & alij ex recẽtioribus, vt ergo hãc partẽ probemus & explicemus. Notandum eſt primo, naturã à parte rei propriè loquendo non eſſe in multis, ſed ſolum à parte rei eſſe multas naturas indiuiduas: etenim non eſt in multis niſi id quod eſt vnum, hoc enim ſonat ly, *eſt*, in ſingulari, & ly, *in*, ſignificat quandã veluti communitatem, quam multa illa, in quibus dicitur eſſe, participãt, vnde id quod non eſt vnum, ſed plura, non in multis, ſed multa abſolute dici debet: cum ergo à parte rei nihil ſit commune vnum, ſed naturæ plures indiuiduæ, nõ dicitur natura eſſe in multis.

Secundo notandum eſt vnitatem, (vt ſic dicam) ſeparationis & abſtractionis ab indiuiduis, non ſufficere ad verificandam adhuc particulam illam definitionis vniuerſalis (ſcilicet, vnum in multis) ſi de particulis illius definitionis formaliter loquendum ſit, & proxime omnino. Probatur: quia ſi aliqua eſt vnitas abſtractionis, vt ſic, eſt vnitas à multis: dicit ergo reſpectum ad multa tanquam ad ea, à quibus ſeparatur: includit igitur proprietatem quaſi oppoſitam vniuerſali, eſt enim impoſsibile, vniuerſale eſſe, & vt tale eſſe, *a*, ſingularibus quia vt ſic in illis non ſolum nõ eſt, ſed eſſe nõ poteſt. Etenim reſpectus, *a*, & reſpectus, *in*, ſunt omnino oppoſiti: primus enim dicit excluſionem, ſecundus vero communionẽ, & appropriationem ad multa, quæ vniuerſale reſpicit vt in illis ſit. Secundo quia vniuerſale formaliter eſt relatiuum: non vero compoſitum ex abſoluto & relatiuo, alias vniuerſalitas non eſſet vna forma ſimplex; nec poſſet per ſe vnum, & vniuocum, quale debet eſſe vniuerſale denominare, ergo cum formaliter ſit vnum in multis, illa vnitas non debet eſſe abſoluta ſed relatiua, ergo non debet eſſe vnitas abſtractionis, ſed cõparationis. Tertio, illa vnitas abſtractionis per intellectum reſpondet (adhuc per authores oppoſitos) Ideæ Platonis ſi daretur ſecundum rem, ſed vnitas illa quam haberet talis Idæa, implicaret eſſe vnitatem vniuerſalis, quia erat vnitas ſeparationis, Idæam conſtituens ſeparatam à ſingularibus ſecundum rem, ergo ſi vnitas ſecundum rationem fuerit ſeparationis, non poterit eſſe vnitas

vniuer-

vniuerſalis. Quarto, per abſtractionē nullomodo natura fit vna, ergo non verificat adhuc illā particulam definitionis, *eſt vnum*, antecedens probo. Primo, quia illi abſtractioni tantū reſpondēt obiectiue in natura cognita, & abſtracta prędicata eſſentialia, & id quod natura habet ſecūdum ſe, ſed natura ſecundum ſe, neque eſt vna, neq; plures, ergo abſtractioni non obijcitur vt vna. Secūdo vrgens argumentum fit, ſi aduertamus intellectū agentē nihil tribuere naturæ repręſentatę, ſed auferre. Aufert enim cōditiones indiuiduantes, & numericam vnitatem, ſed hac ablata, nulla alia vnitas manet in natura, quę repræſentetur, nulla ergo vnitas repręſentatur. Rurſus id ſolum, quod repræſentatur ab intellectu agenti, cognoſcitur per abſtractionē intellectus poſsibilis, ſed ab intellectu agente nulla vnitas naturę repræſentatur in abſtractione, ergo nulla vnitas cognoſcitur à poſsibili. Tertio tādē; quia ſi natura non habet hāc vnitatē, niſi ab intellectu, hæc vnitas erit ens rationis, ergo debet cognoſci admodū vnitatis realis: ſed intellectus in abſtractione nō cognoſcit ad modum vnitatis realis: neq; enim admodū vnitatis numericæ, cū ab illa abſtrahat, nec admodum vnitatis ſpecificæ, quia hæc eſt ens rationis, & poſt abſtractionem; ergo per abſtractionē natura formaliter non eſt vna vnitate pertinente ad definitionem vniuerſalis.

Ex his iam facile probatur ſententia, primo quia natura à parte rei non eſt in multis (vt oſtēdimꝰ primo notabili.) Conſtatq; denuo; quia natura ſolis & Phęricis poſſunt denominari vniuerſales Logicè, vniuerſalitate eiuſdem rationis, ac aliæ ſpecies, & tamen à parte rei, neq; in multis ſunt, neq; multæ naturę indiuiduæ, ſed vnum tantum ſingulare: ergo eſſe in multis, quod eſt de ratione vniuerſalis, non habet natura à parte rei: neq; rurſus id habet per abſtractionem, qua ad multa non cōparatur, potius ſeparatur ab illis; ergo per abſtractionem non fit vniuerſale: ſed per cōparationē, per quam in ordine ad indiuidua cognoſcitur.

Secūdo, vniuerſalitas eſt relatio rationis (vt ſæpe dictum eſt) probaturq; quia non dicitur natura vniuerſalis ex eo ſolū, quod, *in ſe*, & *ad ſe*, eſt vna, ſed quod eſt vna multorū, aut multis cōmunis, quē reſpectū habet in ordine ad illa multa tanquā ad terminum ad quē

per

per intellectum refertur, vniuerſalitas igitur relatio eſt, nō forma abſoluta, & ſic conſtat opinionē illam Franciſci Suarez falſam eſſe, nec reſpectum vniuerſalis poſſe cōparari aptitudini ad ridendū, hæc enim ad riſum non comparatur tanquam ad terminum, ſed tanquam ad actū: & ſecundo, illa relatio eſt tantū ſecundū dici, cui relatio rationis vt fatetur ipſe author non poteſt cōparari, eſt enim ſemper reſpectus extrinſecus & aduentitius, formam proinde referens relationis ſecundum eſſe, non ſecundum dici, qui eſt reſpectus intrinſecus & eſſentialis. Si ergo vniuerſalitas eſt relatio rationis, fit per intellectū referentem, & comparantem vnum alteri, ergo per comparationem.

Tertio, natura per abſtractionem etiā intellectus poſſibilis, nō ſolū nō eſt in multis, ſed neq; vna, vt ſecundo notabili oſtenſum eſt latè, ergo nō poteſt per abſtractionem fieri vniuerſalis. Dices licet per abſtractionē nō ſit vna poſitiue, eſt tamen vna negatiue, quia repręſentatur ſine pluralitate indiuiduorū. Sed contra hoc eſt primo, quia vnitas requiſita ad vniuerſale Logicum de quo loquimur, debet eſſe poſitiua, vt fatētur etiam authores oppoſiti, ideoq; hāc vnitatem negatiuā cōcedentes in natura à parte rei, nō concedūt à parte rei vniuerſale. Secundo, quia vnitas vt vidimus initio quęſtionis pręcedētis, eſt quid poſitiuum, eſſe ergo negatiue vnū eſt, non eſſe vnum. Tertio, quia ſicut dicitur vnitas negatiua, quia abſtrahit natura tūc à pluralitate indiuiduorū, ſic poſſet dici cōmune negatiue, quia abſtrahit ab vniuerſalitate, & ſi in hoc ſenſu dicatur natura abſtracta vniuerſalis negatiue, fatemur, impropria tamen eſt locutio, hoc enim ſenſu etiam poteſt dici negatiue ſingularis, quia abſtrahit à ſingularibus: eodem autem loquendi modo tribuere naturę vniuerſalitatē, & ſingularitatē, vel falſa vel impropria locutio eſt. Si igit̄ per nullā abſtractionem natura fit vniuerſalis fiet neceſſario ꝑ cōparationē.

Secunda autem pars, ſcilicet fieri per cōparationem cōpoſitā ſolū amplectitur à quibuſdam recentioribus hoc argumēto cōuicti. Per cōparationem natura eſt vniuerſalis, ſed eſſe vniuerſale eſt, eſſe in multis, ergo ꝑ illā cōparationē eſt vniuerſalis per quā eſt in multis, ſed cōparatio per quā natura eſt in multis eſt cōparatio cōpoſita, ergo, probatur minor, quia nō poteſt intellectus cognoſcere naturam eſſe in multis niſi intellectualiter exprimat,

Digitized by Google

exprimat, *in illis eſt*, ergo niſi actualiter prædicet, patet quia dicere, natura in multis eſt, eſt prædicatio actualis & comparatio compoſita. ergo.

Quarta deniq; ſentẽtia omnino vera, cum hac tertia conuenit in eo, quod vniuerſale fiat per comparationem, quæ quantum ad hoc (vt vidimus) eſt S. Tho. & communior, ſatiſq; & vrgenter probata, diſsidet autem ab illa quãtum ad ſecundam partem, nẽpe comparationem hanc debere eſſe compoſitam, eſt enim hoc cõtra Ariſtotelem qui 1. lib. de interpretatione cap. 5 definit vniuerſale ſic. Dico autẽ vniuerſale, quod de pluribus aptum eſt prædicari, ſed aptitudo prædicandi cum ſit potentia prior eſt quã actualis prædicatio, ergo natura prius eſt vniuerſalis quã actu prædicetur, ergo ante comparationẽ compoſitam, quæ eſt actualis prædicatio. Opponuntur etiã hi recentiores S. Tho. qui eodem loco hanc probat definitionem aſſeritq; in fauorẽ, eſſe naturę Solis & Lunę, quæ non prædicantur actu de multis, & tamẽ ſunt vniuerſales per aptitudinem, & potentiã vt prædicentur. Sed aperta ratione poteſt eius falſitas demõſtrari: ſi natura eſt vniuerſalis per actualem prædicationem ſequitur non eſſe vniuerſalẽ, niſi ſimul prædicetur de multis, ita vt dicamus Petrũ & Paulũ eſſe homines, conſequẽs autẽ eſt falſũ, ergo. Sequelã probo eſſe in multis per vos eſt prædicatio actualis, ergo debet eſſe prædicatio de multis, debẽt ergo à parte ſubiecti multa poni. Minorem, quod ſcilicet cõſequẽs ſit falſum probo, quia hæc prædicatio Petrus eſt homo, eſt prędicatio ſecũdi vniuerſalis, eſt enim vt patet prædicatio ſuperioris de indiuiduo eſſentialiter cõtẽto ſub illo, prędicatum autẽ ſuperius, eſt cõmune, & vniuerſale ergo. Secundo, quia actualis prædicatio de multis non poteſt eſſe vniuerſalis: patet, quia vniuerſale eſt vnũ, in hac autẽ prædicatione, Petrus & Paulus ſunt homines, nõ prędicatur vnũ, in plurali enim dicitur, *ſunt, & homines*, ergo vniuerſale non fit niſi per cõparationem ſimplicẽ, qua natura in ordine ad multa cognoſcitur: de quibus prędicabilis eſt.

Secundo, principaliter hãc noſtrã ſententiã probo, quia vt tetigimus ſupra per ſimplicẽ cognitionem ſine prædicatione Patrẽ cognoſcimus ordinatũ ad filiũ, & duos parietes ſimiles albedine cognita in vtroq; abſq; hoc, quod aliquid cõponamus, aut affirmemus;

mus;poteſt ergo per intellectum natura ad indiuidua cōparari,& in ordine ad illa cognoſci ſine actuali prędicatione. Tertio,ſenſus qui cōpoſitiue nō iudicāt,cognoſcunt vnū in ordine ad alterū,cōparātq; ſenſus enim cōmunis cognoſcit ſenſibile viſſus,nō eſſe ſenſibile auditus,&ouis per ęſtimatiuā inter duos agnos cognoſcit hūc eſſe filiū, nō aliū, lupū eſſe inimicū,nō canem,poteſt ergo eſſe cōparatio ſine affirmatione,aut negatione in ſenſibus,multo ergo melius poterit eſſe in intellectu,qui in ſimplici appręhenſione ſenſibus haud dubie perfectior eſt,& ſicut(vt reſpōdeam9 argumēto recētiorū)hoc quod eſt ſenſibibile auditus non eſſe ſenſibile viſſus:etiā ſi nos compoſitiue, & actualiter prædicādo enunciemus: ſenſus tamē cōmunis cognoſcit ſine compoſitione, multo melius id fiet in intellectu,ita vt etiā ſi hoc quod eſt naturā eſſe in multis, nos ſcribēdo,aut voce proferendo cōpoſitiue enūciemus, intellectus id ſine cōpoſitione appræhēdat:incōparatione ergo ſimplici poteſt intelligi compoſitio,& enūciatio virtualiterincluſa,licet nō formaliter,& cōpoſitiue:intellectus ergo optime poteſt cognoſcere naturā eſſe in multis ſine actuali prædicatione. Per quod patet ad argumentum.

Sed vt omnia quæ in hac quæſti.dicēda ſunt perſtringamus notādū,cōmuniter vniuerſale aliud dici Logicum, aliud Methaphiſicū.Metaphiſicum appellāt naturā realē ſine cōditionibus indiuiduātibus.Dicitur autē Metaphiſicum, quia Metaphiſicus eſſentias reales ſine materialibus conditionibus contemplatur. Hoc autem vniuerſale fatemur fieri per abſtractionem intellectus agentis:quatenus in ſpecie intelligibili repreſentatur natura ſine indiuiduis conditionibus,multo autem melius per abſtractionem intellectus poſſibilis, qui ſic illam conſiderat. Vniuerſale vero Logicum appellant naturam, vt formaliter denominatam a ſecunda intentione poſitiuæ vniuerſalitatis,qua dicitur vna in multis, & hoc fit per comparationem intellectus poſsibibilis(vt ſatis dictum eſt.)

Argumenta in oppoſitum facilē habent ſolutionem. Ad primum primæ ſententiæ Reſpondetur,naturam contractione fieri ſingularē, abſtractione vero non fieri vniuerſalem & cōmunē poſitiue,ſed tantū nō ſingularē. In abſtractione enim nihil poſitiue tribuitur, ſed ſolū cōditio indiuidualis præſcin-

Digitized by Google

ſcinditur, quo ſenſu poſſet quidem dici vniuerſale Methaphiſicum non vero Logicum.

Ad ſecundum negamus, & naturā a parte rei eſſe in multis, & per abſtractionem fieri vnam poſitiue, de quo ſatis primo, & ſecundo notabili.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, ad primum, negamus etiam per abſtractionem intellectus poſsibilis naturam fieri vnam poſitiue (quod vt certum, argumentum ſecundæ ſententiæ ſupponebat). Ad ſecundum Reſpondetur argumentum illud Ideæ Platonis potius fauere nobis (vt in ſecundo notabili viſum eſt) ſed adhuc reſpondemus. Primo, ideo dixiſſe ſententiam Platonis implicare contradictionē, quia Idæa illa eſſet vniuerſalis ſimul & ſingularis ſecundū rem, eſſet ſeparata, & non ſeparata, ergo quod ſecundum rationem reſpondet huic Ideæ trahet etiā implicationem, vt vniuerſale ſit. Addo tamen, quod Idæa illa eo ipſo ſecundum rem eſſet apta ad exiſtendū in multis: cum poſſet realiter a multis participari vt ſupponitur, in vniuerſali autem ſecundum rationem, natura per abſtractionem nōdum eſt apta, vt prædicetur de multis. Immo neq; apta ad exiſtendū in illis, quia non dum eſt cognita cum comparatione ad illa; vniuerſalitas autem ſecūdum rationem non conuenit rei antequam concipiatur. Ad tertium iam ibi reſponſum eſt non omnem comparationem debere eſſe prædicationē, ſed poſſe eſſe comparationem ſimplicē. Argumentū autem, quod contra hoc in ſecunda parte tertiæ ſententiæ fiebat, iam etiam ſolutum eſt.

Ad fundamentū Suarez negādum eſt, quod vniuerſale ſit abſolutū & relatiuum, dicendūq; eſſe relatiuū tantū, vt explicuimus: diuerſitas etiā inter aptitudinē ridendi, & vniuerſalitatē iam adducta eſt.

Cæterę quæſtiones quas Porphirius in prooemio tractat, facile ſoluuntur, viderique poterunt in recentioribus, vt enim ea quæ præcipua ſunt poſsimus latius præſtare, a minus principalibus & facilioribus abſtinemus. Et hęc de hac diſputatione.

(?)

DIS-

DISPVTATIO V.

De prædicabilitate ſeu de vniuerſali in prædicando vt ſic.

EXplicata iam vniuerſalis eſſentia, quatenus eſt vnum in multis, ſeu vniuerſale in eſſendo per rationem: de illo vt eſt vniuerſale in prædicando, ſeu de prædicabilitate, quæ eſt veluti paſsio oportet brebiter diſputare: eſt autem hæc paſsio, ſicut & eſſentia vniuerſalis, ens rationis; neque enim paſsio perfectius poteſt habere eſſe, quam eſſentia a qua dimanat, ſed quia prædicabilitas, quæ eſt potentia ſeu aptitudo ad prædicãdum, ad actualem prædicationem tanquam ad actum ordinatur, explicet.

QVÆSTIO I.

Quid, & Quotuplex ſit prædicatio.

PRædicatio, ſeu attributio, quæ nihil aliud eſt, quam enũtiatio vnius de alio, prime qua ſua diuiſione in identicam & formalẽ diuidi poteſt. Identica propoſitio eſt, in qua idem prædicatur de ſe ipſo. Hoc autem dupliciter fieri poteſt. Primo, ſi idem (etiam vt omnino idem) tam a parte prædicati, quam a parte ſubiecti, & ſignificetur, & prædicetur, vt in hac propoſitione *Petrus eſt Petrus*. Secundo, quando eadem realitas diuerſis formalitatibus ſignificatur, ly tamen *eſt* quod eſt copula prædicationis eſſe reale ſignificat, ſicut in hac prædicatione *actio eſt paſsio*, quæ dicitur in ſenſu idẽtico vera; etiã ſi nomẽ actionis & paſsionis eãdẽ realitatẽ ſub diuerſis ſignificent formalitatibus, ſed quia acceptio illa

prior propoſitionis identicę, nec communis eſt,nec vſitata in ſcholis:ideo penitus relinquatur. Prædicatio formalis eſt,in qua formaliter extrema ſumuntur, vnumque dicit ordinem ad aliud, ſeu in illo includitur, aut tanquam ſuperius in inferiori *vt homo eſt animal*, aut tanquam paſsio in eſſentia *vt homo eſt riſibilis*,aut tanquam accidens in ſubiecto *vt homo eſt albus*:animal enim ſumitur ſecundum formale ſignificatum, ſeu formaliter, quatenus animal de homine dicitur,& riſibilis ſimiliter.

Secundo,formalis prædicatio in directam,& in indirectam diuiditur. (Ommitto enim modo propoſitionem diſparatam, in qua duæ naturæ diſparatæ,& quæ inter ſe vniri non poſſunt in prædicatione, falſo coniunguntur, *vt homo eſt equs*:hæc enim præſenti noſtro inſtituto non ſeruit cum de prædícabilitate vniuerſalis in ordine ad veram propoſitionem loquamur). Directa dicitur illa,in qua illud, quod ex ſua natura eſt ſubiectum,habet locum ſubiecti,& id quod ex ſua natura eſt prædicatum, prædicati occupat locum, vt hæc *homo eſt animal*. In directa vero eſt in qua hic ordo permutatur,vt *animal eſt homo*,& ideo prima naturalis dici ſolet ſecunda vero præter naturalis, quia in ea ordo naturæ peruertitur. Ex his autem duabus prima dicitur in rigore,& proprie formalis, quia in illa prædicatũ eſt quaſi forma ſubiecti,quod in indirecta non reperitur.

Sed dubitari ſolet hic:an propoſitio,*album eſt dulce*,ſit vera nec ne, in qua dubitatione, multis relictis, quæ nec vera ſunt,nec cõducẽtia.Dico,propoſitionẽ illã(ſi extrema ſumãtur pro candore & dulcedine præciſſe) eſſe diſparatam,quia hæ duæ formæ non habent inter ſe cõnexionẽ,vt ſic, ſi vero ſumãtur pro re ſignificata (lacte ſcilicet in qua hę duę formę cõnectũtur)potius exiſtimo idẽticã eſſe,quã formalẽ,aut directã,prædicantur enim extrema ratione idẽtitatis præciſſe quã habẽt in ſubiecto: neq; inter ſe aliquẽ ordinem omnino ſeruant:neq; magis poteſt dici album eſt dulce; quam dulce eſt album, quæ omnia directis propoſitionibus (ſi de illis in rigore loquamur) non conueniunt,poſſet tamẽ dici propoſitio quæuis idẽtica, quæ in directa non ſit; directa ſaltim negatiue id eſt non indirecta.

Directa propoſitio rurſus in eſſentialem,in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti; & accidentalem,in qua

attri-

attributum eſt accidens ſubiecti,ſubdiuiditur. Eſſentialis autem diuiditur in prædicationem *in quid*,& *in quale*. *In quid* dicitur,quando prædicatum eſt intra eſſentiam ſubiecti,non per modum adiacentis ſeu adhærentis; ſed per modũ per ſe ſtantis aut ſuſtentantis, vt ſunt prædicationes generis & ſpeciei.In quale,autem eſt, quando prædicatum eſt intra eſſentiam ſubiecti per modũ adiacentis alteri, & determinantis ſeu contrahentis illud alterum,cui intelligitur adiacere: qua prædicatione prædicatur differentia de ſpecie, rationale ſcilicet de homine,cõſtituit enim ſpeciem, habendo rationem formæ adiacentis generi, & contrahentis illud; & ideo prædicatio in quid, fit per terminum abſolutum, in quale autem per connotatiuum.Prædicatio autem accidentalis,quę ſemper eſt in quale (ideoq; prædicatio differentiæ non abſolute in quale , ſed in quale quid dicitur,ad differentiam accidentalis prædicationis) quia ſemper in illa forma prædicati eſt forma adiacens & adhærens ſubiecto:diuiditur in attributionem accidentis proprij,vt hæc *homo eſt riſibilis*,& accidentis communis,vt hæc *homo eſt albus*.

Ariſt.etiam. 1.Topicor.ca. 4.& Porphirius cap. de genere dicunt, illud prædicari in *quid* per quod reſpondemus ad Quæſtionem factã in quid. Illud autem prædicari in *quale* per quod reſpondemus ad quæſtionem factam per quale: quia ergo cum rogamur quid eſt homo, reſpondemus animal,animal prædicatur de homine,in quid,cum autem rogamur qualis eſt homo , ſeu quale animal eſt , reſpondemus per differentiam, eſt rationale;ideo differentia dicitur prædicari , *in quale*.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

Vtrum primæ intentiones de ſecundis & ſecundæ de primis, & inter ſe etiam prædicentur, & quomodo.

LOquimur in præſenti, de prædicatione vera affirmatiua, nõ vero de negatiua, aut falſa. Loquimur etiam de primis & ſecundis intentionibus obiectiuis de quib9 ſupra late, ſed quia quæſtio hæc multis eſt grauida difficultatibus, æquum erit omnes per dubia quædam (vt paulatim parturiat) enodare, & ſuppoſita diuiſione nominis concreti & abſtracti ex ſumulis.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum in terminis primæ intentionis concreta de concretis enunciari vere poſſint.

RAtio autem dubitãdi eſſe poteſt, quia ſi in concretis aliqua videtur eſſe veriſſima propoſitio, maxime hæc, *homo eſt animal*, ſed hæc non, ergo nulla. Minor probatur, quia animal eſt pars hominis, homo enim ex animali, & rationali componitur, ſed pars non prædicatur de toto, neq; enim dicimus, *homo eſt caput* ergo, &c. Secundo, probatur eadem minor, in omni vera attributione, attributum debet continere omnia quæ in ſubiecto reperiuntur, ſed animal non continet id quod cõtinet homo; homo enim rationale continet, quod non continet animal. Quod ſi Reſpondeatur, animal cõtinere in cõfuſo quicquid homo continet, animal enim dicit quod poteſt habere animalitatem, ſub hoc autem quod eſt poſſe habere animalitatem confuſſe comprehenditur homo, equus, &c. & quidquid poteſt

Digitized by Google

animalitatem habere. Contra argumentor. Hic modus continentiæ in confuſſo, non ſufficit ad veram prædicationem. Probatur. Quia in compoſito naturali materia prima continet confuſſè quidquid eſt in illo, & tamen de illo non prædicatur, neque enim dicimus, *equus eſt materia prima*, ergo. Maior probatur. In compoſito non eſt niſi materia, & forma, ſed materia confuſſè continet formam, docēt enim Philoſophi omnes, formas (excipio animam rationalem) educi de potentia materiæ, quod nihil aliud eſt, quam eſſe confuſſa quadam, & perturbata ratione in materia, ſicut in trũco quodam poteſt dici confuſſè & in potentia contineri formam Cathedræ, Imaginis, aut alterius rei artificialis, quia ex illo per actionem artificis fieri poteſt, ergo cum hęc continentia quæ reperitur in parte Phiſica non ſufficiat, vt de toto Phiſico prædicetur; continentia illa partis Methaphiſicæ, nō ſufficiet vt de toto Methaphiſico, homine ſcilicet ex animali & rationali compoſito verè prædicetur.

His tamen non obſtātibus dico: in primis intentionibus concreta de concretis prædicantur optimè, ſi habent ſe ſicut ſuperius, & inferius, *vt homo eſt animal*. Secundo, ſi ſint equalia vt *homo eſt riſibilis*. Tertio, cum prædicatur accidens de ſubiecto cui inhæret, & vniuerſaliter quando forma in cōcreto prædicatur de proprio ſubiectò vel ſuppoſito, vt *corpus eſt album*, ſiue *homo eſt albus*. Quarto denique, poteſt eſſe regula generalis, prædicationem concreti de concreto ſemper eſſe veram, quoties formæ ſignificatæ per extrema propoſitionis idem habēt ſuppoſitum, vel ſubiectum. Hæc concluſio eſt certiſsima, & inductione conſtat numquam eſſe falſam. Vt *admiratiuum eſt riſibile*, & ſimiles, quarum formæ, idem habent ſubiectum, quinimo poſt Incarnationis myſterium, hæc eſt vera, *Deus eſt homo*, vel *homo eſt Deus*, quia naturæ ſignificatæ per huiuſmodi concreta, Deitas ſcilicet, & humanitas idem habēt ſuppoſitum, quæ doctrina poteſt etiam expoſitorio ſyllogiſmo probari ſic. *Petrus eſt riſibilis, Petrus eſt admiratiuus, ergo admiratiuum eſt riſibile*, quę conſequentia recte ſequitur, quia formæ illæ ſunt eædem in tertio ſcilicet in ſubiecto illarum quod eſt Petrus, ratio etiam cæterarum prædicationum eſſe poteſt, quia prædicatum cōtinet ſubiectum, & ſubiectum in ſe habet formā præ-

Digitized by Google

dicari,vt patet,& magis ex dicendis conſtabit.

Duas autem rationes dubitandi,ſolutio ibi tradita,ſi amplius explicetur,diſſoluit facile,animal enim dupliciter ſumi poteſt.Primo modo ſecundum ea quæ actu, & explicitè ſignificat, cum præſciſsione, ſcilicet,vt denotat ſua prædicata eſſentialia,præſcindendo ab omni participante, & hac ratione,tantum eſt pars actualis,hominis; & vt ſic, formaliter non prædicatur de illo. Alio modo ſumi poteſt, vt eſt totum quoddam confuſſè continens,quicquid poteſt habere rationem ſentiendi, ſiue id ſit rationale, ſiue irrationale, qua ratione dicitur totũ quoddam potentiale,confuſſè continens ſua inferiora, & vt ſic, poteſt prædicari.Ad replicam autem de materia prima,quicquid ſit de continentia illa,de qua 1.Phiſ.Reſpõdetur, quòd materia prima continet formas,tanquam pars totius cõpoſiti naturalis,attributum verò cõcretũ ſuperius,continet ea quæ ſunt in ſubiecto, tanquam totum quoddam reſpectu ſubiecti,de quo proinde verè prædicatur: vnde quando ratio materiæ per modum totius enunciatur, vere dicitur de toto compoſito, vt in hac propoſitione, *homo eſt materialis.*

SED MAIOR DVBITATIO EST.

An abſtracta de abſtractis verè prædicentur, nec ne.

In qua dubitatione.Primo certum eſt(vt a prædicationibus in quid exordiamur) prædicatione in quid, qualis eſt generis & ſpeciei,verè prædicari vnũ abſtractũ accidẽtale de alio, *vt albedo eſt color, calor eſt qualitas.* In abſtractis autem ſubſtantiæ, ſunt quidã qui id abſolutè negent; præcipue tamen id negat Scotus. Alij autem ſunt,qui licet id cõcedant in abſtractis,prima(vt inquiunt) abſtractione abſtractis,non vero in illis, quæ vltima abſtractione abſtrahũtur. Quod ſi quæras ab iſtis, quæ ſint iſta vltimatè abſtracta in ſubſtantijs, nec enim apparet quid ſint;animalitas enim,humanitas,equinitas,&c.ſunt primo abſtracta animalis, homini,

nis,equi',&c.& tamen amplius abſtrahi non poſſunt: neque enim poteſt dici humaneitas, ſicut dicitur coloreitas in accidentibus. Reſpondent: hæc abſtracta non eſſe vltimata,ſed ea quæ vltimam rationem animalis important,ſcilicet ſenſibilitas, eſt vltimum abſtractum animalis,rationalitas,hominis,hinnibilitas,equi; quia humanitas (inquiunt) in homine, vlterius eſt abſtrahibilis per rationalitatem. Dicunt ergo,prima abſtracta poſſe prædicari,hæc enim eſt vera, *humanitas eſt animalitas*, non vero hæc, *rationalitas eſt ſenſibilitas*,immo neq; hæc, *humanitas eſt rationalitas.*

Sed quicquid ſit de veritate huius ſententiæ,quoad prædicationem vnius abſtracti de alio, hæc tamen doctrina de abſtractis vltimatis, nunquam mihi placuit, ſi proprie & in rigore loquendum eſt. Et primo de illis abſtractis accidentium,vt coloreitas, albedeneitas,quis non videt nomina eſſe ridicula,& figmentum intellectus? licet enim voce abſtrahi poſsint,non tamen ſenſu, & ſignificatione,nam color,propriè ſignificat naturā colorati, ſicut humanitas,naturam abſtractā hominis,nihil vero eſt abſtractius quod ſignificari poſsit nomine coloreitatis, aut aliorū abſtractorū. Quod ſi nomine albedeneitatis vltimā intelligas differentiam albedinis preciſſe hoc non dicitur propriè abſtractum albedinis,ſed differētia albedinis, neq; enim albedo eſt concretum reſpectu eius, nec concretū illius proprie,erit albū, ſed differentia albi in concreto, ſcilicet, diſgregatiuum viſſus, aut aliud huiuſmodi: ſicut cōcretū rationalitatis preciſſe, & vt ſic,nō eſt homo,ſed rationale. Ex quo colligo, abſtracta illa vltima ſubſtātię,rationalitas,V.g.& ſenſibilitas,nō poſſe dici abſtracta humanitatis aut animalitatis,ſed tātū differētiæ in abſtracto, humanitas enim & animalitas nō poſsūt eſſe cōcreta,reſpectu rationalitatis,aut ſenſibilitatis, neq; reſpectu alicuius,quia nō cōcernūt ſuppoſitū aliquod, ex modo ſignificandi,quod eſt de ratione concreti.

His ſic circa abſtracta vltima cōſtitutis,Sētētia fuit (vt dicebā) Scot. in.1.d.5.q.1.§.reſpōd. abſtractū de abſtracto, in ſubſtātijs non poſſe prædicari,idē docuit Canariē. de Trinit.q. 28.ar.2.q.2.Ferrara 1.contra gētes cap.18.§.vltimo.Fundamentum iſtius ſententię eſt, quia abſtracta ſolum important rationes formales concretorū, ideo enim abſtracta di-

dicuntur, quia abſtractè & ſeparatè ſignificant rationes formales, quæ identice in concreto continebantur. Erit ergo humanitas ratio hominis, vt ſic, & animalitas ratio animalis, at falſum eſt dicere, *ratio hominis, eſt ratio animalis*, ergo falſum erit etiam dicere, *humanitas eſt animalitas*.

Oppoſita tamen ſententia communior eſt in recentioribus, hęc ſcilicet abſtracta ſubſtantiæ verè ad inuicem prædicari poſſe. Probatur primo, quia abſtracta poſſunt habere rationem vniuerſalis reſpectu inferiorum, tum quia natura abſtrahitur, vt poſtea per comparationem inferiora reſpiciat, tum ſecundo, quia nullus negabit, hanc prædicationem eſſe ſecundi prædicabilis, *hæc humanitas eſt humanitas*, eſt enim prædicatum ſpeciei infimæ de indiuiduo inferiori, eſſentialiter ſub illo contento, ergo ſicut humanitas poteſt prædicari de hac humanitate, ſic poterit animalitas de humanitate dici, eſt enim humanitas quid inferius animalitati, ſicut humanitati, hæc humanitas. Explicatur hoc, ſicut animal, ex eo quod ſignificat omne habens naturam ſenſitiuã, ſub quo inuolutè continetur homo, poteſt prædicari de illo, ita etiam animalitas, quia ſignificat omne principium eſſentiale ſenciendi, ſub quo cõtinetur inuolute humanitas, poterit etiam prædicari de illa.

Vtraq; hæc ſententia verũ poteſt ſenſum habere: pro quo notãdum eſt, id quod initio primæ quæſtionis dicebamus, ſcilicet, poſſe aliquando eſſe propoſitionem identicam, ratione identitatis prædicati cum ſubiecto, etiam ſi diuerſis formalitatibus explicetur, ſicut *actio & paſsio*, eſt enim identicè vera, quamuis nomine actionis, diuerſa importetur formalitas à paſsione. Hęc autem identitas etiam poteſt contingere, non ſolum entitatiue exiſtentialiter (vt conſtat in exemplo adducto) ſed etiã quidditatiue, & eſsẽtialiter, vt cum dicimus, *albedo eſt color*, *quantitas eſt entitas*, ſunt veræ propoſitiones, quia entitas eſt de intrinſeca ratione quantitatis, & color intrat quidditatem albedinis.

Notandum eſt ſecundo, rationem abſtractam ſuperiorẽ, & communem, poſſe conſiderari ſolum ſecundum gradum præciſſum, ſiue vt idem eſt quod formaliſsima ratio talis & vt ſic, qua ratione abſtrahit, & excludit rationes alias inferiores in confuſſo contentas, ratio enim animalis nomine

mine animalitatis importata in hac acceptione, ſolum dicit formaliſsimam & expreſſam rationem principij ſentiendi, qua ratione poſſent quidem in re, hæc abſtracta dici vltima, quia abſtrahuntur omni modo quo poſſunt; ſignificariq; poterunt, non quidem aliquo nomine incomplexo & ſimplici, ſed hoc complexo. V.g. ratio animalis: & ſic de alijs. Secundo modo poſſunt hæc abſtracta conſiderari, vt virtualiter, & in confuſſo continẽt rationes & perfectiones inferiores, qua ratione animalitas ſignificat omne principium eſſentiale ſentiendi, ſub quo in confuſſo continetur humanitas, quæ etiam principiũ ſentiendi eſt.

Dicendum igitur, quod ſi abſtracta hæc ſuperiora prædicẽtur prædicatione in quid, qualis eſt generis & ſpeciei, ſumanturq; hoc ſecundo modo nunc dicto: poteſt optime vnũ de alio prædicari. Hoc probãt optime argumenta adducta pro ſecunda ſententia, quin immo ſi de prædicatione idẽtica eſſet ſermo, id eſſet omnino verum, conſtat enim actionem, & paſsionem ſignificari tanquã formas diſparatas, neq; eſſentialiter contentas vnã ſub alia, & tamen ratione idẽtitatis prædicari, multo ergo melius id in prædictis abſtractis ratione identitatis, & continentiæ, verificari poterit. Si vero ſumantur hæc abſtracta. Primo modo, omnino præciſiuè, & vt exprimunt ſolas omnino rationes formales, non poſſunt verè prędicari, neq; enim eſt vera hæc prædicatio, *ratio hominis formaliſsime eſt ratio animalis*, & in hoc ſenſu eſt vera prima ſententia, & ſic intelligenda.

Dico tamẽ ſecundo, prædicatione in quale, ſiue ſit in quid, qualis eſt differẽtiæ, *vt rationalitas eſt ſenſibilitas*, &c. ſiue ſit omnino accidẽtalis, qualis eſt hæc *humanitas eſt albedo*, abſtractũ de abſtracto nequit enũciari. Ratio eſt aperta, quia quod prædicatur in quale, cõuenit ſubiecto per modum adiacentis alteri, vt dictum eſt, ſed neq; abſtractum quod eſt a parte ſubiecti, ſignificat propriè ſubiectum & ſuppoſitum, neq; quod eſt a parte prædicati, ſignificatur per modũ adiacẽtis alteri, ſunt enim abſtracta termini abſoluti, ergo.

DV-

DVBIVM TERTIVM EST.

Vtrum concreta de abſtractis, vel abſtracta de concretis, enunciari vere poſsint.

IN Qua re dico, nec abſtractum de proprio concreto, nec concretum de proprio abſtracto, poſſunt vere in ſenſu formali, prædicari. Probatur, quia abſtractum ex modo ſignificandi, ſignificat vt pars, concretum ſignificat vt totũ, ſed pars formaliter vt pars, in recto, de toto nequit verè prædicari in ſenſu formali, ergo. Adde, quod concretum, ſuppoſitum concernit, includitque, illud, ſaltim connotando, & in hoc ſenſu, idẽ eſt homo, quod habens humanitatem, album quod habens albedinem, ſed humanitas præciſſe includit formam tantum, ergo falſo prędicabitur, habens humanitatem, eſt humanitas. Notanter dixi de proprio concreto, vel abſtracto, quia licet abſtractum, nullo modo de concreto proprio vel alieno, poſsit prædicari, hæ enim ſunt falſæ propoſitiones, *album eſt albedo, quantum eſt albedo*, concretũ tamen de abſtracto alieno, ſæpe, in ſenſu formali prædicatur, cum forma ſignificata per concretum, eſt in abſtracto, de quo prædicatur per modũ adiacentis, & adhærentis illi, vt patet in his; albedo eſt ſimilis, quantitas eſt æqualis, humanitas eſt rationalis.

Quod ſi quæras: quare hoc concretis, non vero abſtractis conueniat? Reſpondetur, quia cum forma abſtracta, ſubiecto alieni concreti conueniat per modum adiacentis, & adhærentis illi, & in abſtracto non pręd icetur, aut ſignificetur vt adiacens, non ſignificatur vt conuenit, ac per conſequens falſo ſignificatur. Concretum autem ſignificat ferè ſemper, per modum alteri adiacentis, vnde forma in concreto, verè prædicatur de ſuo ſubiecto, ſed ſunt plures formæ, quæ in alijs abſtractis formis ſubiectantur, vt ſimilitudo in albedine, vel in alia qua uis qualitate: æqualitas vel inæqualitas in quantitate, & ſic de

de alijs, ergo hæ formæ in concreto, poterunt de illo abſtracto prædicari.

Excipiuntur tamen a regula generali huius concluſionis tranſcendentia, *vt entitas eſt ens*, hæc enim, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto prædicentur, vere enunciantur, quia includuntur in omnibus rebus, & ſignificant omnia; excipiũtur etiam propoſitiones in terminis diuinis, *vt Deitas eſt Deus* quia ibi ſuppoſitum nõ diſtinguitur a natura, ſed Deus eſt ſua eſſentia, & ſua eſſentia eſt Deus.

De terminis autem ſecundæ intentionis interſe, iddẽ dicendum eſt, ac de primis, hæc enim vera eſt prædicatio cõcreti de concreto, *genuſ eſt vniuerſale, genereitas eſt vniuerſalitas*, & iſtæ ſunt falſæ, *genus eſt genereitas, genereitas eſt genus*, propter rationes hic proportionaliter applicatas.

Circa modum autem quo prædicentur ſecundæ intentiones de primis aduerte, quod omnes prædicationes, quibus ſecundæ intentiones de primis dicuntur, ſunt accidentales, & denominatiuæ, quia conueniunt illis, prout ſunt in intellectu, quod eis eſt accidentale. Vnde idem dicẽdum eſt de illis, ac de alijs accidẽtalibus propoſitionibus; ſicut ergo vere dicitur homo eſt albus, ſic dicitur homo eſt ſpecies, ſicut non dicitur, humanitas eſt albedo, ita non dicitur, humanitas eſt ſpecieitas, item ſicut non dicitur, homo eſt albedo, ita neq; homo eſt ſpecieitas. Poteſt tamen (ſicut diximus concreta de alienis abſtractis prædicari) dici etiã humanitas eſt ſpecies, aut vniuerſalis, non inquã de ſpecie aut vniuerſali, quod in recta linea prædicamentali collocatur, ſed de illo in ſenſu a nobis dicto. Quæ omnia eiſdẽ rationibus proportionaliter applicatis (vt dixi) confirmantur. De numero prædicabiliũ, & an vniuerſale ſit genus, cõmodius multo, poſt tractationem prædicabilium in particulari, agemus: immo plura ex his quæ diximus, hanc particularem tractationẽ (vt perfectius intelligantur) requirebant. Et hæc de vniuerſalibus in vniuerſali dicta ſufficiant.

* *
*

Digitized by Google

CAPVT. II.

De Genere primo Prædicabili.

TAlis eſt in enumerandis Prædicabilibus ordo Porphirij, vt prius ea quæ prę dicantur in quid, poſtea id quod prędicatur in quale quid & tandem inter ea quæ accidentaliter prædicantur, prius accidens proprium, quam cõmune enumeret de his omnibus prædicto ordine, diſſerens. In quo ordinem ſeruauit naturæ, & doctrinæ. Doctrinę quidem, quatenus incipit a notioribus, cognitione ſaltim diſtincta, neque enim diſtinctè & perfectè accidẽtis natura, illius præcipue quod ab eſſentia dimanat, niſi eſſentia, & ſubiecto cognito, cognoſcitur; naturę autem, quatenus incipit a prioribus: eſt enim eſſentia prior ſecundum productionem, quam accidẽtia, eſſentia enim illis ſupponitur, illaq; ſuſtentat. Incipiendo etiã inter vniuerſalia quæ ad eſſentiam naturæ pertinent à genere, ſeruat doctrinæ ordinem, quatenus a notioribus incipit, ſunt enim vniuerſaliora notiora nobis, ex Ariſt. 5. Phiſ. tex. 1. Quatenus etiam genus eſt pars Metaphiſica quæ ſe habet, vt materia, etiam ordinem ſeruat naturæ, materia enim & compoſito, & formæ, & generationi, ſupponitur.

SVMMA TEXTVS.

DVas in principio huius capitis acceptiones realis generis adducit Porphirius, ex quarum ſimilitudine ellicit tertiam generis Logici ſignificationem. Primo inquit, accipitur genus pro collectione multorum ab aliquo trahentium originem, habentium ordinem interſe ad vnum primum a quo deriuãtur: qua ratione Romana gens dicitur Romanorum genus a Romulo. Secundo pro principio

pio ipſo, a quo aliquis trahit originem, ſiue principium illud Pater ſit, ſiue Patria: qua ratione Plato dicitur Athenienſis genere, & Poeta cecinit *Mantua me genuit*, & filium a Patre genus trahere: ex vtraq; autem hac acceptione reali, colligit tertiam generis Logici, quam per ſe intendit, dicẽs, Logicum genus eſſe id, cui ſupponuntur ſpecies, vt animal eſt genus, quia ſub eo ponuntur homo & Leo: quæ ſpecies habent ordinem, & ſimilitudinem interſe, ratione eiuſdem naturæ, quam participant ab ipſo genere, a quo etiam dicũtur ſuo modo ducere originẽ.

Hoc autem genus Logicũ definit ſic. Genus eſt, quod de pluribus differentibus ſpecie prædicatur in quid; per particulam de pluribus, genus (inquit Porphirius) differt ab indiuiduo, quod de vno tantum prædicatur, per ly *differentibus ſpecie* differt ab ſpecie, quæ prędicatur de pluribus differentibus numero, & a proprio quod de vnica tantum ſpecie dicitur, & de indiuiduis ſub illa contentis, vt riſibile, de homine, de Petro, & de Paulo. Sed certe facilius dici poſſet genus, per hoc quod eſt prædicari in quid (per quod a differentia, & accidenti communi differt, quæ prædicãtur in quale) a proprio etiam differre, quod cum ſit accidens, in quale ſimiliter prædicatur. Hoc enim, quod eſt prædicari de pluribus ſpeciebus, conuenire poſſet proprio, ſeu paſsioni, quod ſuo modo habet etiam natura generica; habere enim aliquam potentiam ſenſitiuã, eſt proprium animalis, & pluribus ſpeciebus commune, ſicut animal ipſum. Sed non incongruè poſſet dici pro Porphirio, quod licet hoc habeat aliquod proprium, non tamẽ eſt de eſſentia, & quidditate proprij vt ſic, aliàs, omnibus proprijs conueniret; & tamen prædicari de pluribus differẽtibus ſpecie, ſolũ conuenit naturę genericę, differt ergo genus a proprio per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, quia omne genus de his prædicatur, non tamen omne proprium. Neque obſtat contra hoc, quod etiam prædicari de pluribus differentibus ſpecie, non conuenit omni differentiæ, vnde poſſet etiã per illam particulam de pluribus differentibus ſpecie, differre etiam a differentia: fateor enim, ita eſſe; ſed non eſt neceſſe, vt ea omnia per quæ differre poſſunt, explicentur: ſufficit aliquam inter illa diſtinctionem aſſignare.

DIS-

DISPVTATIO VI,

DE GENERE.

POſtquam de vniuerſali in communi in præcedentibus diſſeruimus, diſſeramus iam de vniuerſali in particulari, & prius cum Porphirio de Genere, ac de eius eſſentia, quæ definitione explicatur, vnde oportet definitionem eius hic traditam examinare, explicaturi poſtea quæſtiones alias, quarum cognitio a definitionis cognitione dependet.

QVÆSTIO I.

Quod ſit definitum in definitione generis, tam deſcriptiua, quam quidditatiua.

SVpponit hæc quæſtio, aliquod habere definitum ad ductam a Porphirio definitionem, quod tamen difficile videtur duobus his argumentis. Primum eſt, quia ſi aliquod haberet definitũ maxime genus, at genus non eſt definibile, ergo nullum habet. Minor probatur, quia definitio genere & differentia conſtare debet, ſed generis non datur genus, alias illius generis daretur aliud genus, & ſic procederemus in infinitum, ergo neq; generis datur definitio. Secundo, quod genere & differentia cõponitur, ſpecies eſt, ſed omne quod definitur cõponitur genere & differentia, ergo omne quod definitur ſpecies eſt. At genus non eſt ſpecies, eſt enim aliud prædicabile ab illa, ergo definiri non poteſt.

Sed hæc nõ obſtant quominus aſſeramus & genus definiri poſſe, & rectã eſſe a Porphirio traditã definitionẽ, primũ cõſtat, quia pleriq; definitionẽ generis multiplicarunt, Stoici enim

Digitized by Google

enim, vt author eſt Diogenes in Zenone, lib. 5. ita illud definiuere, genus eſt plurium cogitationũ quæ auferri nõ poſſunt cõceptio, vt cum dico animal, hoc enim cũcta per ſpecies comprehendit animalia, dicitur, *plurium cogitationũ*, quia non oportet vt de facto exiſtãt omnes ſpecies. quibus genus cõmune eſt. Dicitur, *auferri non poſſunt*, vt explicetur genus eſſe de quidditate ſpecierum, nec poſſe in re ſeparari, fieriq; vt equus V. g. & homo animalia nõ ſint. Clarius definiuit Numeſius: genus eſt notio cõmunis, quę plures formas ſui ſimiles complectitur. Vt animal, hominem & equũ. Ariſt. autem 5. Meth. cap. 28. genus inquit eſt quod in definitionibus primum ineſt, & quod in quæſtione qua rei naturam quęrimus dicitur primo, etiam lib. topicorũ cap. 4. eandem in re, quam Porphirius adduxit definitionẽ. Deniq; Cicero. 1. de inuẽtione, genus definiuit, Petrus itẽ Gregor. 2. lib. Syntaxis artis mirabilis & plures alij diuerſis vocibus, eadẽ tamẽ definitione, genus definiunt. Definibile igitur eſt.

Porphirius rectam generis adduxit definitionem, ſi de definitione deſcriptina ſit ſermo, datur enim, vt patet, per prędicabilitatem quæ eſt paſsio, ſi vero quidditatiue definiatur genus eſt vnum in multis ſpecie differentibus primo & eſſentialiter. Cum enim genus vniuerſale ſit, ideo dicitur vnum in multis, quę eſt vniuerſalis eſſentia. Dicitur ſpecie differentibus, vt ab ſpecie diſtinguatur: particula vero illa *eſſentialiter*, diſtinguit genus à proprio, & accidenti, quæ ſunt extra eſſentiam rei, quòd autẽ dicitur, *primo*, diſtinguit genus à differentia, quæ licet concurrat ad compoſitionem eſſentiæ ſpecificę, non tamen primo, ſed ſecundo, non inquam eſt pars prima Metaphyſica, ſed ſecũda, habet enim ſe genus quaſi materia, quæ eſt primum in omni compoſitione ſubiectum, quod optime explicuit Ariſtot. in definitione adducta, dicens, genus eſt primum, quod in definitione ineſt. Si vero de definitione deſcriptiua ſit ſermo, conueniũt omnes, definitionem à Porphirio traditam, rectam eſſe, quã iam in explicatione textus explicuimus.

Notandum pro ſolutione argumentorum: quòd ſecundę intentiones eſſentialiter habent eſſe formas denominantes, & rationes prædicandi, ſeu prædicabilia, vt *quo*.

Digitized by Google

Si tamen ipſæmet conſideren tur vt *quod*, & admodum natu ræ realis, poſſunt denominari ab alijs ſecũdis intẽtionibus: vnde ſi ſecunda intentio generis conſideretur, vt commu nis huic & illi ſecundæ, intentioni generis, denominatur à ſecũda intẽtione ſpeciei, immo ſi ipſa ſecunda intẽtio ſpeciei, cõſideretur vt cõmunis huic & illi ſecundę intentioni ſpeciei, denominatur à ſe ipſa, vt *quod*, & accidentaliter, quæ eſſentialiter erat ſecunda intentio vt, *quo*, vnde ſicut non eſt inconueniens, quod natura quæ eſſentialiter realis eſt, denominetur accidentaliter à ſecunda intentione rationis, ſic non eſt inconueniens, quod ſecunda intentio, *vt quo*, ſi cõ deretur admodum naturæ de nominetur, *vt quod*, & accidẽ taliter ab alia ſecunda intentione, de quo in ſequentibus ſæpe redibit ſermo.

Notandum ſecundo eſt, pri mum prędicabile, *genus*, conuenire cum cęteris prædicabi libus in ratione communi vni uerſalis, quæ eſt eſſe vnum in multis, & diſtingui ab alijs, quia eſt in multis ſpeciebus primo & eſſentialiter, vt expiicatum eſt. Atq; ita etiam ſi ſit vniuerſaliſsima ratio denõminãdi naturas genericas; in ſe tamen & ſecundũ eſſentiam, eſt particularis & determinata ſpecies cuiuſdam generis, quod eſt vniuerſale.

Reſpõdetur igitur ad primũ argumentum, genus, *vt quo* poſſe optime definiri per rationem aliquam, quæ denominatiue, & accidentaliter ab ipſa ſecunda intentione, generis, poſsit denominari genus, *vt quod*, hoc enim, vt vidimus primo notabili, in ipſis adhuc ſecundis intẽtionibus poſsibilis eſt, & ita difinitur per vniuerſale, quod licet in ſua ratione eſſentiali ſolũ ſit ratio eſſendi in multis, vt ſic, quia tamen hæc ratio cõparabilis eſt ad plures ſpecies vniuerſalium inferiorũ, ſicut natura animalis ad plura inferiora animalia, poteſt etiã denominatiuè, accidentaliter, & *vt quod*, dici genus, ſicut etiã natura animalis genus eſt, & in hoc ſenſu ſecunda intentio generis, *vt quo*, poteſt definiri per rationem communem, quæ accidentaliter denominetur genus: vnde ſicut rationi vniuerſalis, quæ eſt eſſentialiter ratio eſſendi in multis *vt quo*, accidentale eſt, quod denominetur, *vt quod*, à ſecũda, intentione generis, ſic ſecundæ intentioni generis accidentaliter aduenit quod denominetur à ſecunda intentione ſpeciei ſubijcibilis reſpectu

pectu vniuerſalis; ex quo, vt patet, non ſequitur proceſſus in infinitũ, ſemper enim ſiſtitur in ſecunda intentione, generis, quę eſt ratio denominãs, *vt quo*, & in ratione eſſentiali generis prima, & ſola, à qua cæteræ naturæ, aut ſecundæ intentiones illius vniuerſalitatis capaces, poſſunt denominari genera *vt quod*. Ad ſecundam, iam vidimus ex ſecũdo notabili, hanc vniuerſaliſſimam rationem denominandi, habere in ſe particularem eſſentiam & naturam, quæ definitione explicari poteſt, & ſecundum quã habet rationẽ ſpeciei, reſpectu vniuerſalis.

Suppoſito ergo, definitũ aliquod dari in prædicta definitione, quod nam illud ſit, cõtrouerſum eſt ſatis inter authores. Pro cuius explicatione, notandum eſt. Genus in communi cõſideratum, quinq; modis poſſe ſumi. Primo, pro natura, quæ denominatur genus, ſecũdum ſuam realitatem, aut eſſẽtiam conſiderata, animal V.g. pro natura ſenſitiua ſumptũ. Secundo, pro ſecunda intentione generis, *vt quo*, ſeu qua, hæc natura realis denominatur genus. Tertio, pro aggregato ex natura & ſecunda intentione. Quarto, pro natura generica, nõ ſecũdũ ſuã eſſentiam, ſed in quantum denominatur genus, ita vt non ſumatur natura omnino nudè ſecundum ſuam realitatem, ſine aliquo ordine ad ſecundam intentionem, ſed cum ordine ad illam, ita vt naturam dicat in recto, connotet tamen ſecundam intentionem generis in obliquo. Tandem quinto, pro ſecundâ intentione, non vt cumq; abſtracta, ſed in ordine ad naturã quam denominat, ita vt ſecunda intentio dicatur in recto, connotetur tamen natura in obliquo.

Ex his quinq; modis, primus excluditur neceſſario, (vt ego exiſtimo,) a ratione definiti, quia natura realis in ſe ſolitarie ſumpta, niſi ſit cum ordine ad ſecundam intentionem, non poteſt pertinere ad tractationem vniuerſalium, neque vlla ratione poteſt dici genus, quod eſt nomen ſecundæ intentionis, niſi vel vt actualiter denominatur, vel ſaltim, vt in ordine ad illã denominabilis eſt ſecunde intentionaliter. Genus etiã ſumptũ ſecundo modo, nõ poteſt eſſe definitũ in hac definitione Porphirij, cũ definiatur per ordinẽ ad prædicationẽ, quã tamẽ nõ exercet ſecũda illa: intẽtio *vt quod* ſed natura vt denominata, cõcurritq; ſecũda intẽtio vt denominãs, faciẽsq; illũ prædicari; definitur etiam vt con-

connotatiuum,ſiue vt accidẽs in concreto, quod proinde connotat,& ſaltim in obliquo ſubiectum dicit. Relinquitur ergo dubium,quo ex alijs tridus modis genus ſit definitũ huius defini tionis.

Prima ſententia eſt, definitum huius definitionis, eſſe aggregatum ex natura,& ſecũda intentione, hanc defendũt aliqui ex recentioribus, videturq;fauere Auicena, dicens, logicum agere de ſecundis intentionibus adiunctis primis. Probatur primo,definitũ formale,*quod*, termini cõnotatiui eſt ipſum cõpoſitũ ex materiali,& formali vt cũ definitur albũ, quod ſit diſgregatiuum viſus, definitũ, *quod formale*, eſt compoſitum ipſum ex corpore & albedine, ſed genus eſt cõnotatiuũ cõſtãs ex natura,& genereitate,erit ergo definitum formale,*quod*. Secundo,illud definitur vt,*quod*, formaliter,cui per ſe, & formaliter,conuenit definitio,ſed prędicari de pluribus differentibus ſpecie in quid, non conuenit abſolutè,& per ſe intentioni generis, quia illa tantum eſt ratio prædicandi,nõ quod prædicatur,neq;conuenit naturæ ſolum,quia ipſa non poteſt prædicari, niſi media intentione, ergo compoſito ex natura & intentione, conuenit definitio, hoc enim eſt quod de differentibus ſpecie, *inquid*,prædicatur.

Secunda ſententia eſt:definitum huius definitionis eſſe naturã,quæ denominatur à ſecunda intentione generis, cũ ordine tamen ad illam, à qua formaliter habet eſſe vniuerſale,& poſſe prædicari de pluribus. Probant prædicto argumento,quia illud eſt definitũ, cui definitio conuenit, ſed id quod prędicatur, non eſt ſecũda intentio, ſed natura tantũ, animal enim eſt quod prædicatur de homine,& equo, neq;enim verũ eſt dicere homo eſt genus, ſed homo eſt animal, natura igitur eſt quę definitur,vt ſubeſt ſecundę, intentioni. Secũdo,quia ſicut in definitione albi, eſſe diſgregatiuum viſus,nõ verificatur de albedine in abſtracto, ſed de corpore ipſo informato albedine,& ita indefinitione illi9, quod definitur, eſt corpus vt albedini ſubeſt.ſic etiã in definitione generis, definitũ erit genus, vt ſubeſt genereitati. Sic docet Iabellus in ſua Logica,tit.4. c. 2. Paulus Venetus, in cap.de genere. Sotus ibidẽ quæſt. vnica. Toletus q. 1. & aliqui ex recentioribus.

Pro vera tamen quæſtionis deciſione. Notandum eſt primo,concretum accidentis, ſeu

ſeu cõnotatiuum(idem enim eſt vtrum); dicit enim formã quaſi alteri adiacentem, nempe ſubiecto, ac proinde illud connotando, aut innuendo) per ſe, ſolam formam ſignificare, *Album enim*, inquit Philoſophus, *ſolam qualitatem ſignificat*. ſubiectum autem propriè nõ ſignificat, niſi innuendo, aut cõnotando, vt dicebabamus. Hoc enim differt, cum dicimus tantum, *album*, ac cũ dicimus, *corpus album*, quòd prima voce ſignificatur albedo, connotatur corpus, poſteriori autem, vtrumq; quaſi ex æquo exprimitur. Ex quo vrgens argumentum cõficio. Si albũ idẽ ſignificat quod corpus album, ſequitur primo, cũ dicitur corpus album, nugatorie dici corpus. Secundo, album in ſignificando eſſe ens per accidens, continet enim res diuerſorum prædicamentorum, ſubſtantiæ ſcilicet, & qualitatis. Tertio principaliter dicere corpus, quia corpus album principaliter dicit corpus, tanquam ſubſtantialem naturam ſuſtentatem accidens; differunt ergo, in ſignificatione, album, & corpus album.

Secundo notandũ eſt; quòd tam in definitionibus accidẽtis rei, quam rationis, ſi definitio per aliquem actum detur, ſeu per ordinem ad illum, talem actum exercet ſubiectum, quia actiones, ſeu paſsiones, ſunt ſuppoſitorum, nõ vero formarum, licet huius exercitij ratio ſit forma, quã principaliter ſignificat connotatiuum. Hoc autem quod eſt, eſſe rationem exercendi talẽ actum, eſſentialiter conuenit formæ accidentali, vt eſſe rationem diſgregandi viſum albedini, exercitium autem actus, nempe diſgregare, conuenit accidentaliter corpori, & ſubiecto; ex quo fit, vt ſi aliquãdo connotatiuum, explicationis gratia, per actus & exercitia, quæ ſubiecta exercent, definiatur, definitio illa, ſi eſſentialis ſit, aut deſcriptiua, neceſſario debeat intelligi de forma, & ratione talis exercitij, quæ connotatiuo, ſecundũ formale ſignificatum eſſentialis eſt, non vero de actu, quia hunc non exercet forma, quã dicit connotatiuum, & ſubiecto illum actum exercẽti, accidentale eſt hoc exercitium.

Tertio notandum eſt: ens per ſe, eſſe, quod conſtat vna vnius prædicamenti natura, ens vero per accidens, quod conſtat naturis diuerſorum prædicamentorum. Sic Ariſt. lib.5. Meth. text.13.& 14. entia per accidens vocat, quæ conſtant ex ſubiecto & acci-

 denti.

Digitized by Google

dēti. Ens autē per ſe, dicit eſſe, quod diuiditur in decē prædicaměta. Idem docet. 7. Meth. text 43. & Clarius li. 8. tex. 15. & li. 2. de anima text. 7. illud ſignificat eſſe ens per ſe vnū, q͡p vel ſimplex eſt, vel ex potētia ſubſtātiali, & proprio actu cō ponitur, cū ergo ſubſtātia habeat per ſe propriū actū, q͡p nō eſt accidens, præcipue accidens rationis, compoſitum ex ſubſtātia & accidēti rationis, nō potest eſſe ens per ſe. Ratio autem huius doctrinæ eſt, quia cōpoſitum cōſtans ex rebus diſtinctis, quarū altera, in aliquo genere cōpletum ens ſit, & per adiunctionem alterius, perfectione diuerſi generis afficitur, tale inquam ens, eſt vnum per accidens, quia in eo non poteſt vna vera eſſentia reperiri, item, quia hoc ipſo quod vnum ens in ſuo genere eſt completum, non poteſt non, quod ei adiungitur, alterius generis, & accidentaliter aduenire, & illud ad genus alterum trahere, conſtituet ergo neceſſario vnū, aut ens per accidens. Ex quo fit, id quod recte docuit Philoſophus. 7. Meth. non poſſe ens per accidens, aut quidditatiuè, aut deſcriptiuè, propriè & in rigore definiri. Ratio eſt aperta, quia ſunt plures in illo naturæ pertinentes ad diuerſa genera, vnde nō poſſunt habere vnum genus, & vnā verā differentiam, ac proinde neq; vna definitione definiri. Vbi autē non eſt vna eſſentia, aut natura, non poteſt eſſe aliqua vera, & propria paſsio, per quā definiatur illud ens pacci dēs, adhuc deſcriptiue, quia vna paſsio à diuerſis naturis, ſeu ab habēte diuerſas naturas, vt ſic, dimanare nō poteſt.

Dicendum igitur eſt in hac quæſt. 1. definitum huius definitionis, non eſſe aggregatum ex natura, & ſecunda intentione, probatur ex dictis, quia hoc aggregatū eſt ens per accidens, conſtat enim non ſolū rebus diuerſorum prædicamētorum, ſed rebus generis diuerſiſsimi, ſcilicet, ente reali & rationis, quibus proinde nihil poteſt dari commune vniuocum, nec propriè & verè vnica eſſentiali aut deſcriptiua definitione poſſunt definiri; vt præcedenti notabili explicatum eſt. Secundo. Definitū eſt connotatiuū accidentis rationis, nēpe genus, ſed connotatiuū non ſignificat aggregatum ex natura reali & forma accidentali, ergo aggregatū non definitur. Minor cōſtat, quia in connotatiuis accidentium realiū, vt albū, V. g. ſola qualitas ſignificatur, cōnotatur autē, & innuitur ſubiectū idē ergo erit in accidentibus rationis. Secundo, quia

albū V.g. nō eſt idē quòd corpus albū, vt dictū eſt, & cōſtat denuo, quia albū poteſt habere rationē generis, vt videbimus quæſtione ſequēti. Poteſt etiā per ſe poni in prędicamēto qualitatis, & eſt quid vniuocū, ergo non eſt idē, quod corpus albū, ſed corpus albū eſt aggregatū, albū igitur aggregatū non erit, ergo genus non eſt idem, quod natura & ſecūda intentio ſimul, ſed ſecunda intentio, tantum, connotās, & concernēs naturā in obliquo, ergo aggregatū nō definitur.

Dico ſecundo. Definitū nō eſt natura quaſi in recto, & principaliter ſumpta, cōnotās ſecundā intentionē, ratio eſt aperta, quia connotatiuū accidētis nō dicit in recto naturā, aut ſubiectū, ſed formā accidētalem, & cōnotatur natura, at definitū eſt connotatiuū accidentis, ergo non eſt natura in recto & principaliter. Secundo, naturæ quæ denominari poſſunt à ſecunda intentione generis in cōmuni, ſunt tā entia realia quam rationis: vidimus etiam, in ſecundis intentionibus poſſe aliquas denominari, *vt quod*, à ſecunda intentione generis, vt patet in natura vniuerſalis, ſed ens reale, & rationis, aut ſi quid cōmune illis eſt, nō poteſt vera, eſsētiali, aut deſcriptiua definitione definiri, ergo nō definitur natura quę ſubeſt genereitati.

Dico tertio. Definitū in hac definitione eſt ſecūda intētio generis in cōcreto, ſeu cōnotatiue ſūpta. Probatur. 1. à ſufficiēti enumeratione, nihil. n. aliud reſtat, ꝙ poſsit eſſe definitū. 2. quia illud definitur formaliter, ꝙ formaliter ſignificat definitū, ſed genus formaliter ſignificat ſecūdā intētionem cōnotādo naturā, hoc ergo eſt ꝙ definitur. 3. illud cuius eſſentia vel propriū explicatur p definitionē, eſt ꝙ definitū, ſed prędicabilitas, ſeu vniuerſalitas eſt eſsētia & paſsio ſecundę intentionis, vt naturā cōnotat hęc ergo ſecunda intētio eſt quę definitur, cū enim verba in difinitione, nō dicāt actū, ſed aptitudinē, prędicari pro prędicabilitate ſumit, & in definitione quidditatiua eſſe vnū in multis ſpeciebꝰ (quę eſt ratio vniuerſalis) explicat. 4. quia alias nō poſſet eſſe eſſentialis aut deſcriptiua definitio: naturę enim accidit, tā prędicabilitas quā vniuerſalitas, & multo magis actus prædicādi: oportet ergo aut definitū ſit illud, cui & prædicabilitas, & vniuerſalitas cōueniat eſsētialiter, aut tanquā paſsio: hoc eſt ſecūda intētio, ergo. 5. quia definitū debet eſſe vniuocū, vnde æquiuoca prius ſūt diuidēda vt vniuocētur, quā definiēda, ſed natura quę poteſt

Digitized by Google

ſubeſſe genereitati nõ eſt vniuoca vt dicebamus, erit ergo definitum ſecunda intentio. Addo illud commune Auicenæ Proloquium. Logica agit de ſecundis intentionibus adiunctis primis, ideſt vt primas denominant, vbi enumerando primo ſecundas intentiones, de illis denotat agere principaliter, in peculiari præſertim tractatu de earum naturis, principaliter (inquã) reſpectu naturarum denominatarum, non vero reſpectu operationum intellectus, vt quæſtione de obiecto dictum eſt.

Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum negamus definitum, quod eſt terminus connotatiuus, eſſe ipſum compoſitum ex materiali & formali. Sępe enim dictum eſt in connotatiuis tantum definiri in recto & principaliter formam cõcernendo in obliquo ſubiectam. Dices: omnis definitio debet habere definitum vt quod, præcipuè cum in hac difinitione Porphirij expreſſe dicatur, quod prædicatur, ſed definitum, *vt quod*, in connotatiuis non eſt forma, quia hæc tantum eſt, *quo*, aut, *qua*, erit ergo totum compoſitum ex ſubiecto & forma. Reſpondetur, ex Caietano falſam eſſe illam maiorem in connotatiuis, cuius rationẽ ipſe reddit ſubtiliter dicẽs, quod nomina cõnotatiua nõ ſignificant formã, vt quod eſt, ſed vt quo aliud eſt, non enim ſignificant formã per modum per ſe ſtantis, ſed per modum alteri adiacentis: cum ergo forma ſit illud quod ſignificatur, & definitur, & hęc in connotatiuis non ſignificetur, vt quod eſt, ſed vt quo aliud eſt, non oportet aſsignare definitũ vt, *quod*, riguroſe loquendo, ſi enim alio latiori modo loquamur etiam dicitur forma id quod eſt ratio denominandi, vbi vides formã appellari ſuo modo, *quod*, quo ſenſu poteſt optime explicari illa particula, *quod prædicatur*, ſumpto prędicari aptitudinaliter, & prædicabile omnino formaliter ita vt ſenſus ſit, genus ſeu ſecũda intentio eſt, id quod conſtituit formaliter prędicabile, facitq; naturam prædicari de multis, quod ex ſecundo, notabili & adductis pro noſtra ſententia rationibus apertum eſt.

Ad ſecundum Reſpondetur, ex dictis ly, *quod prædicatur*, explicandum eſſe in ſenſu nunc dicto, ſcilicet, quod eſt ratio vt natura formaliter apta ſit ad prędicãdũ, hoc autẽ non conuenit per ſe aggregato neq; naturæ (vt ſic ſoluãtur argumenta ſecũdæ ſententiæ,

quæ

quæ ſunt eadem applicata naturæ, & ſubiecto,) ſed ſecūdæ, intentioni vt naturas connotat, in quo etiam ſenſu intelligenda eſt definitio albi, eſt diſgregatiuum viſus ideſt, eſt quod conſtituit corpus diſgregatiuum viſus. Sed obijcies: ergo eodem modo definitur album, & albedo, quia albedo etiam eſt ratio diſgregandi viſum. Reſpondetur, ex parte rei ſignificatæ in recto & per ſe concedo, quia album ſolam qualitatem ſignificat, ex parte vero modi ſignificandi nego: connotatiuum enim ſignificat connotando naturam, ratione cuius ordo ad illā, aut ipſa natura vt ſubiectum, poteſt in definitione cōnotatiui exprimi. Addo tamen ſi de eſſentiali & deſcriptiua definitione ſermo ſit, non debere tradi definitionem connotatiui per ſubiectum, vt iam explico. Argumēta ſecundæ ſententiæ iam dixi eſſe ſoluta, eadem enim ſunt.

Tandem dicit, ſecunda intentio generis poteſt denominare naturas diuerſorum prædicamentorum, ergo non eſt vniuoca, ac proinde neq; definibilis eſſentialiter. Nego cōſequentiam, quia rebus diuerſorum prædicamentorum aliqua ratio accidētaliter, & denominatiue ſolum cōueniēs, optime poteſt eſſe communis vniuoce. Et hęc de hac quęſtione.

QVÆSTIO. II.

Quod ſit genus in his generis definitionibus.

DIximus genus, & quidditatiue & deſcriptiue definiri, ſi ergo de quidditatiua definitione ſermo ſit, quæ verum genus poſtulat, dubitari non poteſt, genus debere eſſe, *vniuerſale*, ſeu vnum in multis, patet, quia reſpectu generis quod definitur, non eſt aliud verum genus, non enim natura, quæ poteſt ſubeſſe genereitati, tū quia ens reale, nō poteſt eſſe genus entis rationis, tum etiam, quia natura capax genereitatis includit ſubſtantiam & accidens, immo ens reale & rationis, hæc autem adeo diuerſa non poſſunt veri generis rationē habere, erit ergo genus ſecunda intentio vniuerſalis, quam in fine omnium prædicabilium, genus ad illa eſſe dicemus.

Quod ſi dicas, naturā poni loco

loco generis,non vero eſſe genus.Cōtra,quia definitio quidditatiua verū genus poſtulat, quod ſi haberi poteſt, neceſſario in illa conſtituendum eſt. Sed obijciunt recentiores aliqui,quādo accidens definitur in cōcreto debet definiri per ſubiectū loco generis, ſed genus eſt accidēs rationis,quod definitur in concreto, debet ergo definiri per naturā denominatā,quæ eſt ſubiectū.Reſpondetur,negando maiorem, accidens enim in cōcreto recte definitur per rationē accidentalē ſuperiorē etiā in concreto,vt ſi dicas albū eſt coloratū,diſgregatiuū viſus,immo hęc eſt perfectior definitio quā,quæ traditur per corpus, album enim nō ſignificat corpus,ſed cōnotat,quod etiā cōnotat coloratum. Addo,quod quando ſubiectum nō poteſt eſſe vniuocum,non poteſt per illud quidditatiue aliquid definiri, ſubiectū autem, aut natura capax genereitatis,nō eſt aliquid vniuocū vt diximus. Addo ſecundo,quod connotatiuū vt ſic,cum tantum ſignificet formam, in definitione eius potius eſt ſeruandus modus, quo forma ipſa definitur in abſtracto, ſeruata ſemper cōnotatione,ſed forma in abſtracto definitur per ſuū genus:(albedo enim definitur p colorē nō per corpus)ergo cōnotatiuū(albū ſcilicet)definiri debet per coloratū, ſeu per cōnotatiuū genericū. Et ideo dixi,ſalua ſemper cōnotatione,ex quo rurſus idē cōfirmo: ſi ex omniū ſententia hæc eſt quidditatiua definitio albedinis, albedo eſt color diſgregatiuus viſus, quare hęc nō erit quidditatiua & perfectiſsima definitio albi,albū eſt coloratū diſgregatiuū viſus?Sicut enim ſe habet genus in abſtracto ad formā in abſtracto definitā,ita genus in cōcreto ad formā in cōcreto.Quinimmo nō poteſt cōnotatiuū vere definiri per ſubiectum,niſi dicamus definiri per illud ratione connotati,ſenſuſq;ſit,connotatum à forma accidentis in cōcreto eſt corpus &c.

Si autē de definitione deſcriptiua loquamur,idē etiam dicēdū exiſtimo, ſcilicet genus eſſe vniuerſale. Conſtat enim in definitione deſcriptiua, verū genus debere conſtitui, ſi loco differentię paſſio,aut proprietas aliqua ponatur,immo hæc eſt perfectiſſima,& deſcriptiua definitio, vt patet in hac,homo eſt animal riſibile, & licet hoc nullā mihi videatur habere difficultatē,ſunt qui id negent,aſſerētes genus in definitione deſcriptiua Porphirij nō eſſe vniuerſale,

uerſale, ſed prędicabile, aut totũ illud, *quod prædicatur*, inter quos ſunt Toletus & Caiet. Du cuntur hac ratione, quia quæ differũt per differentiã definitionis, debent cõuenire in genere, ſed genus quod hic definitur differt ab indiuiduo ſecũdæ intentionaliter per illã particulã de pluribus, ergo cõuenit cũ illo in genere, quod neceſſario erit prędicari, in vniuerſali enim non cõuenit, vniuerſale ergo nõ erit genus.

Sed certe hæc opinio falſa eſt, & cõtra illã argumẽtor, 1. prędicabile nõ poteſt eſſe verũ genus, quia verũ genus debet eſſe de eſſentia rei, & prædicari in quid, prędicabile autẽ tantũ eſt propria paſsio & predicatur in quale ergo. 2. relatiuũ illud, *quod prædicatur*, refert aliud quod præceſſit, ergo refert aliud prҿter prędicabile, quia prædicabile, & ꝙ prædicatur, per illos idẽ eſt; ſed nõ refert, definitũ nẽpe genus: tũ quia alias per ly, *quod prædicatur*, differret ab indiuiduo, quod non eſt genus, & ipſi reputant inconueniens, tum etiã, quia definitũ non debet intrare definitionẽ, facit ergo relationẽ alicuius impliciti, quod primo in definitione ponatur, ſicq; genus. Hoc autẽ non poteſt eſſe aliud niſi vniuerſale, aliud enim verũ genus non eſt, ergo. Tertio, falſum eſt cõuenire indiuiduũ cũ genere in prędicabilitate, ſi de ea quę paſsio eſt vniuerſalis, vt tenẽtur loqui, loquantur, alias hæc nõ erit definitio deſcriptiua, cõſtat enim, ꝙ ſi indiuiduo nõ conuenit ratio vniuerſalis, nõ conueniat prædicabilitas, quæ eſt eius paſsio, quia vero Porphirius tantũ dixerat, eſt id quod prædicatur, & clare non explicuerat an prædicari idem eſſet ꝙ prædicabile, quod eſt paſsio vniuerſalis, ideo dixit differre per ly, *de pluribus*, ꝙ erat per ſe notũ, aliud nõ explicans, quia id nõ erat neceſſarium, cum iam per vnam differret particulam.

Ad argumentum præterea Reſpondetur, non eſſe inconueniẽs ꝙ id, ꝙ eſt diuerſi generis ab aliquo, per genus ſimul & differentiã differat ab illo, quatenus genus etiã includit rationẽ quãdã differẽtialẽ, vt in animali V. g. ꝙ eſt viuẽs ſenſibile, ratio illa vltima ſenſibilitatis; lapis enim differt ab homine, nõ tantũ per rationale ſed etiã per animal, ſic indiuiduũ à genere, nõ tãtũ ꝓ prædicari de multis ſed ꝓ hoc ꝙ eſt eſſe in illis differre poteſt.

Cõtra hanc autem generis definitionem ſolum duo reſtant ſoluenda, primum, differentiam prædicari in quid ſicut genus, & prædicari etiam

etiam de pluribus differentibus ſpecie, vt conſtat in differentia generica & ſubalterna, V.g. ſenſibile, non ergo recte dictum eſt diſtingui genus à differentia, per hoc quod eſt prædicari, *in quid*, vnde Ariſt. 2. poſt cap. 14. differentiam aſſerit prædicari, *in quid*, & cum differentia prædicatū eſſentiale ſit, quidditatiue, ſeu in quid prædicari debet. Sed Reſpondetur facile, quod ſi attendamus ad rem, quæ prædicatur, differentia prædicatur, *in quid*, quia res quæ prædicatur eſt de eſſentia, & hoc voluit Ariſt. & probat adducta ratio. Si vero attendamus ad modum prædicandi, quia differentia ſignificatur per nomen connotatiuum quaſi alteri adiacens, dicitur prædicari, *in quale quid,* quo ſignificatur & eſſe partem eſſentialem ſpeciei cū prędicetur, *in quid*, & eſſe partem præcipuam & formalem cum adueniat alteri, & illam contrahat, limitet, & Metaphyſice veluti informet, tantum abeſt vt hic modus prædicandi aliquid derogет excellentiæ, & formalitati huius partis Metaphyſicæ.

Secundo poteſt obijci. Genus prædicatur etiam de pluribus differentibus genere, vt viuens de animali & planta, immo de pluribus differentibus numero Vt Petrus eſt animal, Paulus eſt animal, ergo nō tantum de pluribus differentibus ſpecie. Reſpondetur, inter ea, quę ſpecie differūt alia differre ſpecie infima, illa ſcilicet quæ ſic ſub eodem genere continentur, vt in alias ſpecies rurſus diuidi nequeant, ſed tantum in indiuidua, alia ſunt, quæ ſub eodem genere collocata in alias ſpecies diuiduntur, vt ſunt planta, & animal ſub viuenti, de quibus fit mentio in argumento, & tales dicuntur ſpecies ſubalternæ Reſpondetur ergo, quod licet de his quæ ſunt diuerſa genere, genus prædicetur, non prædicatur de illis vt diuerſa genera ſunt, vt ſcilicet reſpiciunt alias ſpecies inferiores, ſed vt ſunt ſpecies ſubalternę, ſic appellatæ, quia ſic ſub alio genere continentur. Differre autē genere proprie & totaliter eſt differre genere generaliſsimo, quod ſub nullo alio genere continetur, ſic tantum differunt prædicamenta. Quod vero dicitur prædicari de indiuiduis fatemur prædicari mediate, immediate tamen de ſpeciebus, de qua immediata prædicatione loquitur definitio, ſed de hoc in capite de ſpecie iterum redibit ſermo.

QVAES-

QVÆSTIO. III.

Quid ſit compoſitio Metaphyſica. & quomodo partes eius Genus ſcilicet, & differentia, inter ſe, & ab ſpecie diſtinguantur.

SPeciem genere & differentia conſtare & ex illis componi, commune pronunciatum eſt, ſæpe in precedētibus aſſumptum, & in ſequentibus aſſumendum. Pro intelligētia igitur cōpoſitionis huius. Notandum eſt primo, quod ſicuti diuiſio (vel ſi ita loqui licet) incompoſitio, nihil aliud eſt quā eiuſdē rei in duas partes ſeparatio, ita compoſitio ſeu aliquid compoſi eſt, ex duabus rebus diuerſis fieri vnam tertiam reſultantē ex illis. Vnde ſi res illæ ex quibus cōponitur fuerint realiter diuerſæ, & realiter vnitæ, compoſitio realis erit, qualis eſt cōpoſitio ex materia & forma, ſi vero tātum diſtinguantur ratione, cōpoſitio non erit realis, ſed rationis, ſeu per intellectū. Notandū ſecūdo eſt, cōpoſitionē ex materia & forma in cōpoſito naturali appellari Phyſicā, qualis inuenitur in generationibus ſubſtantialibus, quia ad Phyſicum pertinet de illis agere. Compoſitionē autē quæ non fit ex rebus vt à parte rei ſunt, ſed vt per intellectū aliquomodo abſtrahuntur, concipiūturq; ſecundū ſuas quidditates, dici Metaphyſicum, quia Metaphyſici eſt, res ſecūdum hanc abſtractionem, & quidditatiuam cōſiderationē contemplari. Huc etiam pertinet diſtinctio naturæ realiter ſumptę prout à parte rei eſt, vel ipſius, vt obiectiue in intellectu repręſentatur, qua ratione dicitur cōceptus realis obiectiuus, vt diſputatione de vniuerſali dictum eſt.

Notādum eſt Tertio. Quod diſtinctio in cōmuni adæquate diuiditur in diſtinctionem realem qua differunt ea, quæ à parte rei ante omnem intellectus conſiderationem plura ſunt, & in diſtinctionem rationis, qua differunt ea, quę licet à parte rei ſint vnum, & idē, ab intellectu tamen per modum plurium concipiuntur. Hanc autem diuiſionem adæquatam, eſſe conſtat primo quia tot ſunt genera diſtinctionum,

ctionum, quot ſunt genera entium, diſtinctio enim poſitiua, de qua nunc loquimur, inter entia eſt, ſed tantum ſunt duo generica entium, ſcilicet rei & rationis, vt conſtat ex Ariſtot. 7. Meth. cap. vltimo diuidente omne ens in illud quod habet eſſe in anima, quod eſt ens rationis & in illud quod habet eſſe extra animã, quod eſt ens reale, ergo tantum erũt duo diſtinctionis genera enumerata. Confirmatur, quia diſtinctio eſt proprietas entis, idem enim & diuerſum conſequũtur ens ex Ariſtot. 5. & 10. Meth. ſed proprietates, non poſſunt latius patere quam eatum ſubiecta, ergo tot erunt genera diſtinctionum, quot ſunt genera entis. Secundo, quia omnis diſtinctio vel eſt à parte rei, vel per intellectum, ſi à parte rei, erit realis, ſi per intellectum rationis, ſi ergo Scotus in 1. diſtinctio. 2. quæſtio. 7. & diſtinct. 9. quæſtio. 3. diſtinctionem illam quam ille ex natura rei appellat, ab aliqua harum condiſtinguat, aut tertiam quaſi Claſſem ex illa conſtituat: figmentum omnino eſt, vt adductæ rationes probant.

Quodlibet autem membrũ huius diuiſionis quaſi ſub alterna in alia inferiora partitur, diuiſio enim realis, alia eſt inter rẽ, & rem vt inter Petrum & Paulum, alia inter rem, & partem rei, quæ ſolet dici inter includens, & incluſum, quando ſcilicet vnum partem aliquam & aliquid realiter diſtinctum ab incluſa illa parte includit, ſic diſtinguitur homo à ſua materia, quam includit, quia præter illam dicit formã & ſubſiſtentiam, quæ realiter à materia diſtinguuntur: alia eſt inter rem, & modum rei, qualis eſt eſt inter eſſentiam & exiſtentiam, quę eſt modus eius, quę vltima diſtinctio ſolet appellari ab aliquibus ex natura rei. Diſtinctio etiam rationis eſt duplex, alia rationis ratiocinantis, quæ ſcilicet in re non habet fundamentum, ſed mere gratis ab intellectu, fingitur, alia eſt diſtictio rationis ratiocinatæ, quæ ſcilicet in re cognita fundamentum habet, de quibus late diximus diſputatione de ente rationis.

Notandũ eſt Quarto, ſpeciẽ ſic diſtingui à ſingulis partibus eam Metaphyſice componen-

ponentibus genere ſcilicet, & differētia, ſicut ipſæ partes interſe ſe diſtinguūtur. Homo enim à genere, animali ſcilicet, ſolum differt per differentiam, quia præter genus illam tantum includit, ergo eodem modo diſtinguetur à genere, quo differentia ab illo diſtinguitur. Eodemmodo à differentia diſtinguitur ſpecies per genus, quia pręter illam genus tantum includit. Si ergo genus, & differentia interſe ſe diſtinguuntur realiter, ſpecies realiter etiam diſtinguetur à quouis eorum ſeorſum, ſi vero tantum ratione, ſolum erit ab eorum quolibet ratione diſtincta.

Dico ergo primo, genus & differentia non diſtinguuntur realiter interſe, ac proinde neq; ab ſpecie, & conſequenter vniuerſalia à ſingularibus, ſuperiora ab inferioribus, ſolum differunt per rationem, non autem ex natura rei ante intellectum. Hec cōcluſio eſt contra Scotum, Antonium Andream, Scaligerum & Fonſecam, eam tamen docuit S. Thom. 1. par. quæſtio. 5. articul. 2. corpore, & ad primum, & quæſtio. 67. artic. 5. & 76. artic. 3. ad 4. Durandus in 2. diſtinctio. 3. quæſt. 2. numer. 14. Capreolus in 1. diſtinct. 8. quæſt. 2. ad primum, & ſecundum. Caietanus de ente & eſſentia capit. 4. quæſtio. 6. Sonzinas, Iabellus, Nimphus, Sotus Toletus, & communiter recentiores. Probatur vrgenter primo ſic, ſi genus re ipſa differt à differentijs, ergo potentia generis quæ poteſt per differentias contrahi, & actuari, erit realis, at realis eſſe non poteſt, ergo neq; realiter differre ab illis. Maiorem probo, quia illa eſt potentia realis quæ poteſt recipere actum ſeu formam realiter ab illo diuerſam, vt patet in materia reſpectu formæ, ſed probatur minor, quia omnis realis potentia quæ eſt ad actus oppoſitos quos recipere poteſt, poteſt etiam ab vno in alterum tranſmutari, vt patet in materia prima, quæ quia habet potentiam realem ad varias recipiendas formas, poteſt à forma hominis, aut equi, in formam cadaueris tranſmutari, ſi ergo genus habet potentiam realem ad contrarias differentias à ſe realiter diſtinctas, poſſet à parte rei ab vna in alteram differentiam tranſmutari

atq;

Digitized by Google

atq; ita idem animal, quod nũc à parte rei rationale eſt, poſſet deinde irrationale fieri, quod quis non videat quã ſit abſurdum? Secundo, quia vt diximus ſupra, non eſt in rebus alia vnitas quam numerica ergo neq; alia entitas, ergo ſpeciei entitas ante intellectum omnino eſt eadem cum entitate indiuidui, & entitas generis cum entitate ſpeciei &c. animal enim quod eſt genus non eſt à parte rei niſi in homine, & equo, homo non eſt à parte rei niſi in Petro & Paulo, & equus non niſi in hoc, & in illo equo, ergo nulla alia entitas aut diſtinctio eſt a parte rei, niſi entitas, aut diſtinctio ſingularium, ſed vna & cadem entitas indiuidua V.g. Petri, eſt animal, eſt homo, & eſt rationalis, ergo à parte rei nõ diſtinguũtur realiter genus & differentia, quia non alio modo diſtinguitur ſpecies à genere, niſi quo diſtinguntur genus, & differentia, ſed ſpecies a genere non diſtinguitur à parte rei, ergo neq; genus à differentia.

Dico ſecũdo, hęc diſtinctio rationis eſt, rationis ratiocinatæ. Probaĩ, quia animal & rationale, nõ pro libito intellectus concipiuntur vt principia diuerſorum effectuum, nam animal concipitur, vt principium earum potentiarum quæ communes ſunt homini cum alijs animalibus, rationale vero vt principium earum facultatum quæ ſoli homini conueniunt. Itaq; eadem natura hominis vt concipitur conceptu communi & ſentientis, generat conceptum generis, vt vero cõceptu proprio & peculiari ratiocinãtis, aut rationalis, cõceptũ generat differentiæ.

Dico tertio. Cõpoſitio iſta Metaphyſica, ex genere & differentia, non eſt realis ſed rationis, & ſequitur aperte ex dictis, quia compoſitio petit quod ſit vnio duorum ad componendum aliquod tertium, ergo compoſitio realis petit, quod ſit vnio duorum quæ realiter ſint duo, ſed genus & differentia non diſtinguitur realiter, vt vidimus, ergo non poſſunt realiter componere. Secundo idem à parte rei nullam poteſt efficere ſecum compoſitionem, ſed genus eſt idem cum differentia, ergo nullam poteſt à parte rei cum illa efficere compoſitionem. Sed contra obijcies primo, quando vnum poteſt ſine alio intelligi & definiri, diſtinguitur ab illo ex natura rei ante intellectũ, ſed genus

poteſt

poteſt intelligi ſine differentia, animal ſcilicet ſine rationali, & definiri, vt per ſe conſtat, cum dicatur, viuens, ſenſibile, non vero rationale, ergo diſtinguũtur ex natura rei. Reſpondetur, abſolute negando maiorem, quia ex eo præciſſe quod aliquid intelligi & definiri poſsit ſine alio, tantũ colligitur diſtingui ab alio per intellectum, qui preſcindendi & diſtinguendi vim habet, illudque præſcindit definiendo. Poteſt autem multiplex inſtantia aſsignari. Primo, in attributis diuinis, quorum vnum ſine alio intelligi poteſt ratio ſcilicet miſericordiæ non intellecta ratione iuſtitiæ, & tamen non diſtinguũtur ante intellectum in Deo, alias non eſſet ſimpliciſsimus. Secundo, ens poteſt intelligi ſine ſuis inferioribus, & tamen ens non diſtinguitur a partialibus entibus ex natura rei, quia eſt intrinſecum & eſſentiale illis, & entia inferiora nihil includunt, quod non ſit eſſentialiter ens.

Obijcies ſecundo: in homine V.g. genus eſt fundamẽtũ relationis identitatis cũ equo, & rationale fundamentum alterius relationis diuerſitatis cum eodẽ equo, hæ ſunt diuerſæ relationes reales, ergo & fũdamẽta, quia relatio & fundamẽtũ nõdiſtinguũtur realiter. Reſpondetur; quicquid ſit de hoc vltimo, negãdo minorẽ, relatio enim idẽtitatis cũ equo non eſt realis, quia a parte rei nõ ſunt idẽ in natura, neq; eſt aliqua conuenientia, aut vnitas, niſi per intellectũ. Relatio autem diuerſitatis vera, & realis eſt, ſicut relatio diſsimilitudinis albi & nigri a parte reĩ. Contra, ideo eſt relatio identitatis inter Petrum & Paulum quia fundant conuenientiam ſpecificam naturæ humanæ, ſed Petrus, & hic equus etiam fundant conuenientiam naturæ genericæ, ergo ratione huius conuenientiæ fundamentalis erit relatio identitatis. Reſpõdetur negando conſequentiam, vera enim & propria quidditas rerum, ſpecies infima eſt, vnde illa eſt quæ proprie definitur, & proprie explicat quid res ſit, neque enim ſi inquiras, quid ſit Petrus, recte reſpondebis animal tantum: ratio autem generica, cum contrahatur per differentias ad ſpecies, & per illarum differẽtias diſtinguatur, diuerſas naturas conſtituens, nõ recte identitas in natura ex conuenientia generica ſumi debet, ſpecies enim componitur ex genere & differẽtia, illa ergo quę in vtroq; cõponente ſpeciẽ &

Digitized by Google

definitione conueniunt, ſimilia in natura dici debent, non vero quæ cōuenientia generica: tranſeunt enim ad hāc, naturæ iam diuerſitate præſuppoſita in ſpecie infima.

Dico quarto. Cōceptus obiectiuus ſpeciei, ſeu natura ſpecifica, vt eſt obiectiuè in intellectu, cōponitur ex conceptibus obiectiuis generis, & differentiæ. Pro cuius concluſionis intelligentia notandum eſt. Quod animal, & rationale, nō ſumuntur in præſenti prout concipiuntur ab intellectu in ſignificato confuſſo & materiali, qua ratione animal dicitur habens rationem ſentiendi, & continet ſpecies in confuſſo, quia tam homo quam equus eſt habens rationem ſentiendi, & rationale ſimiliter dicit, habens rationem intelligendi, & eſt idem cum ſpecie, hominis ſcilicet. Sed ſumi debet vt concipiuntur cum ſignificato formali & præciſſo, qua ratione animal tantum dicit principium ſentiendi, rationale vero, rationem, aut formam intelligendi, ideo autem hoc ſecundo modo genus & differentia ſumenda ſunt nō primò, quia primo modo potius habēt rationem totius quam partis, ac proinde potius compoſiti quam componentis. Explicatur concluſio, & probatur ſecūdo ſimul. Natura ſpecifica vt obijcitur intellectui, homo ſcilicet, includit animal ſecundum rationē obiectiuam ſentiendi, & ſimiliter rationale, vt dicit rationem intelligendi: conſtat ergo, conceptus iſte obiectiuus ſpeciei ex obiectiuis animalis & rationalis. Ex quo deduco præcipuam huius concluſionis probationem, ſignificatū formale animalis, & rationalis includuntur in conceptu hominis, & quodlibet eorum ſeorſum non adæquat, ſed ambo illam quaſi exahuriūt. Item vnum illorum eſt quaſi contrahibile, & in potentia, aliud cōtrahens, ergo ſicut ex his, quorum vnum ſe habet vt potentia, alterum vt actus Phiſicus, reſultat vere vnum per *ſe Phi*ſicum, ſic ex his quæ ſe habent vt potentia & actus Methaphiſicus reſultabit vere vnum totum Metaphiſicum, quod eſt ſpecies. Hæc de hac quæſtione ſecundum communem doctrinem dicta ſint: in fine autem quæſtionis quintæ, quid omnino ſentiam & qua tandem ratione intelligenda ſit hæc Metaphiſica compoſitio, explicabo. Dependet enim ab his quę in quarta & quinta quæſtione dicenda ſunt.

QVAES-

QVÆSTIO IIII.

An & quomodo verum ſit axioma illud, genus ſumitur a materia, differentia vero a forma.

HAEc quæſtio, nullam habet difficultatem, ſi recte intelligatur, tãtumq; eget expoſitione, vnde breuiter illam abſoluã. Et primo, ſi axioma illud ſignificet id quod ſonat, genus ſcilicet ſumi a materia, quæ eſt altera compoſiti Phiſici pars, differentiam vero a forma; hic dicendi modus, non tantum eſt diminutus (quia nõ conuenit Angelis in quibus inuenitur compoſitio ex genere & differentia, non tamen inuenitur materia, aut forma Phiſica, ſunt enim immateriales & Phiſicè incompoſiti; immo deficit hic dicendi modus in accidentibus abſtractis, & in formis ipſis ſubſtantialibus, in quibus cum nõ ſit materia, non poteſt genus a materia, differentia vero, a forma ſumi). Sed præter hoc etiam eſt falſus. Primo, quia genus ſignificat quod res habent, non ſolum a materia, ſed etiam aliquid quod habẽt a forma, quod enim homo ſit viuens & animal, quæ ſunt genera hominis, non habet a materia ſola, quæ inanimis omnino eſt, ſed præcipue a forma, quæ dat illi viuere & ſentire; ergo genus non ſolum ſumitur a materia. Quod ſi hoc velles reducere ad ſupremum, & primum genus, nõ vero ad immediata, inuenies etiam eſſe falſam, cum ſupremum genus hominis ſit ſubſtantia perfecta & completa, quæ per ſe poni poteſt in recta linea prædicamentali, at homo quod ſit ſubſtantia perfecta, & completa, non habet a materia ſola, quæ imperfecta & incompleta eſt, ergo neque in hoc ſenſu verum erit pronuntiatum illud.

Dicendum ergo eſt, genus & differentiam a tota rei entitate eſſe ſumenda, ſecundum diuerſam rationem, quod vt explicem, ſuppono. In qualibet re, plures gradus eſſentiæ, ſeu entitatis ſibi ſubordinatos poſſe conſiderari. Poteſt enim in homine, ex materia, & anima rationali conſtante cõſiderari primus gradus qui eſt ſubſtantia, qui tamen pro-

uenit a materia, & anima rationali, vt forma ſubſtantialis eſt, a qua (ſimul cum materia) vt forma corporis eſt, ſumitur ratio corporis, ſeu corporeæ ſubſtantiæ ab eadem etiã materia, & anima rationali, quatenus anima eſt ſeu dans eſſe viuens, ſumitur tertius gradus ſubſtantiæ animatæ, a quo habet homo eſſe viuentis, & eodem modo ab illa, vt ſenſitiua, gradus ſubſtãtiæ ſenſitiuæ, a quo homo animal dicitur, & denique ſimul etiam cum materia ab anima, vt rationalis, ſumitur vltimus entitatis gradus ſubſtantiæ rationalis, a quo in homine, hominis ſumitur vltima ratio, quia ergo gradus illi ſuperiores a quibus vt ſuperiores ſunt ratio generis ſumitur, ſiue immediati ſiue intermedij rationẽ habent perfectibilis, & contrahibilis, quæ ſunt proprietates materiæ, ideo genus dicitur ſumi a materia: quia vero differentia ſumitur ab eadem entitate & eſſentia rei, prout eſt in inferiori gradu, qui reſpectu ſuperiorum habet rationem perficientis, contrahentis, facientis differre, & determinãtis, quæ ſunt proprietates formæ, ideo dicitur differentiam ſumi a forma: ſimiliter, quia perfectibile contrahibile, &c. vt ſic, dicunt potẽtiam, & perficere, & contrahere dicit actũ, quia genus eſt contrahibile per differentiam, & differentia cõtrahit genus, dicitur habere rationem potentiæ, differentiam vero rationem actus. Axioma ergo illud ita intelligendum eſt: genus ſumi ab eo quod habet rationem materiæ, potentiæ; & perfectibilis, differentiam vero a forma, *ſcilicet* ab eo, quod habet rationem actus, formæ, & perficientis.

QVAES-

QVÆSTIO V.

Utrum genus prædicetur de Specie, vt totum vel vt pars.

DIctum eſt in ſuperioribus genus prædicari de ſpecie, dictumq; etiam eſt, eſſe totum reſpectu illius, quatenus illam in cõfuſſo continet, & explicatum etiam quomodo ſit pars Metaphiſica, vnde iure iam dubitatur modo, an quando prædicatur de ſpecie vt totũ prædicetur vel, vt pars.

Et primo certum eſt, hic nos non loqui de ſecunda intentione generis, quę licet poſſit prædicari de ſuis ſecundis intentionibus inferioribus, nõ tamen poteſt de naturis materialiter, & vt quod, ſed tantum vt quo, quia eſt ratio prædicãdi, vt iam explicui. Loquimur ergo de prædicatione generis materialiter, & vt quod, quatenus animal V. g. de homine prædicatur, an inquam animal de illo prædicetur vt totum vel vt pars.

Pro cuius deciſsione quæſtionis aliqua ſunt claritatis cauſa præfanda. Et primo ſuppono duplex eſſe totum, quoddam actuale, quoddam autem potentiale, quod ab aliquibus dici ſolet vniuerſale. Totũ actuale dicitur illud quod actu ex multis partibus intrinſice, & eſſentialiter cõponitur, ſiue Phiſicis, vt homo ex materia & forma, ſiue integralibus & quantitatiuis, vt homo ex capite, & manibus, &c. ſiue Metaphiſicis tantum per intellectum, vt ſpecies in ſenſu dicto. Totũ potentiale illud dicitur, quod ad plura ſe extendit, a pluribus participatur, de pluribus prædicari poteſt, ac denique plura ſaltim in confuſſo continet: qua ratione omne vniuerſale eſt totum reſpectu ſuorum inferiorum, & ideo totum iſtud ab aliquibus vniuerſale appellatur.

Ex quo infero, & ſuppono ſecundo: animal V. g. ſi conſideretur reſpectu generis ſuperioris, & differentiæ conſtitutiuæ eius. V. g. reſpectu viuentis, & ſenſibilis, eſſe totũ actuale Metaphiſicum reſpectu horum, ſicut homo reſpectu animalis rationalis, totum inquã actuale, quia plus dicit quam quod libet eorum in ſuo con-

ceptu formali; ſi tamen animal comparetur ad ſpecies inferiores, ad hominem V.g. & equum, reſpectu earum totum dicitur potentiale, in quantū eſt illis ſuperius, illaſq; in confuſſo continet, vt ſic enim idē eſt animal, quod habens animalitatē, in habente autem animalitatem includuntur confuſſe tam homo quam equus. Eſt etiam pars actualis Metaphiſica, quatenus in ſuo conceptu formali, & præciſſo, & vt tantum dicit rationem ſentiendi, minus includit quam ſpecies. Poteſt etiam induere rationem partis potentialis, vt recte notauit Canterus, ſi in hoc ſenſu ſumatur, quod ſi cōſideretur animal ſecundū formalem & præciſſum conceptum, ſecundum quem componit ſpeciem, in illo priori ante quam componat, dicitur pars in potentia, ideſt non dum actu componens, ſi vero dicatur pars potentialis, ideſt in potentia, & in confuſſo totum cōtinens, ſic non pars, ſed totum potentiale dici debet, & in hoc ſenſu vltimo exiſtimo recentiores impugnare Canterum. Primus enim facilis, clarus, & concedendus eſt. Poteſt etiam dici (vt hoc omnino maneat explicatum) animal, totū poteſtatiuum, in quantum poteſtate continet differentiam, quod habet genus, ex eo quod eſt veluti potentia quam informat differentia, & a qua ipſa differentia dependet, quaſi in genere cauſæ materialis, vel ex eo quod ſuo modo cōtinet totam rei entitatem, a qua ſumitur etiam differentia, licet diuerſimode, hæc tamē acceptio non eſt proprie acceptio totius ſicut aliæ præcedentes, & reſpectu differētiarū poteſt dici pars Cōmetaphiſica, quia ſimul cū differentia, Metaphiſicè cōponit ſpeciē, vt dictū eſt.

In hac quæſtione ſunt qui aſſerunt genus prædicari de ſpecie vt partem Metaphiſicā: ſic Paulus Venetus cap. ſequēti ad finem, & citari ſolet Caietanus hic. Probant primo ex Ariſt. 1. Topicorum cap. 4. dicente, non ſolum definitionē verum etiam partes eius de re definita prædicari, ergo genus vt pars Metaphiſica ſpeciei & intrans definitionem poterit etiam de ſpecie prædicari. Secundo, genus vt genus prædicatur de ſpecie, vt conſtat ex definitione generis adducta, ſed genus, vt genus, intrat definitionem, ergo vt intrat prædicatur, ſed vt intrat eſt pars, ergo prædicatur vt pars. Primam minorem probo, quia definitio non componitur partibus vt cumque, ſed componitur ex vna

parte

Digitized by Google

parte per quam definitum cō uenit cum alijs, & ex altera per quam differt ab alijs, ſed pars per quam conuenit cum alijs eſt genus, ergo genus intrat definitionem, vt quid cōmune pluribus, ac proinde vt vniuerſale, & vt genus eſt. Tertio, natura animalis anteq; accedat differentia V.g. rationale, eſt pars potentialis ſeu in potentia, ſed in illo priori nō eſt propria hominis pars, ſed communis illi & alijs, ergo vt pars potentialis poteſt de illo & de alijs prædicari. Quarto, genus vt eſt pars, continet differentiam, eſt enim contrahibile per illam, & comparatur vt materia reſpectu illius: ergo ſicut materia continet formas, ſic genus continet differentiam, ſi ergo differentiam continet, & ſpecies, nihil aliud eſt quā genus & differentia, poterit de ſpecie prædicari.

Hæc tamen ſententia communiter reijcitur, quia ſi vere animal eſt pars, & pars minus continet quam totum, non poterit de illo prædicari: id enim quod prædicatur continere debet ſubiectum de quo prædicatur, pars autem vt pars, potius continetur quā contineat, igitur de toto prædicari non poteſt. Reſpondebis, hoc eſſe peculiare partis Metaphiſicæ, vt ſit pars, & de toto prædicetur, quod parti Phiſicæ non conuenit. Ratio autem diſparitatis ſumitur ex quæſtione præcedenti, quia tam genus quam differentia ſumitur a tota entitate rei, ſecundum diuerſam rationem contrahibilis, & contrahentis, vt ibi explicatum eſt: pars autem Phiſica non eſt tota entitas rei. Hęc ſolutio ſi ſenſum habeat ſpecificatiuū, ſolumq; velit quod illud quod eſt pars prædicatur, ſubſcribam facile, quia animal eſt pars, & illud prædicatur, ſi tamen ſenſum faciat reduplicatiuum, velitque partem vt pars Metaphiſica eſt, prædicari, ſic falſa eſt, quia ſemper pars minus continet quam totum, & vt ſic ſumitur ſecundum gradum præciſſum, & in eo quaſi ſiſtit ex ſe, qua ratione neque in confuſſo continet ſpeciem, neque præciſſum conceptum differentiæ, ac proinde prædicari non poteſt. Non ſufficit autem ſumi a tota entitate rei, ſi illa ratio contrahibilis ſecundū præciſſum conceptum animalitatis ſumatur, totum enim Metaphiſicum, non ſolum dicit totam entitatem rei, vt cumque, ſed illam vt compoſitam ex contrahibili & contrahente, vnde vtraque ratio adæquat, ſeorſum autē quęlibet in adęquata

Digitized by Google

eſt ratione partis. Loquimur enim de toto Metaphiſico, vt totum eſt.

Secundo, contra hanc ſententiam argumentor. Genus vt eſt pars Metaphiſica V.g. animal, ſumitur cum præciſsione ſuorum attributorum, abſque additione noui gradus & perfectionis, ſed ſpecies continet nouum illum gradum & perfectionem a qua præſcindit genus, ergo vt in illa præſciſsione ſiſtens non continet id, quod continet ſpecies, ergo non poteſt de illa prædicari, quia prædicatum debet cõtinere ſubiectum ſaltim in cõfuſſo: neq; enim ſufficit ad veram prædicationem, quod prędicatum includatur in ſubiecto, nam ſi hoc ſufficeret, quæli bet pars prædicaretur de toto, ergo requiritur quod contineat quicquid continet ſubiectum, ſi autem ſumeretur, vt in confuſſo continet ſpecies, iam non vt pars, ſed vt totum potentiale ſumeretur.

Tertio, vt ponitur in definitione, nõ debet dicere partes ſubiectiuas (ſpecies ſcilicet.) Patet, quia ſi vt ſic definitionẽ intraret, ſemper commiteretur nugatio, ſi enim cum definitur homo eſt animal rationale, ſub animali homo contineretur, definitum intraret definitionem, immo ſi ſpecies cõtinet; continet etiam rationale, & irrationale, quia ſi continet hominem & equum, non poteſt non continere rationale, & irrationale, intraret igitur in definitione hominis etiam irrationale, quod in animali, illo modo ſumpto, continetur.

Secunda ſententia affirmat, genus prædicari non vt partẽ actualem, ſed vt partem potentialem, hoc eſt non vt actu cõponens, ſed vt poteſt ſimul cũ differentia componere. Hanc probat Canterus cap. præſenti dubio tertio. Probatur autẽ duobus argumentis tertio & quarto pro præcedenti ſententia adductis. Sed hęc ſententia eiſdem etiam argumentis, quibus præcedens reijcitur, ſi enim pars eſt ſemper, vt ſic continet minus quam totum, nec pars potentialis dicitur, quia communis, in hac enim communitate, ſumpta, habet rationem totius, ſed quia poteſt coniungi eidem determinatæ differentię cui vt pars actualis eſt, actu coniuncta intelligitur. Adde modum quo genus vt pars continet differentias, ſimilem eſſe ei, quo materia continet formas, quod non ſufficit ad hoc vt prædicetur de illis, ſicut materia non prædicatur de formis, nec ratione modi quo eas includit,

poteſt

Digitized by Google

poteſt prædicari de toto compoſito Phiſico, ſic ergo nec genus de toto compoſito Metaphiſico.

Quare tertia ſententia cōmunis eſt, genus prædicari de ſpecie vt eſt quoddam totum potentiale, ſeu confuſſum, vtroq; enim hoc nomine appellari ſolet, & videtur expreſſa ſententia S. Tho. in 1. diſt. 15. & opuſ. de ente & eſſentia ca. 3. cuius verba ſunt. Si animal non eſſet totum quod eſt homo, non prædicaretur de eo, cum nulla pars prædicetur de ſuo toto, idem docuit Boecius lib. de diuiſsionibus fere in principio. Caietanus, etiā id expreſſe docet dicto capite de ente & eſſentia, Scotus, q. vnica huius capitis P. Suarez tomo. 1. ſuæ Meth. diſp. 15. ſect. 11. n. 16. & alij recentiores, qui pro eius confirmatione ſupponunt, genus vt totum potentiale abſtrahi ab ſpeciebus, abſtractione vniuerſali, qua abſtrahitur commune a particularibus, quatenus vero eſt pars ſpeciei non abſtrahitur abſtractione hac, ſed præciſsiua tantū, qua ſcilicet pars præſcinditur a toto vt brachium ab homine, Quo ſuppoſito, probant primo a ſufficienti enumeratione, quia non prædicatur vt totum actuale, ſic enim potius comparatur reſpectu ſuarum partium nempe ſuperioris generis & differentiæ componētis illum, quam reſpectu ſpecierum inferiorum, neq; prædicatur vt pars potentialis, aut actualis, neq; vt continet differentias ad modum materiæ, vt probatum eſt, relinquitur ergo vt ſolum prædicetur quatenus totum potentiale & confuſſum eſt. Secundo, vt vera ſit prædicatio, non ſufficit quod prædicatum includatur in ſubiecto, alias quælibet pars prædicaretur de toto, ergo requiritur quod cōtineat quicquid continet ſubiectum ſaltim in confūſſo, ſed hæc continentia ſpecierum inferiorum de quibus prædicatur genus, conuenit illi vt totum potētiale eſt: ergo hac ratione prædicatur.

Hæc ſunt quæ communiter ad huius quæſtionis deciſsionem docent authores. Fateor tamen meo iuditio, non ſatis, quid tenendum ſit explicari. Quod vt explicem, notandum eſt. Primo, naturam genericā V.g. animal etiam vt ponitur in definitione neceſſario debere ſumi a tota entitate rei, nō a materia tantum: quod probant aperte argumenta facta præcedenti quæſtione, Angeli enim definitionem habent & genus, non tamem materiam, & in definitione hominis loco huius particulæ *animal* poteſt

poni,

eſt ratione partis. Loquimur enim de toto Metaphiſico, vt totum eſt.

Secundo, contra hanc ſententiam argumentor. Genus vt eſt pars Metaphiſica V. g. animal, ſumitur cum præciſsione ſuorum attributorum, abſque additione noui gradus & perfectionis, ſed ſpecies continet nouum illum gradum & perfectionem a qua præſcindit genus, ergo vt in illa præſciſsione ſiſtens non continet id, quod continet ſpecies, ergo non poteſt de illa prædicari, quia prædicatum debet cõtinere ſubiectum ſaltim in cõfuſſo: neq; enim ſufficit ad veram prædicationem, quod prędicatum includatur in ſubiecto, nam ſi hoc ſufficeret, quælibet pars prædicaretur de toto, ergo requiritur quod contineat quicquid continet ſubiectum, ſi autem ſumeretur, vt in confuſſo continet ſpecies, iam non vt pars, ſed vt totum potentiale ſumeretur.

Tertio, vt ponitur in definitione, nõ debet dicere partes ſubiectiuas (ſpecies ſcilicet.) Patet, quia ſi vt ſic definitionẽ intraret, ſemper committeretur nugatio, ſi enim cum definitur homo eſt animal rationale, ſub animali homo contineretur, definitum intraret definitionem, immo ſi ſpecies cõtinet; continet etiam rationale, & irrationale, quia ſi continet hominem & equum, non poteſt non continere rationale, & irrationale, intraret igitur in definitione hominis etiam irrationale, quod in animali, illo modo ſumpto, continetur.

Secunda ſententia affirmat, genus prædicari non vt partẽ actualem, ſed vt partem potentialem, hoc eſt non vt actu cõponens, ſed vt poteſt ſimul cũ differentia componere. Hanc probat Canterus cap. præſenti dubio tertio. Probatur autẽ duobus argumentis tertio & quarto pro præcedenti ſententia adductis. Sed hęc ſententia eiſdem etiam argumentis, quibus præcedens reijcitur, ſi enim pars eſt ſemper, vt ſic continet minus quam totum, nec pars potentialis dicitur, quia communis, in hac enim communitate, ſumpta, habet rationem totius, ſed quia poteſt coniungi eidem determinatæ differentię cui vt pars actualis eſt, actu coniuncta intelligitur. Adde modum quo genus vt pars continet differentias, ſimilem eſſe ei, quo materia continet formas, quod non ſufficit ad hoc vt prædicetur de illis, ſicut materia non prædicatur de formis, nec ratione modi quo eas includit, poteſt

Digitized by Google

poteſt prædicari de toto compoſito Phiſico,ſic ergo nec genus de toto compoſito Metaphiſico.

Quare tertia ſententia cōmunis eſt,genus prædicari de ſpecie vt eſt quoddam totum potentiale,ſeu confuſſum,vtroq; enim hoc nomine appellari ſolet,& videtur expreſſa ſentētia S.Tho.in.1.diſt.15.& opuſ. de ente & eſſentia ca. 3. cuius verba ſunt.Si animal non eſſet totum quod eſt homo , non prædicaretur de eo,cum nulla pars prædicetur de ſuo toto, idem docuit Boecius lib. de diuiſsionibus fere in principio. Caietanus,etiā id expreſſe docet dicto capite de ente & eſſentia; Scotus, q. vnica huius capitis P. Suarez tomo.1. ſuæ Meth.diſp.15.ſect.11. n.16. & alij recentiores , qui pro eius confirmatione ſupponunt,genus vt totum potentiale abſtrahi ab ſpeciebus, abſtractione vniuerſali,qua abſtrahitur commune a particularibus, quatenus vero eſt pars ſpeciei non abſtrahitur abſtractione hac,ſed præciſsiua tantū,qua ſcilicet pars præſcinditur a toto vt brachium ab homine. Quo ſuppoſito , probant primo a ſufficienti enumeratione,quia non prædicatur vt totum actuale , ſic enim potius comparatur reſpectu ſuarum partium nempe ſuperioris generis & differentiæ componētis illum,quam reſpectu ſpecierum inferiorum,neq; prædicatur vt pars potentialis, aut actualis, neq; vt continet differentias ad modum materiæ,vt probatum eſt , relinquitur ergo vt ſolum prædicetur quatenus totum potentiale & confuſſum eſt.Secundo, vt vera ſit prædicatio , non ſufficit quod prædicatum includatur in ſubiecto,alias quælibet pars prædicaretur de toto,ergo requiritur quod cōtineat quicquid continet ſubiectum ſaltim in confuſſo,ſed hæc continentia ſpecierum inferiorum de quibus prædicatur genus, conuenit illi vt totum potētiale eſt: ergo hac ratione prædicatur.

Hæc ſunt quæ communiter ad huius quæſtionis decisſionem docent authores . Fateor tamen meo iuditio, non ſatis, quid tenendum ſit explicari. Quod vt explicem, notandum eſt. Primo,naturam genericā V.g. animal etiam vt ponitur in definitione neceſſario debere ſumi a tota entitate rei, nō a materia tantum: quod probant aperte argumenta facta præcedenti quæſtione, Angeli enim definitionem habent & genus,non tamen materiam, & in definitione hominis loco huius particulæ *animal* poteſt

poni,

poni, *viuens ſenſibile*, vereque dici, homo eſt viuens ſenſibile rationale. Eſſe autem viuẽs ſenſibile non ſumitur in homine a materia ſolum, ſed præcipue a forma, quæ dat compoſito viuere, & ſentire, explicatur igitur neceſſario tota entitas rei in altera parte definitionis, etiam vt in definitione eſt: ex quo fit vt reſpectu partis Metaphiſicæ impoſsibilis ſit abſtractio illa quam appellant recentiores præciſsiuã, ita vt ſit veluti ſeparatio partis Phiſicæ, aut integrantis a toto, brachij V. g. ab homine, brachium enim nullo modo dicit totam entitatẽ rei, pars autem Metaphiſica a tota illa ſumi debet, vt dictum eſt. Quinimmo, quod communiter dicitur ſumi a tota entitate rei, vt contrahibili, & perfectibili, proprie conuenit generi, vt eſt in definitione, habens rationẽ materiæ quam ſignificat contrahibile, quia vt totum eſt, & continet ſub ſe inferiora, potius habet rationem prædicati, & formæ reſpectu eorum.

Notandum ſecundo eſt, nomen concretũ ſignificare ſemper per modum totius, adeo vt ſi pars Phiſica in concreto ſumatur per modũ totius, ſignificetur prædiceturq; vere de toto cõpoſito, vt cum dicimus homo eſt materialis, homo eſt animatus. Quod vero concreta ſignificent per modum per ſe ſtãtis & nomine ſubſtantiuo, nõ tollit ſignificare per modũ totius, potius modus ille per ſe ſtantis, & ſubſtantiuus, totũ ſubſtantiale refert, cuius proprium eſt perſe eſſe, non vero partem, cuius proprium eſt eſſe in alio, aut alteri adiacere, animal ergo in cõcreto, & ſignificat totam entitatem rei, & illam quaſi per ſe. Vnde recte ſignificat habens animalitatem, ly enim *habens*, perſeitatem ſonat, quam poſtulat ſignificatio concreti ſubſtantiui. Hinc in materia de Incarnatione dicimus, quod etiam ſi verbũ vniret ſibi duas humanitates, nõ diceretur in concreto duo homines, quia nõ eſſent duo habentes humanitatẽ, ſed vnum tantũ ſuppoſitũ duas habẽs humanitates.

Tertio notãdum eſt, per accidens eſſe ad veram prædicationem rationis abſtractæ reſpectu inferioris, quod abſtrahatur a pluribus, aut ad illa comparetur, ſufficit enim rationem illam ſine ſingularitate conſideratam vere reperiri in inferiori, ſiue reperiatur in alijs ſiue non, conſtat enim hominem eſſe animal, etiam ſi non eſſet poſsibilis equus, aut alia ſpecies animalis, & de

Digitized by Google

de facto, id reperitur in natura Angelica, V. g. Michaelis, quæ prædicatur de illo, & tamen non eſt communicabilis alteri Angelo.

His ſuppoſitis dico primo, vt animal prædicetur de homine, per accidens eſt quod ſit totum vel ſit pars, per ſe autem quod ſignificet totam hominis entitatem, ſaltim ſub illo cōceptu communiori, probatur, quia hoc ſolum in rigore poſtulat copula *eſt* in propoſitione affirmatiua, cum dicimus homo eſt animal, & vt dicebamus tertio notabili etiam ſi hæc ratio animalis ſolum reperiretur in homine, nec in alijs eſſe poſſet, eſſet vera prædicatio. Tunc tamen non haberet rationem totius potentialis aut vniuerſalis, vt dicemus de natura Angelica capite ſequenti, ergo ratio totius non eſt ratio per ſe prædicandi, quod vero eſſe partem non ſit ratio per ſe, vt prædicetur, ſufficienter probant adducta pro prima ſententia, & omnino apertum eſt. Ratio enim partis potius obſtat, quam conducat ad prædicationem de toto.

Dico ſecundo, eſſe partem aut eſſe totum, ſicut nec per ſe requiruntur ad prædicationem, ſic nec illam impediunt, poteſtque optime genus prædicari vt pars, & vt totum. Cōſtat aperte ex primo & ſecundo notabili, quia etiam vt pars continet totam entitatem rei, & ſignificat illam in concreto, poteſt ergo prædicari de toto habente illam, recteque dici, homo eſt animal, quia animal etiam vt in definitione, ſignificat habens animalitatem, & hoc eſt peculiare partis Metaphiſicæ, quia etiam vt pars ſumitur a tota entitate rei, & illam in concreto ſignificat.

Dico tertio, compoſitio Metaphiſica, ſolum ſumitur ſecundum conceptus expreſſos, ac proinde, hæc compoſitio ſolum reperitur in definitione, non in ſpecie, ſi proprie loquendum eſt. Probatur, quia ſecundum conceptum confuſum, quælibet pars includit totam entitatem; ergo includit totam vnitatem: ergo excludit diſtinctionem, idem enim ſecundum ſe totum, ſibi toti comparato non poteſt diſtingui, diſtinctione ſaltim rationis ratiocinatæ, ſolum ergo ſtare poteſt diſtinctio in conceptibus expreſſis, quatenus animal dicit totam entitatem hominis ſub cōceptu expreſſo animalis tā tum, rationale vero, eādē totā entitatē ſub cōceptu expreſſo rationalitatis, ſed hęc expreſſio con-

conceptum diſtinctorum non eſt in homine vt ſic, ſed ſolum in definitione, in qua exprimitur animal rationale ſolum, ergo in definitione eſt compoſitio, & genus non recte dicitur pars reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu definitionis. Quod etiam probo, quia ratio partis poſtulat neceſſario compartem, ſed ratio compartis Metaphiſicæ ſolum eſt in definitione, in qua eſt expreſsio vtriuſque partis, in ſpecie enim non eſt illa diſtinctio, niſi tantum fundamentaliter, & virtute, ergo non recte dicitur genus pars reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu definitionis, reſpectu cuius verum eſt non poſſe prædicari partem, quia conceptus expreſſus animalis tantũ, non eſt conceptus expreſſus animalis & rationalis ſimul. Quod ſi vellis de homine, quatenus homo dicit animal rationale, nec in expræſsione ad vnum tantum gradum limitatur, non poſſe prædicari animal ſecundum hanc expręſsionem tantum, ita vt ſenſus ſit, homo tantum eſt conceptus expręſſus animalis, non multũ immorabor, in quo ſenſu concedam genus non prædicari de ſpecie vt eſt pars. Poſſet etiã dici non prædicari vt pars iuxta ſenſum huius tertiæ concluſionis, quia compoſitio Metaphiſica ſolum eſt reſpectu definitionis vt definitio. non vero reſpectu ſpeciei vt ſic. Argumẽta adducta pro alijs ſententijs nihil contra nos, quia vel nihil probant, vel ſi aliquid, neceſſario oſtendunt aliquam ex his concluſionibus, vt ex earum doctrina ex adductis notabilibus conſtare poteſt, per quæ facile, ſi aliquo modo ſe ſe nobis opponant corruent & ſoluentur. Sanct. autem Thomas recte dixit, ſi animal non eſſet totum quod eſt homo, non autem ſi non eſſet totum hominis. Prædicatum enim oportet quod ſit totũ quod eſt ſubiectum, non vero quod ſit neceſſario totum, & ſubiectum pars, vt conſtat in hac prædicatione homo eſt riſibilis.

CA-

Digitized by Google

CAPVT. III.

De Specie ſecundo Prædicabili.

POſtquam Porphirius diſputauit de Genere, agit ſtatim de ſpecie, recto quidem ordine, tum quia ſpecies, ſaltim vt ſubijcibilis, correlatiua eſt generi, tũ quia eſt illi in prædicatione ſimilis, prædicatur enim in quid, correlatiua vero, vel quæ valde ſimilia ſunt, tractanda ſunt ſimul, quia vnius cognitio, multum iuuat ad cognitionem alterius. Adde etiam, quod ſemel de ſpecie ſubijcibili inſtituto ſermone, oportuit ad tollendam æquiuocationem, vtrãq; illius rationẽ ſubijcibilis & prædicabilis explicare. Item in linea prædicamentali, quam hoc loco ſaltim ſubſtantiæ delineat Porphirius, ſpecies ſub genere immediate & recto ordine continetur, non vero differentia, niſi ad latus, vt videbimus, licet autem etiã differentia ad genus referatur, quatenus iſtud eſt contrahibile, contrahens illa, tamen potiſsimum hic agitur de genere, vt eſt vniuerſale & prædicabile, ſecundum quam conſiderationem correlatiuũ eius ſolum eſt ſpecies. Cuius capitis eſt.


SVMMA TEXTVS.

SPecies (inquit Porphirius) primo ſumitur pro pulchritudine, qua ratione, præſtantiſsima forma, ideſt ſpecioſa, digna dicitur imperio. Secundo ſumitur Logicè, & ſic ſpecies dicitur id quod ſub aſſignato genere ponitur, ideſt ſub certo genere, aut ſub illo, paulo antea a nobis definito, qua ratione homo ſpecies dicitur animalis. Explicatur autẽ, ſeu definitur ſpecies per genus, quia relata ſunt, definiturq; ſpecies iſta hoc ſecundo modo ſumpta ſic. Species eſt, quæ ponitur ſub genere & de qua genus in eo quod quid prædicatur. Definitur ſecundo. Species eſt quæ de pluribus differentibus numero prædicatur in quid, vt homo de Petro & Paulo,

Paulo qui tantum numero ſeu indiuidualiter differunt, quarum prima definitio cuilibet ſpeciei etiam ſubalternæ, quæ quandoque genus eſt, conuenit: ſecunda vero infimæ, athomæ, ſeu ſpecialiſsimæ tantum, vt autem intelligatur quid ſit ſpecies ſubalterna, quid infima, prędicamentum deſcribit Porphirius, in vno quoque inquiens prædicamento tria ſunt, ſcilicet genus generaliſsimum, illud ſcilicet ſupra quod non eſt aliud genus, eſtque illud ſuperalia. Species ſpecialiſſima ſeu infima, infra quã non eſt alia inferior ſpecies, ſed tãtũ aliqua indiuidua: inter hæc autem extrema, ſunt alia intermedia genera, ſic dicta intermedia, quia horum extremorum rationem participãt, poſſunt enim & genera dici & ſpecies, ſpecies quidem ſi ad ſuperiora quibus ſubijciuntur, cõparentur, genera vero ſi reſpectu inferiorum ſpecierum ſumantur, & ita genera, aut ſpecies ſubalternæ dicuntur, quia alternatim, nunc genera ſunt, nunc ſpecies, vt in hac figura conſtare poteſt.

* *
*

Digitized by Google



Digitized by Google

GEneraliſsimum ergo, vt ex his conſtat, tantum dicit vnam habitudinem, ad inferiora ſcilicet, quorum genus eſt, neq; enim habet aliquod genus ſupremum, ſpecies infima licet habitudinem dicat ad inferiora & ad ſuperiora, ſemper eſt & dicitur ſpecies, quamuis reſpectu ſuperiorum ſubijcibilis, reſpectu vero inferiorum prædicabilis nominetur, ſpecies autem ſubalternæ, ſeu intermedia genera, alterũ ordinem dicunt ad ſuperiora a quo dicuntur ſpecies, alterum ad inferiora a quo nominãtur genera, quia autem ſpeciem infimam per prædicari de indiuiduis diffinierat, definit, & indiuiduum dicens. Primo, indiuiduum eſt, quod de vno ſolo prædicatur. Secundo, indiuiduum eſt cuius proprietatum collectio numquã in alio reperitur.

ANNOTATIONES in Textum.

MVltas alias ſpeciei acceptiones fecit ommiſſas Porphirius, ommiſsit enim eam, quæ apud Philoſophos eſt vſitata, qua ſpecies pro formis & ſimilitudinibus quibuſdam rerum, in potẽtijs cognoſcitiuis ſumitur, quæ ſpecies ſenſibiles & intelligibiles appellantur, de quibus in libris de anima. Nec fecit mentionem acceptionis illius, qua ſpecies apud Iuris conſultos pro aliquo indiuiduo facto ſumi ſolet, & ita dicunt ſpeciem illius facti, ideſt factum illud indiuiduum Petri aut Ioãnis. Silentio etiam inuoluit eã qua apud grammaticos ſpecies originem vnius vocis ab alia ſignificat. Vnde quædam nomina primitiuæ, quædam deriuatiuæ ſpeciei dicuntur, nec meminit illius quæ apud Rethores & Poętas pro diſpoſitione affectus & ſpeciei ſumitur, & ſic dicimus aliquem eſſe ſpecie triſtem, alium hilarem, alium grauem, alium denique modeſtum: mentionem tantũ faciens de illa, qua ſpecies forma dicitur aut pulchritudo. Vnde pulchri homines ſpecioſi dicuntur, & Chriſtus Dominus ſpecioſus forma præ filijs hominum, fortaſis quia illa ſpeciei acceptio notior erat, quia magis vulgaris & communis. Secundo, & melius, quia cum pulchritudine ſpecies Logica ſimi-

ſimilitudinem habet non nullam, nā ſicut pulchritudo eſt qualitas quædam ex debita membrorum ſeu partium cōpoſitione reſultans; ſic ſpecies Logica ex debita generis & differentiæ compoſitione reſultat. Adde, quod ſicut pulchritudo, ſubiectum in quo eſt pulchrum redit & ſpecioſum, ſic ſpecies Logica indiuidua in quibus eius eſſentia recipitur, pulchra quodammodo redit, cum det illis eſſentiam, quæ optime rei pulchritudo dici poteſt, redit etiam pulchrum genus ſaltim per differentiam (ſi ita loqui licet) eſt enim differentia vt vidimus, quaſi perficiens, genus autem perfectibile.

Sed contra definitiones ſpeciei a Porphirio adductas, dubitatur a Doctoribus, an totum illud ſpecies eſt quæ ſub genere ponitur, & de qua genus in eo quod quid prædicatur, ſit vna tantum vel plures definitiones, Magiſter enim Sotus Tolet. & Villalp. ſequti Auicenam vnam tantum eſſe putant, Antonius autem Boecius, Albertus, Caietanus, Canterus, & Oña, volunt eſſe duas, ita vt ſpecies eſt, *quæ ſub genere ponitur.* Primam & integram eſſe exiſtiment definitionem, id vero, quod ſequitur *de qua genus in eo quod quid prædicatur.* Secundam & integram etiam ab alia aliquomodo diuerſam & licet hoc vel illo loquamur parum ad rem (vt credo) attinet. Probabilius tamen iudico hoc vltimum, & Porphirij menti conformius, ipſe enim poſitis illis deſcriptionibus, ſubdit vltimam definitionem, ſolum vltimæ ſpeciei conuenire, alias vero (nota in numero plurali) conuenire etiam ſubalternæ, ſentit ergo eſſe alias præter vltimam qua ſpecies per prædicari de pluribus differentibus numero definitur, aliæ autem adminus debent eſſe duæ, quod ex dicendis infra patebit magis.

Circa illud quod dixit Porphirius, ſpeciei vltimæ vnicā tantum eſſe habitudinem, intelligendus eſt ſecūdum appellationē, aut denominationē ab vtraq; enim appellatur ſpecies, nō vero ſi de re ipſa loquamur, certū enim eſt habitudinē ſpeciei infimæ ad ſuperiora, eſſe diuerſā ab habitudine eiuſdē in ordine ad inferiora, ad genus enim habitudine inferioris ad ſuperius refertur, ad indiuidua autē habitudine ſuperioris ad inferiora. Notādū erraſſe Porphiriū, dum in hoc capite animal rationale pro genere hominis poſuit, exiſtimās Angelos & cęlos animalia

M ra-

rationalia,ſed deceptus eſt tur piter,Angeli enim aut cœli animalia minime ſunt.

Tandem,circa illud quod dixit indiuidua eſſe infinita, ſpecies vero in numero,aduertendum eſt illum non loqui de infinito in rigore,neque enim poteſt dari infinita multitudo in actu,ſed tãtum ideo hoc dixit, quia ſic excedunt indiuidua ſpeciē, vt ſæpe ſub vna tantum ſpecie innumera indiuidua ſint,& ideo infinita dicuntur cōmuni loquendo modo, quo in cæteris rebus ea quæ innumera ſunt,infinita appellare ſolemus,& ſpecies videntur eſſe in numeræ reſpectu indiuiduorū, quia exceſſus, quo multitudo indiuiduorum multitudinem ſuperat ſpecierum,id aſſerendi tribuit facultatem.

DISPVTATIO VII.

DE SPECIE.

SPecies quæ media eſt inter genus & indiuidua, quatuor poteſt habere reſpectus, vnus eſt, vt vniuerſale quid eſt ad indiuidua,in quibus eſt eſſentialiter, alius qui oritur ex iſto, vt prædicabile quid eſt reſpectu eorundem vt ſibi ſubijcibilium in prædicatione. Tertius,eſt inferioris ad genus vt vniuerſale eſt,vtq; in illa reperitur eſſentialiter. Quartus,deniq; ex hoc prouenìens,quem habet ſpecies, vt ſubijcibilis ad genus vt prædicabile,duos ergo reſpectus vltimos in priori huius diſputationis parte explicabimus, duos autem primos in poſteriori,ſecundum quos ſpecies eſt correlata generi & illam denominat ſubijcibilem.

QVAES-

QVÆSTIO I.

Quid ſit ſpecies ſubijcibilis: & vtrum recte à Porphirio definita, vbi quædam dubia examinantur.

OMnes fere antiqui Philoſophi ſpeciem, vt ſubijcibilem per habitudinem ad genus vt ad ſuperius definiuere, Stoici enim vt Author eſt Laertius in Zenone lib. 7. de vitis, eijſdem fere verbis explicarũt naturam quibus Porphirius; dicebãt enim ſpecies eſt, quæ ſub genere continetur, ſicuti ſub animalis ratione continetur homo, quæ definitio ſi per illam particulam ſub animalis nomine denotet, prædicationem tantum eſſe nominum, nõ rerum, eſt falſa, vt contra nominales ſupra dixi: ſin autem recta. D. Damaſ. in ſua Dialectica cap. 2. ſpecies inquit dicitur, quod ordinatur ſub genere, ideſt quod ex genere diuiditur, quod intellige ſic, ex genere per differẽtias diuiſſo componitur, ſeu reſultat. Martianus Capella lib. 4. artium liberalium cap. de forma, formæ ſunt inquit, ideſt ſpecies quæ ſubditæ generi tenent definitionem & nomen, ideſt in quibus generis reperitur definitio, ſcilicet in homine quod ſit viuens ſenſibile, & nomen etiam animalis, quia homo animal dicitur rationale. Cicero deniq; in Topicis ad Trebatiũ, formæ ſunt in quas genus ſine illius prætermiſsione, ideſt corruptione, aut anihilatione diuiditur. Duas autem præter has ſpecies ſubijcibilis (vt dixi ſupra) adduxit Porphirius definitiones, illis verbis, ſpecies eſt quę ſub genere ponitur, vbi brebiter quicquid alię definitiones longius explicarunt, hæc declarauit, & illis etiam verbis, & de qua genus in quid prædicatur. Prima explicuit habitudinem ſpeciei ad genus vt vniuerſale eſt. Secunda ſpeciei ad idem vt prædicabile.

Sed has Porphirij definitiones, difficiles redũt duo argumenta præcipua. Primum eſt. Hæc definitio conuenit indiuiduis quia ſub genere ponuntur, & de illis genus in eo

quod quid prædicatur, cum hæc ſit eſſentialis prædicatio, Petrus eſt animal, at indiuidua non ſunt ſpecies ſubijcibiles, ergo hæc definitio alijs a definito conuenit.

Huic argumento variæ ſolent adhiberi ſolutiones. Louanienſes enim reſpondent in definitione tradita ſubaudiendam eſſe vocem hanc *vniuerſale*, ita vt dicamus ſpecies eſt vniuerſale quod ſubijcitur generi, &c. Quod ſi huic obijcias ſolutioni, quod ſpecies vt ſubijcibilis non eſt vniuerſalis, ac proinde neque vt ponitur ſub genere. Reſponderi poſſet optime, quod licet forliter & reduplicatiue vt ſubijcibilis ſpecies vniuerſalis non ſit, materialiter tamen & ſpecificatiue eſt vniuerſalis, vnde de hoc vniuerſali debet intelligi particula illa ſubaudita, indiuidua autem nullo modo iſtorum vniuerſalia ſunt.

Adhuc autem hæc ſolutio mihi non placet, quia naturæ numero immultiplicabiles, vt ſunt naturæ Angelicæ in ſententia Sanct. Thomæ, ſunt ex omnium ore ſpecies ſubijcibiles, & tamen non ſunt illo modo etiam materialiter vniuerſales, vt probabo infra, ergo poteſt ſpecies aliqua ſubijcibilis dari, quæ tamē nec materialiter ſit vniuerſalis.

Et quidem ſi de vniuerſali Metaphiſico, natura ſcilicet, a ſingularibus abſtracta, aut ſecundum ſe, & abſque ſingularitate conſiderata intelligeretur Louanienſium ſolutio, eſſet optima, ita vt ſenſus definitionis ſit, ſpecies eſt natura abſtracta ab omni ſingularitate, quæ ſub genere ponitur, poteſt enim accidens in concreto per proximum ſubiectum definiri, aut per fundamētū ſubijcibilitatis ſpecificę, quod eſt natura abſtracta a ſingularitate.

Secundo, reſpondent etiam bene Toletus & Caietanus, quod licet indiuiduum, & ſpecies collocentur ſub aſsignato genere, diuerſimode tamen, nam ſpecies, ita conſtituitur ſub illo, vt per hoc conſtituatur genus in ratione generis (de ratione enim generis eſt continere plures ſpecies) at vero indiuiduū quamuis collocetur ſub genere non tamē per hoc conſtituitur genus in ratione generis, quia non habet quod ſit genus per ordinem ad indiuidua. Sed hæc ſolutio licet vera ſit, videtur aliquomodo petere principium, huius enim eſt quod quærimus rationem, quare genus in ordine ad indiuidua genus non ſit, & prædicatio illa Petrus eſt animal, non ſit gene-

generis,cum in illa Petrus ſub animali collocetur, & animal de eo prædicetur in quid.

Solutio ergo communis quæ huic adhiberi ſolet obiectioni,eſt,ſubaudiendam eſſe in illis definitionibus particulam immediate,indiuiduo autem ſub genere immediate poni conuenit minime, ſed adhuc hæc ſolutio quæ vera eſt, non caret difficultate, quia individua generis,videlicet hoc animal, immediate ponitur ſub genere,animali ſcilicet,ſicut hic homo ſub homine.Reſpondetur tamen,nulla eſſe immediata generi,licet quæ ſub illo immediate ponantur, nã ſicut indiuidua non participant genus niſi media ſpecie, ita genus non poteſt affici differentia aliqua indiuiduali,niſi media aliqua ſpecifica, vnde priusquam animal ſit hoc animal,eſt rationale, vel irrationale.

Sed contra adhuc vrgeo: compoſitio generis cum differentia ſpecifica vel numerica eſt compoſitio rationis & per intellectum,vt dictum eſt.Poteſt ergo per intellectum natura animalis conſiderari præciſſe cum differentia numerica,ſiue gradus animalitatis tãtum,vt eſt ſingularis, & hic, ſiue vnꝰ numero.Reſpõdetur. Quod in eo caſu,genus prædicaretur prædicatione ſpeciei, non generis,teſtibus Louanienſibus,Paulo Veneto, & Oña. Ratio eſt, quia hoc animal vt ſic acceptum,non includeret animalitatem vt partem materialem eſſentiæ, ſed vt totã, & integram eſſentiam, cum præter illam nihil aliud includat quam differentiam indiuidualem,quæ vt poſtea dicam, non cenſetur pars eſſentiæ,ſaluatur enim optime eſſentia ſine illa, vnde ſpecies quæ ſub genere ponitur,ſub genere,vt genus eſt conſtituitur,non vero vt ſpecies.

Sed vrgebis: ergo genus generaliſsimum poteſt reſpectu horum indiuiduorum huius ſcilicet,aut illius ſubſtantiæ,induere rationem ſpeciei, ſed ſpecies ſupra ſe continet aliud genus, ergo generaliſsimum non poteſt habere rationem ſpeciei;poterit ergo,& nõ poterit,quod implicat.Reſpõdetur,poſſe habere rationem ſpeciei,de ratione tamẽ ſpeciei, quæ de his indiuiduis genericis per intellectum abſtractis prædicatur, non eſt quod habeat ſupra ſe aliud genus, ſed hoc tãtũ eſt propriũ illius,quę de indiuiduis & ſingularibus proprijſsimis vt a parte rei ſũt Petro. V.g.& Paulo,prædicatur,ex quo poſſet etiã alio modo ſolui,ſcilicet ſpeciẽ eſſe quę

immediate, connaturaliter & ſecundum id quod res exſe poſtulant, ſubijcitur generi. Hæc autem indiuidua ſi immediate ſubijciuntur, non eſt connaturaliter & ſecundum id quod indiuiduis debetur, ſed per intellectum, vt ſic dicam, indiuiduãtem immediate naturam genericã, quæ vere cõnaturaliter prius per ſpeciẽ ad indiuiduationẽ debebat deſcẽdere.

Aliud quod contra has definitiones obijci poſſet, eſt, relatiua non debere definiri vnũ per aliud, videtur enim cõmitti circulus, qui vicioſus eſt. Sed de hoc dicendũ eſt late in capite de Relatione, ibi, ne eadem repetamus hoc explicabimus. Hic tamẽ ſupponamus vere ſpeciẽ ſubijcibilem & Genus eſſe relatiua, ſic ſentiunt communiter omnes, & probatur primo. Tota vis & natura ſpeciei ſubijcibilis eſt referri ad genus, & tota generis ad ſpeciem, ſed ea quorum totũ ſuum eſſe eſt ad aliud, relata ſunt, ergo genus & ſpecies ſunt relata. Sicut enim pater dicitur filij pater, & e cõtra, ſic genus dicitur ſpeciei genus, & e contra. Secundo. Vniuerſale formaliter eſt relatiuum ad inferiora ſubiecta ſibi, (eſt enim vniuerſalitas relatio rationis) ſed genus eſt vniuerſale, & inferiora generi ſunt ſpecies, ergo. Tertio. Subiectum & prædicatum ſunt relata, natura enim ſubiecti vt ſic, eſt reſpicere prædicatum tanquam id quod de illo dicitur, prædicatum ſimiliter ſubiectum reſpicit, tanquam id de quo dicitur, ſpecies ergo ſubijcibilis vt ſubiecta generi, erit relata illi vt vniuerſali, aut prędicabili.

Neq; obſtat 1. Ariſt. 5. Meth. dicens, vnum & idem relatum non poſſe bis referri, ſed ſpecies refertur ad indiuidua ſemel, ſunt enim eius inferiora; ergo non iterum ad genus. Reſpondetur, vnum & idem relatum non poteſt eadem relatione ad terminos diſtinctos referri, poteſt vero duabus relationibus, quod recte expreſſit Philoſophus dicens, non poſſe *bis* referri, quia *bis* non ſignificat duplicem relationem, ſed eandem quaſi repetitam, ſpecies autem non refertur eadem relatione ad genus, & indiuidua, ſed duabus.

Neq; obſtat ſecundo, quod terminus in quem fertur relatum, non prędicatur de illo in recto, ſed in obliquo, neque enim dicimus, pater eſt filius, aut e contra, ſed pater eſt filij pater, ſed animal V. g. quod eſt genus, prædicatur de homine in recto, qui eſt ſpecies, ergo non ſunt relata. Reſpondetur enim, nos hic non loqui de natura

Digitized by Google

tara generica, aut ſpecifica materialiter, nec de notione generis aut ſpeciei in abſtracto, ſed de notionibus iſtis in concreto; ſed primo modo verum eſt prædicari in recto, quia vt ſic, non ſunt relata, ſed abſoluta. Secundo etiam modo, non dicuntur proprie relata, ſed relationes, ſicut paternitas, & filiatio, in tertia autem acceptione in qua relata ſunt, falſum eſt vnum de alio in recto dici, neque enim verum eſt ſpeciem eſſe genus aut e contra, ſed genus eſſe ſpeciei genus & e contra, vt in patre & filio ſimiliter.

Per quod ſoluitur etiam aliud argumentum quod communiter adducitur, quia animal eſt prius homine ſaltim natura, cum prius ſit aliquem eſſe animal quam hominē, relata autem debent eſſe ſimul natura, hoc enim argumentū, ſi de natura animalis loquatur, verum eſt, ſi vero de ſecundis notionibus generis & ſpeciei ſubijcibilis, falſum omnino (vtraq; enim reſultat ex eadem comparatione) quod animal in quantū genus, ſit prius ſpecie ſubijcibili, ſicut pater, in quantum pater, nō eſt prior filio, licet abſolute ſubſtantia patris prior ſit.

Dubiū aliud poteſt eſſe in preſenti, an ſubijcibilitas ſit eiuſdē rationis in ſpecie infima & ſubalterna, ratio dubitādi eſſe poteſt, quia prædicabilitas vtriuſq; huius ſpeciei, eſt diuerſæ rationis, ergo & ſubijcibilitas. Cōſequentia videtur optima, antecedēs probatur, quia ſpecies ſubalterna, ſeu genus intermediū, prędicatur vt gen9, ſpecies autē infima vt ſpecies, ſed prædicabilitas generis & ſpeciei ſūt diuerſæ, ergo & ſubijcibilitas. Dico tamē eiuſdē eſſe rationis vtrāq; hāc ſubijcibilitatē. Primo, quia eiuſdē etiā rationis eſt, ratio generis in ſupremo, quod prædicatur de ſpecie infima, ergo ratio ſpeciei ſubijcibilis eadē erit in ſpecie infima & ſubalterna, cōſequētia patet, quia ſubijcibilitas ſpeciei, reſpicit genus, & eſſentialiter dicitur ad illud, ſi ergo vniuerſalitas generis eſt eiuſdē rationis in oīni genere tā ſupremo, quāmedio, ſubijcibilitas etiā in oīni ſpecie infima & media eiuſdē rationis erit. Explicat hoc, & cōfirmat magis. Genus intermediū & ſupremū eodē modo inferiora cōtinēt, ſcilicet in cōfuſſo, & vt totū potētiale, ergo eodē modo de illis prędicāt, ergo ſpecies eodē modo illis ſubijciūtur, ergo. Rurſus, ſicut propter illud eadē eſt vtriuſq; generis prædicabilitas, ita propter hoc eiuſdem rationis erit vtriuſq;

 ſpe-

ſpeciei ſubijcibilitas. Fateor tamen, quod ſicut genus ſupremum, ratione naturæ denominatæ quæ ſub ſe plura continet inferiora, dicitur magis vniuerſale quam intermediū, ita ſpecies infima ratione naturæ denominatæ, quæ plura habet ſupra genera, magis ſubijcibilis dicitur, quam ſubalterna, quæ paucioribus ſubijcitur.

Ad rationem dubitandi Reſpondetur, quod ſubijcibilitas non ſumitur in ordine ad prædicabilitatem, quam aliàs habet res, quæ eſt ſubijcibilis reſpectu inferiorū, hæc enim per accidens ſe habet ad ſubijcibilitatem vt ſic, ſed in ordine ad prædicabilitatem eius, cui ſubijcitur, vnde cum vniuerſalitas, & prędicabilitas generis, cui vtraq; ſpecies ſubijcitur, eiuſdē rationis ſit, ſubijcibilitas vtriuſq; ſpeciei, quæ reſpectu illius prædicabilitatis eſt attēdenda, eiuſdem haud dubie rationis erit.

Ex hac ſolutione aliud oritur dubium in hac quæſtione. An ſcilicet ſubijcibilitas ſpeciei & indiuidui, eiuſdem, an vero diuerſę rationis ſit. Quod enim non ſit eiuſdem rationis, ex dictis tota hac quæſtione, colligi poteſt, ſi enim diximus nunc, ideò ſubijcibilitatē ſpeciei infimæ, & ſubalternę eiuſdē eſſe rationis, quia prædicabilitas generis reſpectu vtriuſq; eiuſdē etiam rationis eſt, & antea dixeramus reſpectu indiuidui generici quale eſt hoc animal, genus non prædicari vt genus, ſed vt ſpecies, reſpectu autem ſpeciei ſemper vt genus, ſit plane ex his præmiſſis diuerſam eſſe rationem ſubijcibilitatis ſpeciei & indiuidui.

In contrarium autem videtur eſſe: quia genus reſpectu ſpeciei & indiuiduorum eius V.g. Petri aut Pauli, prædicatione generis prædicatur tantum, quia per hoc, quod eſt, mediate, aut immediate prædicari, differt, quæ differentia accidentalis eſt, præcipue cum genus eo ipſo, quod ſpeciem in confuſo continet, continere etiam debeat indiuidua, & eo ipſo, quod in eſſentia ſpeciei, in eſſentia indiuiduorum debeat eodem modo includi, indiuidua enim eſſentiam participāt ſpeciei, quod ſi ex his oritur prædicabilitas, orietur quidē prædicabilitas eiuſdem rationis eſsētialis, ac proinde ſubijcibilitas etiam eiuſdem rationis erit.

Dicēdū ergo eſt, quod ſi loquamur de indiuiduo generis de hoc animali. V. g. in ſenſu ſupra explicato, diuerſæ rationis eſt illi9 ſubijcibilitas a ſubijcilibitate ſpeciei, vt probat opti-

optime argumẽtũ primũ. Si vero tãtũ de alijs indiuiduis ſpeciei ſermo ſit, tãtũ accidẽtaliter differt eorũ ſubijcibilitas a ſubijcibilitate ſpeciei vt probat optime argumẽtũ ſecũdũ.

QVÆSTIO II.

An ſpecies vt ſubijcibilis, Generi ſit vniuerſalis, & prædicabilis, & vna ratio ſit paſſio alterius.

SEnſus eſt, vtrum ſpecies cõſtituatur in eſſe vniuerſalis per habitudinem ad ſuperiora, ſiue vt illis ſubijcitur. In qua quæſt. Tolet. in hoc capite, quæſt. 1. (Tribuiturq; Auicenæ in ſua Logica cap. de ſpecie) aperte docet, de ratione & eſſentia ſpeciei ſubijcibilis eſſe, quod ſit vniuerſalis. Quæ ſententia poteſt probari. Primo, vniuerſale eſt genus ad quinq; prædicabilia, ſicut animal ad hominem & Leonem; ergo quodlibet prædicabile reſpicit illud tanquam proprium genus, cuius rationem participant; ſed ſpecies reſpectu generis habent rationem ſubijcibilis; ergo prædicabilia vt ſpecies ſubijcibiles, participant rationem vniuerſalis, erit ergo hoc ſecundum prædicabile ſpeciei, vniuerſale, vt vniuerſali in communi ſubijcitur. Secũdo, genus immediate refertur ad ſpeciẽ ſubijcibilẽ, ſed id, ad quod genus immediate refertur, nõ eſt ſingulare: ergo eſt vniuerſale. Tertio, relata debẽt eſſe ſub eodẽ genere, ſed genus & ſpecies ſubijcibilis ſunt relata, ergo ſicut genꝰ cõtinetur tãquã ſub genere ſub vniuerſali, ita & ſpecies ſubijcibilis. Quarto, ſpecies ſubijcibilis poteſt prædicari de hac, & de illa ſpecie ſubijcibili, ſi dicamus hæc ſpecies ſubijcibilis eſt ſpecies ſubijcibilis, ergo vt ſic erit vniuerſa.

His tamẽ non obſtantibus: Dico primo. Species non cõſtituitur in eſſe vniuerſalis Logici per habitudinẽ ad ſuperiora, ſeu vt illis ſubijcitur, ſed per habitudinẽ ad inferiora, vt ſcilicet de illis prædicatur. Hanc profitemur cum Alber. Magno tract. 4. in Porphirium cpa. 2. aſſerente, ſimul hanc extitiſſe communem inter cæteros

teros Dialecticos opinionem. Idem ſentit Alpharabius cap. de ſpecie. Albertũ ſequuntur iuniores fere omnes Caietan. in præſenti, Oña ibidem q.2. ar.2.& alij. Probatur. Vniuerſale eſt vnum in multis, ſed ſpecies vt ſubijcibilis, non eſt vna in multis, ergo vt ſic nõ eſt vniuerſalis. Minor probatur, ſpecies vt ſubijcibilis nõ reſpicit multa in quibus eſt, ſed vnũ genus ſub quo eſt: ergo vt ſic, non eſt vna in multis. Secũdo. Subijcibilitas eſt relatio inferioris ad ſuperius, vniuerſalitas relatio ſuperioris ad inferiora: ergo ſubijcibilitas non eſt relatio vniuerſalis, ac proinde neq; ſpecies vt ſubijcibilis erit vniuerſalis. Tertio. Prędicabile eſt paſsio vniuerſalis, ſed ſpecies vt ſubijcibilis non eſt prædicabilis, ergo non habet paſsionem vniuerſalis, non habet paſsionem, ergo neque eſſentiam: quia in quo non eſt paſsio, non eſt eſſentia: ſicut in quo non eſt riſibile, neque eſt homo.

Dico ſecundo. Species ſubijcibilis denominat naturam communem negatiue. Patet: denominat naturam non ſingularem, ergo communem, non poſitiue, ergo negatiue: quod vero denominet naturam non ſingularem, probo. Quia aliàs non prædicaretur genus immediate de ſpecie, ſed de indiuiduo, prædicatur enim immediate de illa natura quæ denominatur a ſecunda intentione ſpeciei ſubijcibilis: vnde diuerſa eſt hæc propoſitio homo eſt animal, ab hac Petrus eſt animal, ergo, prout ſubijcitur generi, diſtinguitur ſpecies aliquomodo a ſingularibus.

Ex quo patet ſolutio ad argumenta Toleti. Ad primum Reſpondetur, quod ſicut homo & Leo dicuntur ſpecies animalis ſecundum proprias naturas ſenſitiuas, ſecundum quas habent quod ſint viuentia ſenſibilia, ſic ſpecies & reliqua prædicabilia, ſunt ſpecies vniuerſales; ſecundum proprias & veras rationes vniuerſalitatis & eſſendi in multis, quas habent. Sicut autem homini & Leoni accidit reſpectus ſubijcibilitatis, ſecundum quem non ſunt animalia, ſic ſpeciei & reliquis prædicabilibus accidit reſpectus ſubijcibilitatis, ſecundum quem vniuerſalia non ſunt. Quando autem dicitur: ideo ſunt vniuerſalia quia participant vniuerſale, diſtinguendum eſt: quia participant participatione naturæ, concedo; quia participant participatione prædicationis paſsiuæ, nego, ideſt ideo ſunt vniuerſalia,

quia

Digitized by Google

quia ſecundum ſuam naturam intentionalem,& *vt quo*, habent eſſe vnum in multis, concedo,quia vero ratio vniuerſalis de illis prædicatur; aut illi ſubijciuntur,nego. Accidit enim tam rationi vniuerſalis in communi, quod ſit genus, quam inferioribus prædicabilibus,quod eis ſubijciantur. Itaque ideo vniuerſale prædicatur de illis,aut in illa diuiditur, quia vere ipſa vnum in multis & prædicabilia ſunt, non vero e contra,quia de illis prædicatur vniuerſale,aut quia ei ſubijciuntur,vniuerſalia ſunt,niſi quaſi a ſigno & a poſteriori.

Ad ſecundum Reſpõdetur, quod genus immediate refertur ad naturam denominatam ſecunda intẽtione ſpeciei ſubijcibilis,vt ſic autem eſt cõmunis negatiue,nõ ſingularis, neq; vniuerſalis formaliter.

Ad tertium Reſpondetur, quod cũ dicimus relata ſunt ſub eodem genere, intelligimus vtrumq; formaliter eſſe in genere relationis; vnde genus, & ſpecies ſubijcibilis, continentur ſub relatione rationis,non autem ſub vniuerſali: neque enim omnis relatio rationis,eſt vniuerſalis, alias etiam relatio indiuidui eſſet intrinſice vniuerſalis, quia relatio ſpeciei ad illud, eſt intrinſice vniuerſalis, non ergo oportet quod relatiua rationis ſub eodem genere vniuerſalis contineantur, ſuſſicit contineri ſub relatione rationis vt ſic.

Ad quartũ Reſpõdetur, ſpeciẽ ſubijcibilẽ cõparatam ad hãc & ad illã ſpeciẽ ſubijcibilẽ,eſſe ſecũdũ rẽ,& ſecũdũ prędictã cõparationẽ prædicabilẽ,cum ſit vna in multis de quibus prædicatur, ſolo autẽ nomine eſſe ſubijcibilẽ;quamuis enim ſecũda intentio ſpeciei ſubijcibilis *vt quo* & eſſentialiter,ſolũ habeat eſſe rationem quare aliqua natura ſubijciatur alteri,ſi tamẽ ipſa vt *quod*, & ad modũ naturæ conſideretur,bene poteſt eſſe vniuerſalis denominatiue & accidentaliter,vt in prædictis prædicationibus ſumitur, de quo ſatis dictum eſt ſupra.

Ex quibus, ad id quod ſecũdo loco inquirebatur, conſtat erraſſe Caiet.qui in hoc capite de ſpecie, cẽſet ſpeciẽ ſubijcibilẽ,& prædicabilẽ eſſe neceſſario cõnexas,& prædicabilẽ eſſe paſsionem ſubijcibilis. Contra quem cum Louanienſibus 1.p.huius cap. de ſpecie, & Oña q.2.de ſpecie ar.2.

Dico tertio in hac quæſtione. Species prædicabilis non eſt paſsio ſubijcibilis, neque e contra. Patet, fundamenta harum

harum relationum ſubijcibilitatis & prædicabilitatis, ſunt comparatio naturæ ad ſuperiora, & inferiora: ita vt vna non oriatur ex alia, immo formaliſsime loquendo, vna alteri cõtrarietur, ergo & ipſæ relationes ſunt diſparatæ. Probatur .2. breuiter, quia res eſt clara: ſeparari poſſunt ſpecies ſubijcibilis & prædicabilis, ergo neutra eſt paſsio alterius: antecedens conſtat. Primo, in naturis Angelicis, quæ in ſententia S. Thomæ, cũ ſint numero immultiplicabiles habent rationem ſpeciei ſubijcibilis, ſubijciuntur enim naturæ Angelicæ, vel naturæ ſpirituali perfectę, in qua generice conueniũt & tamen non ſunt ſpecies prædicabiles vt probabo: ergo, &c. Secundo, ſi loquamur de prædicabilitate ſpeciei infimæ, conſtat hanc prædicabilitatem ſeparari a ſpecie ſubalterna, quæ ſubijcibilis eſt, non tamen prædicabilis prædicabilitate hac ſpeciei, ſimiliter ſi ſermo ſit de prædicabilitate ſubalterna, certum eſt ſeparari a ſubijcibilitate ſpeciei infimæ. Quod autem ſpecies prædicabilis ſit, quæ non ſit ſubijcibilis patet. Quia ſubſtantia quæ eſt ſummum genus, prædicatur de hac, & de illa ſubſtantia prædicatione ſpeciei: at genus ſupremum nulli alteri eſt ſubijcibile, ergo habet prædicabilitatem ſpeciei, ſine ſubijcibilitate.

QVÆSTIO III.

Quid ſit ſpecies vniuerſalis & prædicabilis, & an recte definita a Porphirio.

HAbitudines ſpeciei ad genus in præcedentibus explicuimus. Duæ aliæ, quibus ad inferiora refertur, explicandæ reſtant. Prima, qua inferiora reſpicit, vt eſt formaliter vniuerſalis, & vna in illis. Alia quæ ex hac oritur, vt ſcilicet de illis prædicabilis eſt. Prior illa hac poteſt eſſentiali definitione declarari. *Species eſt vnũ aptũ eſſe in multis, numero ſolum differẽtibus, per modũ eſſentiæ integræ, & cõpletæ.* Quæ

Quæ definitio, ex dictis in definitione quidditatiua generis manet explicata, tantum indigent explicatione verba illa *per modum eſſentiæ integræ & completæ*. Obijci enim poteſt, quod indiuiduum componitur ex ſpecie & differentia indiuiduali, ergo ſpecies nõ eſt totalis & completa eius eſſentia, cum addat ſupra illam differentiam indiuiduam: ſicut genus non eſt totalis & completa eſſentia ſpeciei, quia ſpecies addit ſupra illam differentiam ſpecificam.

Huic obiectioni ſatisfaciunt communiter Doctores, dicendo: ſpeciem dici integram indiuiduorum eſſentiã, quia differentia indiuidualis ſolum eſt determinatio eſſentiæ, & modus ſingularitatis in illa, non vero eſſentia, aut pars eſſentiæ: cuius ſignum eſt. Primo, quod natura ſecundum ſuam eſſentiam, abſtrahit a ſingularitate tanquam a modo extra eſſentiam. Secundo, duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quamuis differant per differentias indiuiduales quas intrinſice includunt, non dicuntur eſſentialiter differre, immo a parte rei habent vere relationem ſimilitudinis in natura. Tertio, ideo differentia indiuidualis, non dicitur pars eſſentiæ, quia non addit nouum gradum perfectionis ſupra ſpeciem; ſed ſolum eſt determinatio illius: neque eſt principium alicuius ſpecialis operationis, cuius per ſe loquendo non ſit capax quoduis indiuiduum eiuſdem ſpeciei.

Sed ſi ad eſſentiam integram indiuidui, vellis differentiam indiuidualem pertinere, quia vere intrinſice componitur ex illa. Dicendum erit, ſpeciem eſſe completam eſſentiam vniuerſalem indiuiduorum, quia præter ſpeciem nihil eſt in indiuiduis, quod ſit completa eſſentia vniuerſalis: genus enim & differentia ſimul ſumpta ſpecies ſunt, ſeorſum autem neutrum eſt completa eſſentia vniuerſalis eius in quo eſt.

Alia habitudo qua reſpicit indiuidua vt prædicabilis; fuit explicata a Porphirio, per tertiam definitionem dicente. *Species eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid*. Quæ definitio debet intelligi de prædicatione immediata, & de pluribus differentibus numero, non quæ neceſſario actu exiſtãt, ſed vel ſucceſsiue, vt in Phœnice: vel poſsibiliter ſaltim po-

ſed (vt dicebamus quæſtione præcedenti) eſt veluti eſſentiæ modus, à quo abſtrahit quidditas & eſſentia rei abſolute. Hinc fit, vt recte explicuit D. Tho. 1. p. q. 85. ar. 3. ad 4. quod natura perſe & principaliter intendit ſpeciem, indiuidua vero tantum propter conſeruationē ſpeciei, & ideo in rebus incorruptibilibus, vt in Angelis, Sole, & Luna, vnico tantum indiuiduo natura contenta eſt, quia in vno ſemper conſeruatur ſpecies. Item, perfectio vniuerſi poſtulat, quod in ea dentur omnes gradus ſubſtantiæ. V. g. corporis, viuentis, rationalis, & irrationalis, &c. non vero poſtulat niſi accidentaliter plurium eiuſdem ſpeciei indiuiduorū multiplicationem, perſe enim loquendo, quoduis indiuiduum capax eſt omnium operationum quas ſpecies exerceri poſtulat, exercereque poteſt. Hinc etiam apud Doctores probabilius eſt, ad cognitionem plurium ſingularium nō eſſe neceſſariam additionem virtutis in cognitionis intenſione, ſed ea quę ſufficit vt cognoſcatur vnū, ſufficere, vt plura eiuſdem ſpeciei ſingularia cognoſcantur: ſaltim prout in vno aliquo, & eius virtute cōtinentur. Hinc potentia productiua per ſe, non poſtulat maiorem virtutem ad productionem plurium indiuiduorū eiuſdem ſpeciei, quam ad productionem vnius; ſed eadem (vt ſic dicam) bis repetita, poteſt plura, & plura producere. Ad productionem vero diuerſarum ſpecierum, quia ſpecies ſunt ſicut numeri, & inæquales, inæqualitas etiam virtutis, maior ſcilicet, aut minor, ſecundum proportionem ſpeciei productę requiritur. Hinc in beatis Theologi inæqualitatem viſsionis non ſumunt ex cognitione pluriū aut paucorū ſingularium, ſed ex cognitione plurium aut paucarū ſpecierum poſsibilium. Hinc deniq; fatentur etiam cum S. Tho. quod quilibet beatus videat in verbo omnia genera & ſpecies rerum naturalium, quæ Deus ſtatuit creare ſecundum eorum rationes, naturas, & proprietates; ac deniq; totū ordinem vniuerſi, quia quilibet beatus habet rationabile deſiderium videndi hæc, & ordinem vniuerſi cognoſcendi, & tamen non videt omnia indiuidua harum naturarū, etiā exiſtentia & futura: hæc enim cum non addant nouum gradum perfectionis eſſentialis, non eſt per ſe neceſſaria earū cognitio ad hanc totius vniuerſi cognitionem, huiuſq; deſiderij impletionem. Multiplicatio

Digitized by Google

catio igitur ſpeciei, per ſe primo intenditur a natura, illam que ornat, perficiens maxime genus, nouum gradum perfectionis eſſentialis inducens, atq; adeo per ſe afferens decorem & ornamentum ſpeciale, naturę ipſi.

In hac igitur quæſtione. Dico primo, Genus & ſpecies ſi Phiſice, & Methaphiſice ſummantur, poſſunt conſeruari, Genus in vnica ſpecie, & ſpecies in vnico indiuiduo. Probatur, Genus & ſpecies vt ſic, ſolum dicunt ſua prædicata eſſentialia & quidditatiua, ſed hæc eſſentialia attributa in vnica ſpecie, & in vnico indiuiduo reperiuntur; attributa enim eſſentialia animalis, nimirum ſubſtantia, corpus, viuens & ſenſibile, etiam ſi omnia Bruta intereant, reperiuntur in homine; ergo in eo ſolum poteſt conſeruari animal. Idē dico de homine reſpectu Petri, etiam ſi indiuiduum aliud non ſit.

Hæc autem concluſio, vna vel altera indiget limitatione ſeu explicatione. Prima, quod genus adhuc hoc modo ſumptum, non poteſt in vnica ſpecie habere vniuerſam, & omnimodam perfectionem eſſentialem, quæ illi a differentijs ſpecificis ſuboritur: ſi enim (vt diximus) quælibet ſpecifica differentia, addens nouum gradum eſſentialem, maxime perficit genus, deficiente aliqua ſpecifica differentia, deficiet ſaltim illa perfectio. Species autem poteſt quoad omnem perfectionem eſſentialē in vnico cōſeruari indiuiduo, vt aperte conſtat in Sole, & ex dictis late, tam præcedenti quæſtione, quam ſecundo notabili huius. Hinc fit quaſi ſecunda limitatio: quod genus naturaliter non erit in vnica ſpecie, ſpecies vero aliquādo naturaliter erit, immo & eſt in vnico indiuiduo: vt de Sole dicebamus. Ratio eſt iam tacta, quia natura intendit perfectionem & decorem vniuerſi, quod maxime illi ex multiplicatione ſpecierum acreſcit, non vero indiuiduorum, niſi per accidens ad conſeruationem ſpecierum. Et hoc tantum volunt, qui quantum ad hanc acceptionem Metaphiſicam aliquam inter genus & ſpeciem differentiam conſtituunt.

Dico ſecundo, Genus ſi Logice ſummatur, plures ſpecies ſaltim poſsibiles requirit; licet non requirat plures actualiter exiſtentes. Prima pars quod ſcilicet plures requirat, probatur primo. Quia genus ſic Logice ſumptum eſt vniuerſale, vniuerſale autem eſt

vnum

Digitized by Google

vnum in multis,ergo requirit multas ſpecies. Secundo probatur ratione,ſumpta ex Ariſto. 4. Topicorum cap. 1. vbi aſſerit, genus de pluribus quã ſpeciẽ & differentiã prædicari:at ſi generis vnica ſolum eſſet ſpecies poſsibilis, iam genus non prædicaretur de pluribus quam differentia conſtitutiua illius ſpeciei;ſi enim tãtum eſſet homo ſub animali, de eodem homine de quo prę dicatur animal, prædicaretur differentia, ſcilicet rationale: debet ergo genus habere plures ſpecies poſsibiles ſub ſe, & hoc eſt quod alij dicunt, Genus debere eſſe vniuerſalius ſpecie & differentia conſtitutiua illius ſpeciei. Tertio. Gradus vltimus ſpeciei dicitur differentia, quia ſpeciem quã conſtituit facit differre ab alijs idem genus participantibus: ergo de ratione generis eſt,quod pluribus poſsit differentijs ſpecificis contrahi; ſecus ſi vna tãtum affici poſſet, illa nõ propriè diceretur differẽtia generis aut ſpeciei; quia non condiſtinguit ab alijs participantibus idem genus:ſpeciesq; prius differret per genus,quam per differentiã. Si enim non eſſet aliud animal poſsibile pręter hominem,ab alijs omnibus rebus differret homo per animal, cum nihil eſſet cum quo animal cõueniret.Secũda autẽ pars cõcluſionis, ſcilicet quod genus nõ requirat neceſſario plures ſpecies exiſtẽtes.Probatur. Quia de eſſentia vniuerſalis non eſt actus exiſtendi in multis, ſed aptitudo & potentia ad eſſendum in illis, & ad hoc quod de eis prædicetur: vnde vniuerſale,& cõmuniter per aptitudinem definitur,& verba etiam in definitione non dicũt actum ſed aptitudinẽ.Sed hãc aptitudinem habet genus in vnica ſpecie exiſtẽs dum modo plures ſint poſsibiles, ergo.

De ſpecie eodem modo Philoſophandum eſt, ſaluatur enim vt vidimus natura ſpeciei in Sole, & Luna, ſunt tamen vniuerſales, quia habent potentiam Logicam, ſeu non repugnantiam, ad hoc quod Deus poſsit plura indiuidua producere, reſpectu quorum & aptitudinem habent eſſendi in multis & poſſunt prædicari de illis. Solum in hac re difficultatem habet aliquam. Natura Angelica V.g. Gabrielis, quæ in ſentẽtia S. Thomæ inmultiplicabilis eſt, & tamẽ ab aliquibus ſpecies prædicabilis eſſe cenſetur. Quam vt expediamus ſit.

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

An Natura Angelica poſsit denominari ſpecies prædicabilis.

HAEC quæſtio tantũ procedit in ſententia S. Thomæ iam tacta, qui 1. p. q. 50. art. 4. & 4. cap. de ente & eſſentia aſſeruit, naturam Angelicam V. g. Gabrielis non poſſe etiam de potentia Dei abſoluta plura ſub ſe indiuidua continere. De quo maxima eſt in materia de Angelis controuerſia. Hac ergo ſententia S. Th. in præſenti p hypoteſim & ſuppoſitionẽ admiſſa. Inquirimus: an hęc Angelica Natura etiã ſi numero immultiplicabilis ſit, poſsit denominari ſpecies prædicabilis.

In qua quæſt. 1. dicendi modus eſt Henrrici, quodlib. 10. q. 2. Iabelli. 12. Meth. q. 14. Boecij & aliorum aſſerentiũ, Porphiriũ in illa definitione, *ſpecies eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus numero*, tantum ſpecies corruptibiles definiuiſſe, nõ vero incorruptibiles, & ideo illam definitionem non comprehendere naturam Angelicam. Quo videntur innuere Naturam Angelicam eſſe vniuerſalem, etiam ſi ei definitio Porphirij non cõueniat. Hæc tamen ſolutio quæſtionis, potius eſt fuga: tũ, quia ſupponit inſufficientem definitionem Porphirij, quod nos negamus; potius illa ſuppoſita vt vera, inquirimus, an omnibus ſpeciebus cõueniat. Deinde impoſsibile eſt ſpeciẽ aliquam eſſe vniuerſalẽ, quin multis communis ſit aptitudine ſaltim: hoc enim differt vniuerſalitas à ſingularitate: ergo ex natura rei nulla ſpectata authoritate Porphirij, ſpecies quæ aptitudine ſaltim communis multis non fuerit, neq; vniuerſalis, neq; pręedicabilis, prædicabilitate quę eſt paſsio vniuerſalis, dici poterit. Addo: non quia Porphirius ſic definit, ſic res eſt, ſed potius quia ſic res eſt, ſic illam definiuit Porphirius.

Secundus dicendi modus, eſt aliorum aſſerẽtium, quod Natura Angelica vere eſt prædicabilis de pluribus differentibus numero, quia licet hoc illi repugnet in quantum talis natura aut ſpecies eſt, non tamen

tamen repugnat in quantum ſpecies vt ſic. Ridicula tamen eſt hæc ſolutio, quia eadem ratione homo dici poſſet irrationalis, quia licet hoc repugnet illi in quantum tale animal, ſcilicet rationale, non tamen repugnat illi in quãtum animal. Nec oportet in huius impugnatione amplius immorari.

Tertius dicẽdi modus, probabilior multo duobus adductis eſt Caietani. 4. & 5. cap. de ente & eſsẽtia, & 1.p.q. 13. ar.9. & in hoc c. de ſpecie, quẽ ſequuti ſunt Louaniẽſes in preſenti. Canterus etiam & ex iunioribus plures. Hi aſſerunt Naturam Angelicam eſſe vniuerſalem, vniuerſalitate non quidem ſecundum rem & rationem ſimul, ſed ſecundũ rationem tantum. Pro cuius intelligentia notandum eſt ex eodem Caiet. duplex eſſe vniuerſale, aliud ſecundum rẽ & rationem ſimul, aliud vero ſecundum rationem tantũ, vniuerſale ſecundum rem & rationem ſimul, eſt illud quod à parte rei, actualiter ſaltim, vel poſsibiliter habet plura ſingularia, & per intellectum ad illa refertur, tanquam vnũ in illis: vt homo, plura habens ſecundum rem actualiter ſingularia: & natura Solis, plura ſaltim habens vere & realiter poſsibilia. Vniuerſale ſecundum rationem tantum eſt illud, quod à parte rei nec habet, nec habere poteſt plura ſingularia, poteſt tamen intellectus fingere plura ſingularia illius naturæ, & naturam illam realem ad hæc à ſe cognita ſingularia referre. Vt ſic autem illa natura vniuerſalis erit, non quidem ſecundum rem, ſed ſecundum rationem, quia omnino habet ab intellectu inferiora illa plura, ad quæ comparatur.

Quod ſi obijcias: hoc neceſſario eſſe vniuerſale Chimericũ & fictitiũ, vt pote quod in re nullũ habet fundamẽtũ, ſed tantũ in intellectu, ideoq; ſecũdum rationẽ tantũ vniuerſale dici. Reſpõderi poteſt ſecũdũ eorũ doctrinã, quod licet hoc vniuerſale nõ habeat adeo cõpletũ fundamẽtũ, ac aliæ naturę, quę plura ſaltim indiuidua poſſunt habere, habet tamen fundamẽtũ aliquod, nec omnino fictitiũ eſt. Primo. Quia cũ Natura Angelica res ſpiritualis ſit, & pro hoc ſtatu nõ niſi ad modũ rerũ materialiũ percipiatur, percipitur ab intellectu ad modum quo ipſe, res alias, ſeu naturas materiales percipit; pręcipue autẽ ad modũ naturæ humanę ad cuius ſimilitudinẽ Angelus cõcipit: ſed natura humana cõcipit vt

communicabilis pluribus,ergo Natura Angelica ſecundũ modum concipiendi,erit etiã communicabilis & vniuerſalis,habet ergo fundamentum ex parte naturæ materialis,ad modum cuius concipitur, & ex parte ipſius modi concipiendi.

Secundo,non ſic eſt vniuerſale fictitiũ, vt nõ ſit vera natura realis ſecũdum ſe quidditatem habens & indiuiduum ſaltim vnum;immo talis natura eſt, vt habeat rationem ſpeciei ſubijcibilis ſpiritui aut rationi Angelicæ ſic in communi; recedit ergo maxime ab vniuerſali omnino fictitio, qualis poſſet eſſe Chimera reſpectu ſuorum indiuiduorum, erit ergo natura Angelica vniuerſalis ſecundũ rationẽ tãtũ.

Hæc autem ſententia præter quam quod ex adductis vero ſimilis eſſe videatur, poteſt probari primo. Quia vniuerſalitas vel aptitudo ad exiſtendum in multis ſolũ eſt ens rationis, ergo ad hoc ens rationis ſufficiet quod natura conſideretur in pluribus, quæ ſolum habeant eſſe per rationẽ.Secundo. Aliter cognoſcitur à nobis Natura Angelica quã in ſe eſt,& aliter quã cognoſcitur ab ipſis,& à beatis in Patria;ſed in ſe & vt cognoſcitur ab illis eſt ſingularis, ergo à nobis cognoſcitur vniuerſalis,ergo ſit vniuerſalis,quia in entibus rationis fieri eſt cognoſci. Tertio,Licet in re,in Natura Gabrielis differẽtia ſpecifica & indiuidualis eadẽ ſit, neceſſario tamen vt ſpecifica eſt, debet ratione diſtingui à ſe ipſa vt eſt indiuidua: quia vt ſpecifica, componit ſpeciẽ ſimul cum genere, vt indiuidua vero, cõponit indiuiduũ: poterit ergo intellectus conſiderare naturam Michaelis cõpoſitam ex genere (nempe ex ratione ſpiritus aut Angeli in communi)& ex propria differentia Michaelis, vt ſpecifica eſt,non conſiderata eadẽ differentia vt indiuiduali: ſic autem abſtracta, poterit prædicari de indiuiduo Michaele prędicatione formali, quia ratione formali diſtinguitur, & non prædicatione æquali, quia indiuiduum inferius eſt reſpectu ſpeciei, vt compoſita eſt ex genere & differentia ſpecifica:prædicabitur ergo prædicatione ſuperioris de inferiori, ergo prædicatione vniuerſalis, quia ratione illius exceſſus & abſtractionis quam dicit vt ratio ſuperior, fundamentum habet intellectus, vt rationem illam ad plura ſaltim à ſe cognita & conficta poſsit extendere.

Oppo-

Oppoſita tamen ſententia omnino probabilior, eſt iam communior in ſcholis: quam cum Sonzinate & Iabello, & magis (vt patet) ad doctrinã D. Tho. nouiſsime omnes fere defendũt recentiores. Vnum autem pro eius intelligentia & probatione adnotare oportet; nempe ita nos intelligere Deum & Angelos, per ſpecies aut ſimilitudines rerum materialium, vt ex eo non formemus conceptus eis repugnantes, ſed proprios, & eos qui eis vere conueniunt: aliàs nõ non haberemus verã de Deo & Angelis cognitionem. Licet ergo verum ſit, nos intelligere pro hoc ſtatu res ſpirituales ad modum corporaliũ, non tamen iudicamus eſſe corporeas, ſed ſpirituales, & incorporeas, veras eis (quas cognoſcimus) tribuentes proprietates: quarum vna in Angelis (iuxta hanc quã ſupponimus ſententiam) eſt numerica immultiplicabilitas.

Hoc ſuppoſito. Probatur vrgentiſsime hæc ſentẽtia ſic. Quamuis intelligamus Angelos per ſpecies corporum, nõ tamen eis tribuimus corporis proprietates, ſed eas potius remouentes, intelligimus eſſe incorporeos: ergo quamuis intelligamus eos per ſpeciem naturæ communis & multiplicabilis numero, non eis tribuimus hanc communitatem, ſed vere intelligimus nõ poſſe habere plura indiuidua ſub eadem ſpecie. Cõfirmatur. Quia aliud eſt, *eſſe*, admodum cuius aliquid cognoſcimus, aliud vero illud, *eſſe*, quod cognoſcimus: ergo licet cognoſcendo Angelos, cognoſcamus ad modum rei materialis, illud autẽ quod cognoſcimus, quid ſpirituale & immultiplicabile eſt, cui conuenire deberet ratio vniuerſalis, ſi vere eſſet vniuerſale. Confirmatur ſecũdo. Quia ſi cognoſci ad modũ naturæ communis, ſufficeret vt natura cognita eſſet vniuerſalis, ſequeretur, ens rationis eſſe ens reale; quia cognoſcitur admodum entis realis; & Deum eſſe etiam naturam Logicè vniuerſalem, quia ipſum etiam intelligimus per ſpeciẽ rerum materialium. Et quamuis Natura Angelica componatur ex genere & differẽtia, Diuina autem ſit ſimpliciſsima, & incompoſita; hoc ad noſtri argumenti ſolutionem nihil cõducit, etenim ſpeciei non tribuitur denominatio vniuerſalis aut prædicabilis vt ex genere, & differentia cõponitur, ſed vt ad inferiora comparatur: cum ergo Natura Angelica numero immultiplicabilis ſit, compoſitio illa

ex genere & differentia, non conducit in illa ad denominationem vniuerſalis.

Secundo. Species Angelica nullomodo poteſt prædicari de pluribus differentibus numero in quid, ergo non poteſt denominari ſpecies prædicabilis. Antecedens probo. Non poteſt prædicari de pluribus differentibus numero exiſtentibus ſecundum rem, aut poſſibilibus, vt ſupponimus, nec de illis quę intellectus confingit: etenim hæc indiuidua ab intellectu conficta entia rationis ſunt, ſed natura realis (qualis eſt Angelica) nõ poteſt prędicari quidditatiue de entibus rationis, ergo nulla ſunt indiuidua reſpectu quorum poſsit habere rationẽ ſpeciei.

Tertio. Si natura Angelica habet rationes ſpeciei reſpectu illius indiuidui realis quod vere naturam illam habet, & reſpectu aliorum quæ fingit & concipit intellectus, ſequitur, enti reali & rationis dari aliquid commune vniuocum, immo ſequitur, ens reale & ens rationis eſſe eiuſdem ſpeciei, cũ ſint indiuidua, reſpectu quorum natura Angeli ea per vos habet rationẽ ſpeciei: quam ſequelam nullus ſanæ mentis admittet.

Quarto. Ideo ſecũdum S. Th. 4. cap. de ente & eſſentia, & iuxta doctrinã ſuperius traditã, natura ſecundum ſe non eſt ſingularis, quia ſi eſſet ſingularis ſecundum ſe, non poſſet per intellectũ eſſe vniuerſalis; ſed Natura Angeli ſecundum ſe eſt ſingularis, vt ponit hæc ſententia; ergo non poteſt eſſe vniuerſalis adhuc per intellectum.

Quinto. Propoſitiones iſtæ, hic Gabriel eſt Gabriel, & hæc, Gabriel eſt Gabriel (loquor de his ab intellectu confictis) ſunt falſæ, quia ſunt affirmatiuæ de ſubiecto nõ ſupponente, ſed propoſitiones in quibus natura ſpecifica prædicatur affirmatiue de indiuiduis, cum ſint eſſentiales, falſæ eſſe non poſſunt, illæ ergo prædicationes non ſunt prædicationes ſpeciei. Reſpondebis: nõ eſſe de ſubiecto non ſupponente, quia verbum *eſt*, non dicit in eis exiſtentiã realẽ actualem vel poſsibilem, ſed tantũ obiectiuam in intellectu. Contra argumentor. Si ad veritatẽ propoſitionis ſufficit quod ita conſideretur ab intellectu, ſicut in propoſitione ennunciatur, etiam ſi in re neq; ita ſit, neq; eſſe poſsit, ſequitur, quod ſi quis apprehẽderet omnes homines eſſe Deos, & poſtea has enũciaret propoſitiones, hic homo eſt Deus, & hic homo eſt Deus, iſtę propoſitiones

nes eſſēt veræ; quia ita cōſideratur ab intellectu, quamuis à parte rei neq; ita ſit, neq; eſſe poſſit.

Ad fundamētū tertiæ ſententiæ: iā vidimus qua ratione cōcipere Naturā Angelicā per ſpeciē rei materialis, & cōmunis, non cauſat iudicium quo illam intelligat eſſe cōmunē, ſed potius per ſpeciē rei corporeæ ductus intellectus in cognitionē illius, iudicat eſſe incorpoream, & immultiplicabilem. Quod autē ipſa Natura Angelica vere realis & ſingularis ſit, non ſolū non tollit fictionem, aut aliquod fundamētum præbet vniuerſali, ſed potius fictioni & impoſsibilitati omnino fauet: impoſsibilius enim eſt naturam eſſentialiter immultiplicabilem & realē, eſſe vniuerſalem reſpectu indiuidui realis, & plurium rationis, quam ſi natura aliqua mere omnino fingeretur in multis, & tam ipſa, quā illa multa inferiora entia rationis eſſent, maior enim eſt proportio & minus fictionis inter ens rationis & entia rationis, quam inter ens reale & entia rationis, vt de illorum quidditate eſſe intelligatur: & in hac natura reali immultiplicabili, ſt conditio omnino oppoſita & contraria vniuerſalitati, in natura autē aliqua, mere ficta ab intellectu, non eſt hæc oppoſita & contraria vniuerſalitati cōditio.

Ad primum argumentum Reſpondetur, vniuerſalitatem eſſe ens rationis, quod tamen poſtulat in natura fundamentum, & ad minus non oppoſitam conditionē, qualis in Natura Angelica, vt diximus reperitur.

Ad ſecundū Reſpondetur. Quod ſi ly, *aliter*, ſe teneat ex parte modi concipiendi, cōcedimus Naturam Angeli aliter cognoſci à nobis quam ab ipſis Angelis aut à beatis, ſi tamē ſe teneat ex parte rei conceptæ, ita vt Beati cognoſcāt Angelos eſſe ſingulares, nos autem vniuerſales, negamus: nos enim etiam vere cognoſcimus eſſe ſingulares, & immultiplicabiles numero.

Ad tertium Reſpondetur, concedendo diſtinctionem illam rationis differentiæ ſpecificæ & indiuidualis in Angelo Gabriele: quando tamē hæc ſpecies aut natura prædicatur de indiuiduo, negamus eſſe prædicationem ſuperioris, eſt enim æqualis, quia ſuppoſito quod natura Gabrielis non poteſt habere plura indiuidua, ſolū dicit ordinē ad vnā differentiā indiuidualem, tanquā ad adęquate contrahentem: ſicut natura

Digitized by Google

ſpecifica ad ſuam ſpecificam differentiam. Vnde hæc prædicatio naturæ Gabrielis de ſuo indiuiduo, ratione huius æqualitatis, ſimilis eſt prædicationi differentiæ vltimæ de ſua ſpecie; ſed quia prædicatur inquid, tanquam totum actuale & completum, poteſt ad ſecundum prædicabile ſaltim reductiue pertinere.

QVÆSTIO VLTIMA DE Natura Indiuidui.

EXplicata iam à Porphirio Natura ſpeciei, de indiuiduo eius correlatiuo, immediate diſſerit: ſunt enim relatiua ſimul cognitione. Et licet Indiuiduum vt ſubijcibile, ad ſpeciem referatur, non tamen illud formaliter vt ſubijcibile definiuit: quia eius ratio aperte poterat conſtare ex definitione ſpeciei ſubijcibilis: ſi enim hæc eſt, quę ſub genere ponitur, Indiuiduũ ſubijcibile erit, quod ſub ſpecie collocatur. Definiuit autem Porphirius Indiuiduum duplici definitione. Prima eſt. *Indiuiduum eſt, quod de vno tantum prædicatur.* Secunda. *Indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum in alio reperiri nõ poteſt.* Sed ante quã vtrãq; hãc definitionẽ examinemus explicare oportet. An, & quomodo Indiuiduum definiri poſsit. Videtur enim non poſſe de illo dari definitionẽ. Primo quia ex Ariſt. 7. Meth. cap. 15. quod definitur, definiri debet in quantum ſpecies eſt, ſed Indiuiduum non ſolũ non eſt ſpecies, ſed oppoſitũ ſpeciei, cum ſit eius correlatiuum, ergo non poteſt definiri. Secundo, de Indiuiduis nõ poteſt eſſe ſcientia, ergo neq; definitio. Conſequentiam probo, quia definitio eſt inſtrumentum modi ſciendi, ſolum ergo deſeruire poteſt obiecto ſcibili. Antecedens autẽ conſtat ex ipſo Porphirio in hoc capite, qui ex ſententia Platonis affirmat, non eſſe deſcendendum ab ſpeciebus, quia non eſt ſciẽtia de Indiuiduis. Secundo probatur idem antecedens; quia ſcientiæ ſunt de neceſſarijs & incorruptibilibus, ſed indiuidua corruptibilia ſunt, ergo de illis non poteſt eſſe ſcientia.

Pro explicatione huius difficultatis & eorum quæ tota hac

hac quæſtione dicenda ſunt. Notandum eſt primo. Indiuiduum dupliciter ſumi poſſe, & primointentionaliter,& ſecundointentionaliter Indiuiduũ primo modo nihil aliud eſt, quam natura quædã ſingularis & incõmunicabilis, quæ dicitur indiuidua (ideſt non diuiſſa in plura realiter) dicitur etiam ſingularis, quaſi naturæ vniuerſali oppoſita; quia vt ſingularis eſt, incapax eſt vniuerſalitatis. De indiuiduo autem ſecundo intentionaliter ſumpto, ſtatim dicemus. In hoc autẽ indiuiduo reali tria reperiũtur. Primo enim inuenitur natura ſpecifica, humanitas V. g. in Petro. Secũdo inuenitur hæc humanitas, quę ſupra naturam ſpecificam addit differentiam quandã numericam realem, per quam natura reditur incommunicabilis alteri, & in ſe vna & indiuiſſa: quæ duo ſupradicta in omnibus indiuiduis tam ſubſtantiæ, quam accidentis reperiuntur. Præter hæc autem, in indiuiduis ſubſtantiæ reperitur. Tertio, quidam modus ſubſtantialis, qui dicitur ſubſiſtentia, per quam reditur natura alteri ſuppoſito incommunicabilis, & omnino per ſe, non ſolum perſeitate ſubſtantiæ quæ opponitur inhærentiæ accidentis, ſed perſeitati quæ opponitur etiam rationi eſſendi in alio tanquã in ſuppoſito. Licet enim per differentiam numericam natura ſit inferioribus incommunicabilis, adhuc tamen cõmunicari poteſt ſuppoſito, ſi non habeat illum modũ ſubſiſtentiæ; Humanitas enim Christi Domini ſingularis erat & numerica, & incommunicabilis alijs inferioribus, de facto tamẽ communicata eſt ſuppoſito verbi diuini, cuius perſonalitate ſubſiſtit.

Tertio notandum eſt: tam hanc differentiam indiuidualem, quam modum ſubſtantialem ſubſiſtẽtiæ, dupliciter cõſiderari poſſe. Primo, quatenus illa determinatio & differentia indiuidualis & modus, talis omnino ſingularis & indiuidui eſt, nomine particulari & proprio ſignificati, V. g. Petri. Secũdo, vt eſt rei ſingularis & indiuiduę, ſine hac omnimoda determinatione, ſolũ dicens differentiã indiuidualem vt ſic, abſtrahendo à determinatis differentijs Petri aut Ioannis, & ſubſiſtentia ſimiliter, vt ſolum dicit rationẽ ſubſiſtendi in natura ſingulari, abſtrahendo ab hac, aut illa determinata ſubſiſtẽtia. Et ſecundum primam conſiderationẽ nihil commune dicũt; in ſecunda vero cõmunis eſt

con-

conceptus indiuidui vt ſic, & conceptus ſubſiſtentis, quibus ſignificatur differentia indiuidualis, aut ſubſiſtentia, non exprimendo aliquam determinate. Conceptus autem iſte communis, quem indiuidua habere poſſe dicimus in ratione formali indiuidui, nõ eſt conceptus rei aut naturæ, ſed conceptus modi determinantis naturam, vel vt ſit hęc, per differentiam indiuiduam, vel vt ſit omnino per ſe, per ſubſiſtentiam.

His ſuppoſitis dico primo. Indiuiduum ſub hac ratione communi explicata, definiri optime poteſt. Ratio eſt, quia vt ſic, Indiuiduum commune quid eſt ad omnia indiuidua; quod autem commune eſt, etiam ſi ſit commune analogicè definiri poteſt. Habet item ſua prædicata eſſentialia, & incorruptibilia, proprietates etiam inuariabiles: licet indiuidua omnino determinata, vt Petrus, & Paulus, corruptibilia ſint. Cũ ergo detur hęc ratio communis indiuiduis eſſentialis illis, ſi definitio eſt ratio explicans naturam & eſſentiam rei, poterit optime dari de indiuiduo vt ſic. Quinimo mihi euidens eſt, poſſe definiri etiam indiuiduum determinatum V. g. Petrum. Ratio eſt aperta. Definitio eſt oratio explicans eſſentiam & quidditatem rei, ſed oratio in qua exprimitur natura ſpecifica & differentia indiuidualis, ſi ita loqui licet, Petreitatis, explicat quid Petrus ſit, ergo. Secundo. Sicut ſpecies ex ex genere & differentia componitur intrinſice, ita indiuiduum ex ſpecie & differentia indiuiduali, ergo ſicut ſpecies eſſentialiter definitur per genus & differentiam, ita indiuiduum per ſpeciem & differentiam indiuidualem erit eſſentialiter definibile: quoniã ſicut illa ſunt partes eſſentiales ſpeciei, ita & iſta partes ſunt eſſentiales indiuidui.

Dico tamen ſecundo. Propria & doctrinalis definitio tantum datur de ſpeciebus, non de indiuiduis. Hoc voluit Plato, hoc Porphirius, hoc Ariſt. in ratione dubitandi adducti. Ratio eſt. Quia cum id quod addit indiuiduum ſupra naturam ſpecificam non pertineat ad conceptum naturæ, ſed ad cõceptum modi, & quaſi materialis determinationis, completus & integer naturæ conceptus in ſpecie intelligitur; ſed definitio eſt oratio explicans naturam & eſſentiam rei, ergo ſi completa eſſentia in ſpecie eſt, ea erit quę propriè complete, & doctrinaliter definitur. Secundo.

Digitized by Google

do. Quia (vt ſupra dicebamus) Indiuiduum non addit nouum gradum perfectionis aut nouarum operationum principium: vnde per ſe non intéditur à natura, niſi propter ſpeciei exiſtentiam: & natura ſecundum ſe ab illo abſtrahit, ac proinde doctrinæ & ſcientiæ, quæ id quod in rebus formale eſt attendunt, parum curant de indiuidui ratione, qua veluti materialiter natura diuiditur. Addo: modum rei non cenſeri quid ab ipſa re diſtinctum, ac proinde ad cognitionem naturæ & eſſentiæ quam modificat, reductiué pertinere; ideoq; non cẽſeri tractationem illius, definitionem, cætera ve inſtrumenta ſciendi quæ de illo agunt, diſtinctum aliquid in ratione doctrinę, à doctrina & cognitione naturæ & ſpeciei conſtituere. Per quod patet ad argumenta.

Pro quorum ampliori ſolutione, addo. Porphirium & alios Philoſophos negantes de indiuiduis ſcientiam aut definitionem, non ideo eam negare, quia repugnet, ſed quia eorum differentiæ numericę, & proprietates difficilime cognoſcuntur. Præcipue, quia ſi indiuidualis differentia à tota accidentium indiuidui collectione deſumitur, hæc non poteſt commode, aut cognoſci, aut vnica definitione monſtrari. Item cum de indiuiduis ſcientiæ non ſint, de illorum definitionibus non curant Philoſophi, aut aliarum ſcientiarum profeſſores: & ideo indiuidua dicuntur non definiri, non quia non poſsint, ſed quia de eorum definitionibus nulla habetur, vt dicebamus ratio.

Dices: hæc ratio indiuidui communis eſt pluribus, ergo eſt vniuerſalis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia non eſt vniuoca, tranſcendit enim omnes differentias indiuiduales, cum ſit de carũ omnium eſſentia; quod obſtat rationi vniuocationis, vt in ante prædicamentis videbimus; etenim duo indiuidua ſolum conueniunt in ratione entis indiuiſsi, & in vnitate numerica, quã diximus ſupra, eſſe rationem tranſcendentalem, ac per conſequens conueniẽtia etiam illa, tranſcendentalis eſt & analoga. Quod magis conſtabit ex his quæ de indiuiduo vago dicenda ſunt.

(?)

DE

DE PRIMA DEFINITIONE *Indiuidui.*

PRima definitio eſt,(vt vidimus)Indiuiduum eſt quod de vno tãtum prædicatur. Pro cuius explicatione notandum,quod indiuiduum prout ſignificat ſingulare,nõ formaliter pro natura reali,ſed prout pręd́icabile ſaltim de vno, eſt terminus ſecundæ intentionis;quia ſicut prædicabile de pluribus,eſt formaliter ens rationis,ita etiam prædicabile de vno:eſt enim prædicabilitas notio quædã conſequens ad naturam vt comparatam alteri,vel ſaltim ſibi, vt per rationem à ſe diſtinctæ. Et hac ratione definitum eſt indiuiduum à Porphirio hac definitione.Similiter ſingulare , vt non eſt aptum ad exiſtendum in multis formaliter,eſt terminus ſecundæ intentionis:ſignificat enim vt ſic , negationem vniuerſalitatis , reduciturq; proinde ad ordinem ſui poſitiui,quod eſt ens rationis; & ſic definitur ab Ariſt. r.perhiarm. cap.5.dicente : eſſe vnum aliquid., quod non poteſt eſſe in multis.

Notandum ſecundo.Definitum huius definitionis eſſe ſecundam intentionem indiuidui in concreto,vt denominat naturam ſingularem , ſicut de genere dixi. Huic autem ſecũdæ intentioni conuenit definitio in actu ſignato,ſeu vt,*quo*, eſt enim ratio prædicandi de vno , at vero in actu exercito conuenit exercere officiũ huius prædicationis Petro V. g. aut Paulo inſenſu infra explicando. Secunda autem intentio indiuidui in communi, poteſt,*vt quod*,denominatiue & accidentaliter dici ſpecies, reſpectu huius,& illius ſecundæ intẽtionis:qua ratione potuit adhuc vt ſpecies definiri, ſenſuſq;definitionis tunc erit: ſecunda intentio indiuidui eſt ratio prædicandi de vno: hæc autem optime poterit de pluribus vt , *quod* , pręd́icari ſic : hæc ratio prædicandi de vno,eſt ratio de vno prædicãdi. In quo ſenſu conſtat hoc quod eſt prædicari de vno, poſſe eſſe commune pluribus, qua ratione exiſtimo commodius intelligendam eſſe Porphirij definitionem. Ex quo ſequitur ſecundam intentionem indiuidui maxime aſsimilari ſecundæ intentioni ſpeciei ſubijcibilis , quæ vt , *quo*

non

non eſt vniuerſalis, vt *quod*, autē, poteſt denominari ſpecies, reſpectu huius & illius intentionis ſubijcibilis: ſic ſecunda intentio indiuidui vt, *quo*, non eſt vniuerſalis, vt *quod*, autem poteſt denominari ſpecies vniuerſalis reſpectu huius & illius ſecundæ intentionis indiuidui. Hinc ſoluetis argumentum, quod fieri ſolet, ſcilicet indiuidui rationē eſſe communem, & prædicari de multis, vt patet in his prædicationibus, Petrus eſt indiuiduum, Paulus eſt indiuiduum, & in his, hæc ſecunda intentio indiuidui eſt ſecunda intētio indiuidui. Reſpōdetur enim, in prima prædicatione, ſi indiuiduum ſumatur primeintentionaliter, eſſe quid commune analogicè vt dictū eſt: ſi vero ſumatur ſecunde intentionaliter, non prædicatur (vt ſic dicam) in recto, quod requiritur ad rationem vniuerſalis, nec denominat naturam quæ in recto de pluribus prædicetur: neq; enim verum eſt Petrum eſſe ſecundam intentionem indiuidui: ſed ſenſus erit, Petrus eſt natura denominabilis à ſecunda intentione indiuidui, vel ſecunda intētio indiuidui denominare poteſt Petrum. Sicut etiam dicitur, Gabriel eſt ſpecies ſubijcibilis, Michael eſt ſpecies ſubijcibilis, & tamē hæ naturæ Angelicæ non ſunt vniuerſales, quia ſecunda intentio ſubijcibilitatis, à qua denominari poſſunt non eſt vniuerſalis: ſic Petrus nō eſt vniuerſalis, quia ſecunda intētio indiuidui nō eſt ſecūda intētio vniuerſalis.

His ſuppoſitis dico primo. Definitio hęc à Porphirio tradita recta eſt. Hanc probo primo à ſimili, definitio quæ traditur de ſecundis intentionibus vniuerſalibus, & quæ denominat naturam communem multis, rectę ſunt, per hoc quod tradantur per prædicari de multis, ergo definitio quæ traditur de ſecunda intētione indiuidui & ſingularis, & quæ denominat naturā non communem multis, recte traditur per hoc quod eſt de vno tantū prædicari. Sicut enim ſe habet prædicari de multis ad naturā vniuerſalē, ita prædicari de vno ad ſingularē. Secundo. Hęc definitio ſufficienter diſtinguit indiuiduum à reliquis prædicabilibus, cum quibus (de ſecunda intentione loquor) in ente rationis prædicabili conueniebat, quia reliqua prędicabilia de multis dicuntur, indiuiduum de vno tantum. Ab alijs autem ſecundis intētionibus quæ prædicabiles nō ſunt, per hoc quod eſt prędicari recte differt; ergo....

Sed

Sed difficultas eſt circa exercitium huius prædicationis de vno tantum. Videtur enim exercitium eius ſolum poſſe eſſe in prædicatione omnino identica, nullomodo doctrinali, & quæ fit ratione tantum ratiocinante; Petrus enim ſi de vno prædicatur, tantum erit de ſe ipſo, vt in hac Petrus eſt Petrus. Sed pro ſolutione notandum eſt. Prędicationem doctrinalem poſtulare extrema ad minus ratione ratiocinata, & cum fundamento diſtincta, identicam enim omnino & ſine fundamento, aperte conſtat ad ſcientias nō pertinere: requirit inſuper doctrinalis prædicatio, vt ſit inter terminos communes, quia cum ſcientiæ agant de vniuerſalibus, de ſingulari (vt dictū eſt) parum curant.

Notandū ſecundo eſt. Poſſe ſuo modo etiā in terminis ſingularibus ſicut in terminis cōmunibus, prædicationem in quid, & in quale eſſentiale, & in quale accidentale propriū, & commune diſtingui: ſicut enim in terminis cōmunibus homo eſt animal, eſt prædicatio inquid, ſic proportionaliter in ſingularibus, hic homo eſt hoc animal, erit prædicatio in quid: & in quale quid, hic homo eſt hoc rationale: & in quale proprium, hic homo eſt hoc riſibile: ac deniq; in quale accidentale commune, hic homo eſt hoc albū. Ex quo fit, has prædicationes ſingulares, poſſe dici doctrinales cōparatione propoſitionis omnino identicæ, ſcilicet Petrus eſt Petrus, in qua non diſtinguuntur ſubiectum & prędicatum niſi ratione ratiocinante. Neq; eſt prædicatio directa, quia Petrus in genere prædicationis eſt primum ſubiectum, hæ vero prædicationes ſingularis directæ ſunt, quia hoc animal natum eſt de hoc homine prædicari. Diſtinguūtur etiam ratione ratiocinata; aliud enim eſt indiuiduum genericum, aliud ſpecificum, & hoc animal videtur ſuo modo ſuperius, poteſt enim prædicari hoc animal de hoc equo, de quo non poteſt prędicari homo.

Dicēdum igitur eſt primo. Omne indiuiduū prædicatione omnino idētica prædicabile eſſe de vno, vt Petrus eſt Petrus, nō vero formali & directa prędicatione vt de eodē Petro conſtat. Quia vero prædicatio identica omnino extra doctrinā eſt, ideo dixit Ariſt. in c. de ſubſtātia, quod prima ſubſtātia nō dicitur de aliquo.

Dico ſecundo. Reliqua indiuidua, tā ſubſtantiæ quam accidentis, ſecundo notabili expli

explicata, licet non prædicentur prædicatione omnino ſciẽtifica, prædicantur tamen prædicatione directa & formali. Primum conſtat ex primo notabili, diximus enim prædicationes omnino ſcientificas eſſe in terminis communibus, quia de ſingularibus non curant ſcientiæ. Secundum etiã cõſtat ex ſecũdo notabili, vbi vidimus in his prędicationibus, hic homo eſt hoc animal, eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & prædicata eſſe quodam modo ſuperiora, reſpondereq; has prędicationes prædicabilibus in quid, & in quale, &c. quæ formales & directæ ſunt.

Poteſt tamen obijci. Indiuiduũ vagum, vt *quidam homo*, indiuiduum eſſe, & tamen prędicari de multis: Petrus enim eſt quidã homo, & Paulus eſt quidam homo Caieta. hoc loco aſſeruit, indiuiduum vagũ eſſe aliud à quinq; prędicabilibus, & nec prędicari in quid, neq; in quale, ſed in cuiuſmodi. At Caietanus in hac ſubtilitate peccauit, & ſine cauſa contradicit Porphirio, quamuis enim illum excuſet quod ipſe non dixerit tantum eſſe quinq; prædicabilia; ſed quod pollicitus ſit agere de quinq; prędicabilibus, quod impleuit: certe, & diminutus eſſet, ſi de vniuerſalibus agẽs omnia vniuerſalia non recenſeret, & agens de indiuiduo non explicaret illius rationem communem & vniuerſalem, ſi vere in illo reperiretur. Deficit ergo indiuiduum vagum à ratione vniuerſalis. Primo, quia ratio indiuidui (vt dicebamus) non eſt ratio vniuoca, ſed tranſcendens omnes differentias indiuiduales, quæ cum ſint primo diuerſæ, non poſſunt in aliquo vere vno conuenire; aliàs oporteret diſtingui alijs differentijs, & ſic in infinitum. Deficit etiam à ratione vniuerſalis, quia quidã homo, eſt quid complexum, vniuerſale autẽ debet eſſe vnum ſimplex. Deficit Tertio, quod vniuerſale Logicũ dicit rem communẽ & modo communi, vt animal & homo: quidam autem homo licet dicat naturam humanam quæ communis eſt, illam tamen importat modo particulari. Adde: id quod vniuerſali cõuenit neceſſe eſt multis ſub illo cõtentis cõueniat ſaltim quãtũ eſt ex natura ſua, vt eſſe animal rationale, quod cõuenit homini, neceſſe eſt Petro & Paulo cõuenire; at quod indiuiduo vago cõuenit, non eſt neceſſe conueniat multis, ſed tãtũ huic vel illi: id enim ꝙ alicui homini conuenit qui eſt indiuiduũ vagũ, ſi Petro tã-

tum

tum conueniat & nulli alteri, verum erit alicui homini cõuenire: quod patet ex ratione ipſius vagi indiuidui, quod nõ ſupponit pro pluribus ſimul ſumptis, ſed pro vno tantum, hoc, vel illo ſub diſiunctione, ad veritatem autem diſiunctiuæ, vnius partis veritas ſufficit. Tãdem, vniuerſale poteſt affici communi ſigno, vt omne animal, nullus homo, &c. indiuiduum autẽ vagum nullomodo, quis enim dicat omnis quidam homo? prædicatur ergo (vt de indiuiduo in communi diximus) prædicatione quadã analoga, de qua adhuc analoga vnitate, non intelligenda eſt definitio Porphirij, ſed in ſenſu à nobis iã explicato, nempe quod indiuiduum ſit ratio prædicandi de vno tantum, naturam ſingularem denominans.

DE SECVNDA DEFINITIONE *Indiuidui.*

SEcunda definitio indiuidui eſt. Indiuiduũ eſt, cuius collectio proprietatũ in alio eſſe non poteſt. Hęc autem definitio datur de indiuiduo prime intentionaliter ſumpto, & recta eſt. Probatur. Quia indiuiduum prime intentionaliter eſt ipſa natura realis incommunicabilis & ſingularis, ſed paſsio naturæ incommunicabilis & ſingularis eſt, quod illius proprietates ſint etiam alijs incommunicabiles, vt pote quæ naturam incommunicabilem conſequũtur, ergo cum hoc explicetur per prędictam definitionem erit recta. Quæ proprietates reuocantur à Boecio in commentario huius loci, & ab Alberto Magno, tractatu. 4. in Porphirium cap. 7. ad ſeptẽ, his verſibus contentas.

Forma, figura, locus, tempus, cũ nomine, ſanguis.
Patria, ſunt ſeptem, quæ nõ habet vnus & alter.

Forma, denotat tẽperiẽ qualitatũ, quæ vocatur cõplexio. Figura, quãtitatẽ & mẽbrorũ compoſitionem. Locus & tẽpus, locũ & inſtãs natiuitatis. Nomẽ, appellationẽ vniuſcuiuſq. Sanguis, eſt proſapia & cognatio. Patria, pro vrbe ſumitur, quia etiã includitur in illa particula, locus, vnde illa ſufficeret

Digitized by Google

ceret niſi forte Patria ſignificet Prouinciã aut Regnũ, hãc autem accidentium collectionem, vel intellige de eiſdem numero accidentibus, vel ſi de ſimilibus in ſpecie, intellige eã accidentiũ collectionem moraliter loquendo impoſsibile eſſe in alio reperiri; abſolute tamen ſi de collectione eorundem accidentium in ſpecie loquamur, nõ repugnat in alio reperiri, ſunt enim huius collectionis ſingula accidẽtia de ſe in ſpecie communia vt patet. Et hęc de hoc capite.

CAPVT. IIII.

De differentia Tertio prædicabili.

POſtquam egit Porphirius de prædicabilibus quæ prædicatione in quid prædicantur, inſtituit iam de prædicabilibus in quale ſermonem: & prius de illo quod prædicatur in quale quid, ſiue eſſentialiter, differentia ſcilicet. Eſt autem huius capitis.

SVMMA TEXTVS.

BImembris. In prima parte quinq; diuiſsiones differẽtiæ, & totidem in ſecunda definitiones conſtituit. Prima diuiſsio eſt, differentia alia cõmunis, vt accidens commune & ſeparabile V.g. ſedere, currere; alia propria, vt accidens inſeparabile V.g. curuitas naſi, aut cicatrix; alia proprijſsima, vt differentia ſpecifica eſſentialis V.g. rationale. Secunda diuiſsio. Differẽtia alia facit alterum, ideſt diuerſum in accidenti, vt ſunt communis & propria: alia vero facit alium, ideſt diuerſum in eſſentia, vt proprijſsima; differentia autem quæ rem alteram efficit abſolute dicitur differentia, non quidem propter perfectionem, ſed potius propter ignobilitatẽ. Videmus enim nomen generis abſolute & ſine vlla limitatione imperfectiori tribui ſpeciei: vnde abſolute, Brutum, quod eſt ignobilior ſpecies homine, animal appella-

O

pellamus, cum homines hoc ſibi vertant iniuriæ. Tertia diuiſsio eſt. Differentia alia ſeparabilis, vt communis, alia inſeparabilis, vt propria, & proprijſsima. Quarta diuiſsio quę eſt ſubdiuiſsio præcedentis, differentiæ inſeparabiles, aliæ ſunt inſeparabiles perſe, vt proprijſsimę, aliæ inſeparabiles per accidens vt proprię. Inſeparabilis per ſe dicitur illa, quæ eſſentialiter conuenit rei. Per accidens autem quæ conuenit accidentaliter, licet vt propria paſsio cōueniat: quia illud perſe ſtricte ſumitur pro eſſentiali tantum prædicato. Differunt autem hæ differentiæ (inquit Porphirius) quod inſeparabiles per ſe non ſuſcipiunt magis aut minus, bene tamen inſeparabiles per accidens. Rurſus differentia inſeparabilis per ſe, (& eſt quinta diuiſsio & ſubdiuiſsio præcedentis) alia eſt conſtitutiua ſpeciei, vt rationale, quæ cōſtituit hominem, alia diuiſsiua generis, vt eadem differentia quæ diuidit animal, eadem enim differentia reſpectu diuerſorum poteſt eſſe conſtitutiua & diuiſsiua, vt patet in rationale; licet reſpectu eiuſdē, diuerſæ differentiæ ea munera exequantur: ſenſibile enim quod eſt differentia conſtitutiua animalis in ſpecie ſubalterna viuentis, non eſt diuiſsiua eiuſdem, ſed rationale & irrationale. Cum autem quælibet differentia diuiſsiua generis, alicuius ſit ſpeciei conſtitutiua, & hoc vltimum ſit præcipuum munus eius, ideo hæ differētię abſolute ſpecificę (ſūpta denominatione a principaliori munere) dicendæ ſunt.

In poſteriori parte capitis, definit differentiam. Primo dicens. Differentia eſt, qua ſpecies excedit genus: per rationale enim homo excedit animal, cuius ipſe ſpecies eſt, præter animal enim includit rationale actu. Secunda definitio differentię eſt. Differentia eſt quæ prædicatur de pluribus differētibus ſpecie in quale quid; ideſt in quale eſſentiale. Tertia definitio. Differentia eſt quæ ſeparat ea quę ſunt ſub eodem genere, vt rationale ſeparat hominē ab equo, & alijs cū quibus in genere cōueniebat. Quarta definitio. Differētia eſt qua differūt a ſe ſingula; ideſt ſingulæ ſpecies. Quinta definitio, quam exactiorem putat Porphirius. Differentia eſt quæ ad eſſentiam rei confert, eſtque pars eſſentialis eius cuius differentia dicitur.

Ea quæ ad notanda ſunt cō modiꝰ in diſputationis diſcurſu adnotabuntur.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIII

De differentia Tertio prædicabili.

DVæ ſunt præcipue rationes in differentia conſiderandę. Prior eſt ratio faciẽdi differre, ſecundũ quã ad ſpeciẽ refertur quã conſtituit, facitq; differre ab his, cũ quibus in genere cõueniebat. Conſtitutiuũ enim alicuius, etiã diſtinctiuum illius eſt. Poſterior vero eſt, ratio prędicabilis, qua inferiora reſpicit, reſpectu quorum rationẽ habet vniuerſalis, iuxta has igitur duas differẽtię rationes, in duas etiã diuiditur partes pręſẽs diſputatio. In quarũ prima de differẽtia vt differre facit, ſeu vt eſt ratio faciẽdi differre diſſeremus. In ſecunda vero de differentia, vt eſt tertium prædicabile.

I. PARS DISPVTATIONIS.

De differentia præciſſe vt differentia.

VAriæ ſunt differentiæ acceptiones. Primo ſumi ſolet differentia pro diuerſitate, vel diſtinctione quacũque, etiam latiſsime ſumpta, qua ratione ea quæ ſunt primo diuerſa, vt genera generaliſsima, dicimus quod genere differunt: immo & duæ differentiæ in hoc ſenſu ſe ipſis differre dicuntur. Secundo, ſumitur magis proprie, pro diuerſitate eorũ quę in aliqua re vniuoce cõueniũt, genere ſcilicet aut ſpecie. Tertio, accipitur adhuc magis proprie, nõ pro diuerſitate & diſtinctione ipſa, ſed pro principio & radice huius diuerſitatis, quod principium eſſe poteſt Phiſicum reſpectu Phiſicæ diuerſitatis, aut Metaphiſicũ, illud ſcilicet

quod in Metaphiſica compoſitione habet rationem formę, & conceptus vltimi facientis differre ſpeciem, in ſenſu ſuperius dicto cōpoſitam, ab alijs ſpeciebus cum quibus in ratione communi generica conueniebat: vt rationale in definitione hominis, & ſenſibile in definitione animalis: & hęc eſt propria, & præcipua acceptio differentiæ: pro principio ſcilicet diuerſitatis Metaphiſicæ, ſeu pro principio diuerſitatis in compoſitione Metaphiſica. Sicut autem definitio alia eſt eſſentialis, alia deſcriptiua, & alia accidentalis, ita differentia iſta ſeu principiū diuerſitatis Metaphiſicæ poteſt eſſe eſſentiale, vt rationale, poteſt etiam eſſe (vt ſic dicam) deſcriptiuum ſeu proprium, vt riſibile, poteſt denique eſſe accidentale communiter, vt album. Vnde ratio differentiæ in communi hęc omnia continet; licet proprijſsimum eſſe differendi principiū differentiæ Metaphiſicæ eſſentiali conueniat. De qua (licet de communi & propria etiam dicemus) inquirit.

QVÆSTIO I.

Quid differentia nomine ſignificetur, & an ſit terminus primæ, vel ſecundæ intentionis.

PRO Explicatione ſuppono, proprijſsimam differentiam quatuor munera exercere. Primo enim cōtrahit genus, eſt enim forma & actus reſpectu eius. Secundo, conſtituit ſpeciem. Tertio, eam ab omnibus alijs diſtinguit. Quarto denique, prædicatur de ea immediate, & mediate de inferioribus eius. Ex quibus quatuor officijs, quatuor oriuntur reſpectus interſe ſubordinati, & tantum ratione diuerſi, ita quod ſecundus præſupponat primum, nam vt rationale hominem conſtituat, præſupponitur (ſaltim ratione) quod diuidat genus; ex hoc enim quod animal per rationale, & irrationale diuiditur, hominis & equi V.g. ſpecies conſtituuntur.

Digitized by Google

tur. Prius etiam eſt (ſaltim noſtro intelligendi modo) quod rationale hominem cõſtituat, quam quod illud ab omnibus alijs diſtinguat, & de eo ac de eius indiuiduis prædicetur. Licet ergo differentia hos quatuor reſpectus habeat, nomen tamen & appellatio differentiæ (vt modo loquimur) de ſumpta eſt a tertio actu, ideo enim differentia dicitur, quia differre facit ſpeciem quam conſtituit; & ſecundum hunc actum & rationem definita eſt a Porphirio tertia, & quarta definitione. Quod ergo inquirimus eſt, an hoc quod eſt diſtinguere vnum ab alio, ſeu eſſe principium Metaphiſicum huius diſtinctionis, differẽtiæ proprijſsimæ reali a parte rei conueniat, an vero per intellectum. Notanter autem dixi *reali* V.g. rationale & ſenſibile, quia in entibus rationis nõ poſſunt differentiæ eſſe reales, ac proinde neq; ante intellectum facere differre.

In qua dubitatione Dico primo. Ratio formalis differẽtiæ Metaphiſicæ proprijſsimæ nõ eſt realis, ſed rationis. Fundamentum eſt, quia licet a parte rei dentur differentiæ indiuiduales, quæ faciant vnam rem differre ab alia eſſentialiter vel accidentaliter, dari tamen non poteſt a parte rei aliquod principium; quod ſit diſtinctum eſſentialiter vel accidentaliter vnius naturæ communis ab altera: ſicut enim proprium eſt intellectus ea quæ indiuidualiter diuiſſa ſunt, in vna ratione communi adunare, ita illius proprium eſt, illam communem rationem & conſtituere, & diſtinguere; ſed differentia proprijſsima eſt conſtitutiua rei communis, nempe ſpeciei, & diſtinctiua ſimiliter, eſt ergo formaliter quid rationis. Secundo, notio quæ conſequitur ad rem, non vt eſt a parte rei, ſed vt per intellectum ſic vel ſic cognoſcitur aut comparatur, quid rationis eſt, at notio differentiæ proprijſsimę eſt quid conſequens ad rationale non vt a parte rei eſt, quia ſic non diſtinguitur ab animali, ſed vt per intellectum a gradu animalis præſcinditur, & cum illo vt a ſe ratione diſtincto componit ſpeciem, ergo hæc differentiæ ratio formaliter loquẽdo non eſt realis, ſed rationis. Tertio, nulla eſt differentia a parte rei, quæ vt a parte rei eſt non conſtituat ſingulare, tantumque faciat indiuidualiter formaliter differre, licet fundamentaliter ſit in ipſis indiuiduis vnitas, aut diuerſitas ſpecifica formaliter; ſed ratio differẽtię ꝓprijſsimę, nõ eſt ratio

tio differentiæ indiuidualis, nec ſingulare conſtituit, ſed commune, ſpeciem ſcilicet, ergo ratio huius differentiæ formaliter non conuenit a parte rei, ſed per intellectum. Quarto, rationale vt differentia proprijſsima diuidit genus, componit ſpeciem, & illam facit differre, ſed diuidere genus ſonat diſtinctionem a genere, ſpeciem componere diſtinctionem a compoſito, (de ratione enim componentis, & partis eſt aliqua diſtinctio a re compoſita) ergo cum a parte rei, ſit idem cum gradu generico, & idem ſimiliter cum ſpecie, non poteſt rationem differentiæ proprijſsimæ ſortiri, niſi vt per intellectum a genere & ab ſpecie diſtinguitur.

Hic tamen notandum eſt maxime, differentiam Metaphiſicam, non eſſe omnino ens rationis nullum habens in re fundamentum, nec aliquid de materiali dicens: Dicit enim de materiali *rationale V.g.* naturam hominis, vt proprio & peculari conceptu ratiocinantis componitur. Vnde in formis aut entitatibus Phiſice diuerſis, V. g. hominis, & equi, ſicut a parte rei eſt fundamentum conuenientiæ genericæ ſecundum gradum ſuperioris ita & a parte rei eſt fundamentum diſtinctionis & diuerſitatis ſpecificæ, ſecundum gradus inferiores & peculiares illis. Per quod ſoluitur argumentum quoddam quod hic fieri ſolet, quia ſi diſtinctio ſpecifica eſt per intellectum, videtur ſequi, quod homo & equus qui differunt ſpecie, nō differant realiter, quod eſt omnino falſum. Reſpōdetur enim a parte rei diſtingui Phiſice per Phiſicam formam & entitatem, ac proinde realiter, ſpecie autem ſeu Metaphiſice nullo modo a parte rei, quia Metaphiſica compoſitio rationis eſt: ſed tantum fundamentaliter.

Sed contra vrgentius obijcies. Differentia proprijſsima omnium maxime facit differre, ergo cauſat omnium maximam diſtinctionem, ergo non tantum cauſat diſtinctionem rationis, ſed realem. Reſpondetur primo, cauſare maximā diſtinctionem Metaphiſicam inter omnes alias Metaphiſicas differētias, ſicut & illa Metaphiſica differentia eſt; certū enim eſt differentiam Metaphiſicam proprijſsimam magis habere rationem differentiæ Metaphiſicæ quam alias, cum etiam eſſentialis & quidditatiua definitio hac conſtās differētia perfectior definitio ſit quam aliæ. Reſpondetur ſecundo,

cundo, maximam dici diſtinctionem, eam quam cauſat differentia proprijſsima, quia præſupponit in entitatibus extremorum maximam Phiſicā diſtinctionem: vnde quomodocumq; ſumatur differentia proprijſsima, maximā in ſuo genere diſtinctionem cauſat, ſi Phiſice, maximam diſtinctionem Phiſicam, ſi vero Metaphiſice, maximam Metaphiſicam.

Sed vt omnino quibuſuis obiectionibus ſatis fiat. Notāda eſt huius diſtinctio principij, faciendi differre, Phiſice, aut Metaphiſice, licet enim primum poſsit eſſe a parte rei, nō tamen ſecundum. Notandum ſimiliter eſt, etiam eſſe de ratione Metaphiſicæ differentię proprijſsimæ vt ſic, illa tria munera ſcilicet genus contrahere, ſpeciem cum genere cōſtituere, ac demum quod ita faciat differre id quod conſtituit, vt in ea nullo modo conueniat, aut poſsit conuenire ſpecies conſtituta, cum illis cum quibus in genere conueniebat, quæ omnia a parte rei reperiri poſſunt nullo modo.

Sed maior dubitatio eſt, de differentijs proprijs & communibus. Quia fere omnia quæ de differentia proprijſsima dicta ſunt fundantur in eo, quod a parte rei *rationale*. *V. g.* aut quæuis alia differentia, non differt realiter a genere quod contrahit, & ſpecie quam conſtituit, ſed accidens quodlibet, ſiue proprium ſit, ſiue commune, diſtinguitur realiter a ſubiecto, & realiter illi inhæret, vt per ſe patet, & per hoc illud facit realiter differre accidentaliter, ab alijs non habentibus tale accidēs, per albedinem enim homo albus a parte rei differt a nigro, ergo a parte rei habet rationem differentiæ propriæ & cōmunis, riſibile etiam accidens eſt, & realiter a ſubiecto diuerſum, & a parte rei per riſibile homo differt ab equo.

Sed pro reſolutione notandum eſt. Quod ſicut in Metaphiſica differentia proprijſsima reſpectu diuerſitatis eſſentialis Philoſophamur, ita proportionaliter in differentijs proprijs & communibus reſpectu diuerſitatis accidētalis Philoſophandū eſt; vnde ſicut differentia Metaphiſica proprijſsima (vt hic loquimur) illa dicitur, quæ eſt principiū ſolū differendi ab alio, cum quo res differens conuenit in genere: ita differentia Metaphiſica propria, erit principium ſolum differendi ab alio accidentaliter, & nullomodo

conueniendi: faciendi (inquam) differre ea, quæ genere (vt ita dicam) conueniunt accidentali.

Ex quo infero & dico ſecundo, licet accidens commune & proprium habeant a parte rei rationem differentiæ Phiſicæ accidentalis, ſi tamen proprie loquamur, non habet rationem differētiæ Metaphiſicæ. Duas partes continet hæc concluſio. Prima probatur, ratione dubitandi adducta, & perſe patet a ſimili, de Phiſica ſubſtantiali forma, ſicut enim hæc a parte rei facit ſubiectum Phiſice & ſubſtantialiter differre, ita forma accidentalis Phiſica, faciet accidentaliter Phiſice eodem modo differre.

Secunda autem pars probatur ex dictis. Differentia Metaphiſica accidentalis, debet eſſe principium ſolum differendi, & nullomodo conueniendi vt dictum eſt, ſed hoc proprie tantum conuenit differentiæ ſpecificæ accidentis, V. g. *albedinis*, prout præſcinditur a gradu generico per intellectum, ergo vt ſic tantum eſt differentia Metaphiſica proprie & in rigore. Minor probatur. Quia per gradum genericum albedinis poteſt homo albus cum homine nigro conuenire, ſicut homo in animali cum equo; non ergo tota albedo, ſed gradus differentialis albedinis ſcilicet *diſgregatiuum viſſus* habet rationem differentiæ communis Metaphiſicæ, cum in illo gradu ſic differant homo albus & niger quatenus tales, vt nullo pacto in illo poſsint conuenire, ſicut neque homo & equus in rationale. Secundo, differentia qualibet Metaphiſica accidentalis, eſt principium diſtinguendi accidentaliter, ea quæ genere (vt ita dicam) accidentali conueniunt, ſed conuenientia iſta generica, nō eſt niſi per rationem, ergo neque differentia accidentalis proprie erit niſi per rationem: ſicut enim coloratum, non habet rationem generis niſi per intellectum, ita neque diſgregatiuum viſſus, aut aliquis alius differentialis gradus, habet rationem differentiæ niſi per illum.

Ex quo infero, eos qui accidens propriiſsime per ſubiectum definiri volunt, & noſtram concluſionem admittunt (ex quibus ſunt non nulli) non conſequenter Philoſophari, ſi enim in natura accidentis, quæ per definitionem explicatur, a parte rei tantum conſiderant ſubiectum

Digitized by Google

tum & rationem differentialem, cum in nullo horum a parte rei homo V.g. albus & niger conueniant, neque enim in ratione differentiali per ipſos, neque in ſubiectis, cum homo albus diſtinctum ſubiectum ſit ab homine nigro: ſequitur a parte rei habere proprie & in rigore rationē differētiæ Metaphiſicæ, ac cidēs illud quod per ſubiectū definitur. Fateantur ergo, acci dens (ſi hanc non admittunt differentiam Metaphiſicam a parte rei) debere per genus & differentiam quæ propriæ ſunt Metaphiſicæ partes definiri. Quod argumentum maiorem habet vim quando ſubiecta ſpecie diuerſa ſunt, vt in albedine reſpectu niuis & calcis reperitur.

Ad rationem dubitandi Reſpondetur. Quod differentia Metaphiſica habet rationem differentiæ proprijſsime non ſolum quia non diſtinguitur ab ſpecie, licet hoc etiam maiorem in ratione Metaphiſicæ differentiæ addat perfectionem, ſed quia exercet illa duo munera faciendi differre in notabili adducta perfectiſsime. Quod autem non diſtinguatur ideo eſt, quia cum ſit differentia eſſentialis, & per quam primo res in ſua ſubſtantiali compoſitione ſubſiſtit, & eſt vna & eadem entitas ſubſtantialis ſub diuerſis conſiderata rationibus, rationem generis & differentiæ poteſt induere, vt dictum eſt: at differētia accidentalis ſupponit iam ſubiectum ſubſtantialiter conſtitutum, ac proinde cum accidens ſit, non poteſt non ab illo differre. Vnde ſecūdū hāc præciſſe rationem qua ſubiectum reſpicit, non ita perfecte Metaphiſicæ differentiæ induit rationem, ſicut ſecundum rationem, qua reſpicit ſpeciem, quam cum genere componit *V.g. diſgregatiuū viſſus* quod ſimul cum colore albedinem conſtituit eamque diſtinguit eſſentialiter ab alijs coloribus, reſpectu cuius differentiæ proprijſsimæ rationem habet.

QVAES-

QVÆSTIO II.

Qualis ſit prima diuiſsio differentiæ in communem, propriam,& proprijſsimam.

EX Dictis conſtare poteſt, hoc nomen *differentia* & de formali dicere ſecundã intentionem, & de materiali naturam ſeu entitatem differentialem Phiſicam rei: vnde hæc diuiſsio & poteſt ſumi omnino primo intentionaliter, ita vt ſit naturæ in naturas, & ſecundo intentionaliter, ita vt ſit intentionis in intentiones, & tertio, ita vt ſit naturæ in intentiones: ac tandem quarto, ita vt ſit intentionis in naturas. Inquiritur ergo primo ab authoribus, quomodo ſumenda ſit. Et quidem huiuſmodi interrogatio neſcio cuius vtilitatis, ſit ſi tamẽ explicetur (vt fere ab omnibus explicatur) ſecundum quatuor illas combinationes, huius qualitas diuiſsionis, & quidem, ſi natura in intentiones diuidatur, erit abſq; dubio diuiſsio illa ſubiecti in accidẽtia rationis quia ſecunda intentio accidens rationis eſt: ſicut ſi animal, in ſubiectũ, & prædicatũ diuideres. Secũdo, ſi diuideretur intẽtio in naturas, eſſet diuiſio accidẽtis in ſubiecta: vt ſi diuideres nigrum, in corbum & atramẽtum: ſenſusq; eſſet ſecunda intentio differentiæ in communi poteſt conuenire naturæ, quæ a parte rei eſt fundamentaliter differentia communis, propria, aut proprijſsima. Nullo tamen ex his modis ſumpſit Porphirius, vt fatẽtur omnes.

Dubitant autem authores, (dubitemus & nos, licet hoc vt dixi parum vtile ſit) an ſumatur a Porphirio hæc diuiſsio, & ſumi debeat a Logico primo intentionaliter, vt ſit naturæ in naturas, an vero ſecũdo, vt ſit intentionis in intentiones. Caietanus ita exiſtimauit hoc ſecundo modo eſſe ſumendam, vt exiſtimet ſumi nõ poſſe primo modo, quẽ ſequitur P. Maſius in hoc cap. ſect. 1. q. 2. con. 2. Horũ ratio eſt. Quia ſi eſt diuiſsio rei, ergo mẽbra diuidentia debent realiter opponi, at contingit eandem naturam ſeu eundem gradum entitatis eſſe differentiam cõmunem,

munem, & propriam, & proprijſsimam: nam diſgregare viſſum, reſpectu parietis eſt differentia communis, reſpectu cygni propria, & reſpectu albedinis proprijſsima: ergo non eſt diuiſsio naturæ in naturas, ſi quidem membra contingit realiter non opponi.

Probabile quidem eſt, hanc diuiſsionem Phiſice & primo intentionaliter eſſe ſumendã. Primo quia Porph. ſemper exemplificauit in naturis. Secũdo, quia licet reſpectu diuerſorum eidem naturæ V.g. *albedini*, tres iſtæ rationes differẽtiæ poſsint conuenire, tamen reſpectu eiuſdẽ ſubiecti quod differt ab alijs, conueniunt rebus diuerſis. Petrus enim per albedinem diſtinguitur communiter ab equo; per riſibile proprie, & per rationale, proprijſsime. Tertio, quia ſicut bonum primo intentionaliter diuidi poteſt in honeſtum vtile, & delectabile, licet omnes iſtæ rationes boni in eadẽ aliquando reperiantur natura, vt ſæpe cõſtat in aliqua operatione virtutis, ita etiã poterit diuidi differẽtia. Sed quia vt recte probat Caieta. hæc tria mẽbra eidẽ formæ reſpectu diuerſorũ ſubiectorũ cõueniunt.

Probabilius eſt diuiſsionẽ hãc ſecũdo intẽtionaliter ſumi debere. Primo, propter rationẽ modo dictã. Secundo, quia differẽtia formaliter, & vt ſic eſt terminus ſecundæ intentionis, vt probaui, debet ergo ſecũdo intẽtionaliter diuidi: tertio, quia hæc eſt cõmunis Doctorũ ſententia in hoc loco, dicentiũ differentiã in tres rationes differẽtiarũ diuidi: ac tandẽ quarto, quia ſub hac conſideratione magis ſpectat ad Logicũ, vt ſic enim poteſt habere rationẽ vniuerſalis, vt videbimus, ratio autem vniuerſalis magis conducit ad recte exercendas intellectus operationes, vt dictum eſt, hoc autem intellige de ſecunda intentione in concreto, ſiue vt denominat naturam, quia hoc modo agit Logicus de ſecundis intentionibus.

His ſuppoſitis. Præcipuum huius quæſtionis dubium eſt, an hæc ſit diuiſsio generis in ſpecies, an vero Analogi in Analogata. Et quidem, vt ea quæ clara ſunt dimittamus, ſi hæc diuiſsio primo intentionaliter ſumatur, eſt abſque dubio Analogi in Analogata. Patet: Quia naturę iſtæ differentiales ſunt in diuerſis prædicamentis materialiter ſumptæ ſicut genera a quibus realiter nõ diſtinguuntur V.g. albedo quantitas ſubſtãtia, &c.

ſed

ſed res diuerſorum prædicamentorum nihil habent commune vniuocum vt dictū eſt ſæpe, ergo differentijs primo intentionaliter ſumptis non poterit dari aliquid commune vniuocum, ſed tantum Analogice. Immo hoc ita certum eſt vt etiam ſecundo intentionaliter ſumpta hac diuiſione. Communis fere opinio ſentiat Analogi eſſe in Analogata. Ita Caiet. & Maſ. ſupradicti. Quæ fuit etiam veterum, cum Auicena, & eam ſequuntur Sotus & Scotus, & ex recentioribus fere omnes. Argumenta quibus hæc ſententia probari poteſt quæ fortiſsima ſunt adducam infra.

Secunda ſententia eſt Petri nigri. quæſt. 52. Clipei ad primum, Arciſij & Montaneſij in hoc loco. Hanc diuiſionem eſſe vocis æquiuocæ, in ſua ſignificata, ſeu in membra diuidentia æquiuocata. Quæ ſententia falſa eſt proculdubio, quia in diuiſionibus vocis ambiguæ, præter vocis ſignificationem nulla ratio ſignificata communis diuiditur: Cum enim V. g. canem, in cœleſtem marinum, & terreſtrem diuidimus, nullam naturam illis communem ſed tantum hanc vocē *canis* in ſua diuidimus, ſignificata; at in hac diuiſione diuidimus rationem aliquā his tribus differentijs communem, ſcilicet *facere differre*, nō ergo hæc eſt æquiuoci in æquiuocata diuiſio.

Tertia & probabilior meo iuditio ſententia ſi recte intelligatur eſt, hāc eſſe diuiſionē generis in ſpecies. Hāc tenet S. Th. 5. Met. c. 9. tex. 16. lec. 12 quā etiā cōmuniter defendūt Cōplutēſes, & Oña hic q. 1. ar. 2. ſicut enim ſecūda intētio generis in cōmuni, hāc & illā ſecūdā intētionē generis in particulari reſpicit, quæ ſecūdę intētiones in ſecūda intentione generis in cōmuni vniuoce cōueniūt, ſic ſecūda intētio differētiæ, cōmunis, propriæ & proprijſsimæ, in ratione differentiæ in cōmuni vniuocātur, quęlibet enim harū differētiarum in ſuo genere eſt ſimpliciter differentia, licet omnibus perfectior ſit proprijſsima, quod tamen nullum eſt inconueniens, cum homo perfectius animal ſit omnibus alijs, & tamen animal in communi de omnibus animalibus dicatur vniuocè.

Ex quo ſimul & noſtra ſententia probatur, & quoddā ex fundamentis oppoſitæ ſententiæ euertitur. Quia ſicut nō obſtante quod tria prædicabilia priora ſint rationes prædicandi eſſentialiter, & duo poſteriora acidētaliter vniuerſale eſt

eſt genus ad illa omnia quinq; vt fatentur omnes Doctores,& ego infra dicam: ita nõ obſtante quod differentia proprijſsima ſit ratio differendi eſſentialiter, aliæ autem ſint rationes differendi accidentaliter,ratio differentiæ in communi eſſentialiter & vniuoce illis conueniet. Vnde quælibet prioritas aut inæqualitas, quæ in proprijſsima differentia reſpectu aliarum differentiarum reperitur, non eſt in illa quatenus differentia eſt,ſed quatenus talis differentia, ſicut etiam inæqualitas inter prædicabilia non prouenit a ratione vniuerſalis vt ſic, ſed a ratione talis vniuerſalis, *generis* ſcilicet *aut ſpeciei*,vnde ſicut hæc maior perfectio nec hominem genere diſtinguit ab equo,nec genus a proprio & accidenti,ſed omnes ſub eodem genere continẽtur, ita in præſenti hæc maior perfectio non diſtinguit.

Ex quo,a priori probo iam hanc ſententiam.Hę tres differentiæ rationes,vnam habent rationem communem in qua eſſentialiter conueniunt, nomine *differentiæ* ſignificatam, ſcilicet eſſe rationes denominantes naturam quæ faciũt differre, alias etiam peculiares, per quas ad inuicem eſſentialiter differunt,ſcilicet per hoc quod eſt eſſe communem,proprium,& proprijſsimam, ergo ſunt eiuſdem generis ſpecies.

Poteſt adhuc probari tertio hæc ſententia.Quia quamuis accidens dependeat a ſubſtantia & ſubſtantiæ & accidenti (Phiſice loquendo)nihil vniuocum dari queat, relatio tamen ſeu ſecunda intentio generis vniuoca eſt ſubſtantiæ,& quantitati. V.g.ergo licet differentiæ, communis, & propria (ſi Phiſice loquamur) dependeant aliquomodo a proprijſsima, nec cum illa vniuoce poſsint conuenire, relatio tamen ſeu ſecunda intentio differentiæ illis communis vniuoca poteſt eſſe. Reſpondent recentiores, diſparem eſſe rationem:quia genera ſubſtantiæ, & accidentis, eodem modo ſunt in multis ſpeciebus,& de illis prædicantur in quid;differentiæ vero hæ ſemper inæqualiter faciunt differre. Sed contra. Quia vel accidens comparatur accidẽtibus eſſentialiter inferioribus, vel ſubſtantiæ & modo eſſendi illius;ſi ſubſtantiæ, inæqualiter (vt ſic dicam) & diuerſo modo dat eſſe,nempe eſſe accidẽtale & inhærens, cum ſubſtantia habeat eſſe perſe ; ſi vero comparetur ſuis inferioribus, eſſentialiter eſt in illis , ſicut ſubſtantia in ſuis inferioribus

licet

licet enim id quod eſſentialiter eſt, ſit accidens, non tamen eſt accidentaliter, eodem igitur modo, ſi differentia propria & accidentalis, comparētur cum differentia proprijſsima, diuerſo modo faciūt differre. Si vero differentia propria reſpectu differentiarum propriarum inferiorum, eſſentialiter eſt in illis: quia eſſentiale eſt illis vt faciant differre proprie, & differentijs accidentalibus eſſentiale etiam eſt facere differe accidentaliter. Addo Porphirium in textu membra huius diuiſsionis voca tres ſpecies differentiæ.

Dico tertio, ſi nomine differentiæ propriæ propria paſſio intelligatur, hæc diuiſsio erit generis in tres ſpecies. Patet proportionaliter ratione iam facta. Quia ſicut differentia, proprium, & accidēs (quę omnia prædicantur in quale, & primū in quale eſſentialiter ſecūdū in quale accidētaliter proprie, quarto modo, & tertiū accidētaliter cōmuniter) ſunt tres ſpecies, ſub prædicabili aut vniuerſali eſſentialiter contentæ, ita differentia proprijſsima, propria & communis, ſi propria de propria paſſione intelligatur, erunt tres ſpecies ſub differentia in communi eſſentialiter contentæ. Sed quia Porphirius (vt patet in exēplo ab eo adducto) ſcilicet *cicatrice*, aut *naſi curuitate*, nomine differentiæ propriæ quoduis accidens inſeparabile intellexit, ideo.

Dico quarto, hāc diuiſsionē eſſe generis in duas immediatas ſpecies, & duo illa mēbra *communis & propria* quæ accidentaliter tantum differunt, ſumenda eſſe ſecundum rationē differentiæ accidentalis vtriq; communem; quatenus conueniunt in hoc quod eſt *facere alterum*, ſeu *facere differre accidentaliter* atq; adeo habere rationem vnius membri; & ita hæc diuiſsio eſt differentiæ, in eſſentialem, & accidentalem. Hæc concluſio quoad primā partem ſcilicet quod ſit generis in ſpecies, iam probata eſt. Quoad ſecundam autem iam eſt inſinuata probatio. Quia hæc duo membra ſcilicet *communis* & *propria*, tantum differunt penes ſeparabilitatem & inſeparabilitatem, ſed hæc diſtinctio non ſufficit diuerſas cōſtituere ſpecies, ergo, &c. Minor probatur, proportionaliter eadē ratione ſupra facta: Quia ſicut accidens prædicabile ſeparabile & inſeparabile quod nō eſt propria paſio, nō differunt ſpecie in ratione prędicabilis, ita neq; differētia accidētalis ſeparabilis & inſeparabilis ſi nō ſit propria paſsio

Digitized by Google

in ratione differentiæ in communi, ſpecie differre poterũt.

Sed contra hanc ſentẽtiam quatenus aſſerit eſſe generis in ſpecies hanc diuiſionem, obijci poteſt vrgentiſsime. Diuiſio generis debet fieri per differentias quæ non includãt rationem generis, V.g, cum animal diuiditur per rationale & irrationale, ly *rationale* & *irrationale* formaliter quatenus differentiæ diuidentes animal ſunt, non includunt in ſe animal quod eſt genus diuiſſum, ſed tantum dicunt quid additum animali, vt explicabo q. 4. Sed in hac diuiſione genus quod eſt differentia in communi, includitur in differentijs per quas diuiditur, ergo non eſt generis in ſpecies. Minor probatur. Quia diuiſſum eſt differentia, differentię diuidentes etiam ſunt differẽtiæ, ergo includitur in differẽtijs diuidentibus diuiſſum, ac per conſequens non erit generis in ſpecies hæc diuiſio Reſpondetur, quod diuiſſum non eſt differentia vt cumq; ſed eſt ratio denominans naturam facientem differre, ſeu eſt differentia vt *quo*. Differentiæ autem per quas fit iſta diuiſio. V.g. *Cõmuniter, proprie* & *proprijſsime*, non ſunt rationes denominantes naturam aliquã facientem differre, ſed differẽtiæ quædam vt *quod* conſtituẽtes hanc & illam ſecundam intentionem communem differentiæ. Sicut enim rationale, & irrationale differentiæ conſtitutiuæ ſunt ſpecierum, non tamen ſpecies; ita hæ differentiæ conſtitutiuæ ſunt harum ſpecierum intentionalium differentiæ, non tamen ſpecies. Vnde ipſæ potius habent rationem naturæ denominatæ, ſicut rationale & irrationale, quam denominantium: ſunt enim differentiæ vt *quod* & accidentaliter denominantur a ſecunda intentione differentiæ proprijſsimæ: *communiter* enim eſt differentia proprijſsima, quæ conſtituit eſſentialiter differentiam communem; & *proprie* quæ conſtituit eſſentialiter propriam: *proprijſsime* etiam quæ proprijſsimam conſtituit eſſentialiter, ſicut rationale hominem. Vnde ſicut rationale quia conſtituit eſſentialiter hominem a ſecunda intentione differentiæ proprijſſimę denominatur, ita hæ differentiæ quæ eſſentialiter conſtituunt has ſpecies, a ſecunda etiam intentione differentiæ proprijſsimæ denominantur. Diuiſſum autem ſcilicet differentia in communi eſt ſecũda intentio denominans, non vero denominata ſicut iſtę, vnde illud non participant.

Se-

Secundo obijcies. Differentia propria & communis non ſunt proprie & in rigore differentiæ, ergo non ſunt ſpecies illius. Antecedens probatur. Quia idem a ſe ipſo communi & propria differentia differre poteſt, idem enim ſedens a ſe ipſo ſtante differentia communi differt, & Petrus nunc cum cicatrice, a ſe ipſo ſine illa differt proprie; ſed idem a ſe ipſo non poteſt eſſe perfecte & ſimpliciter diuerſum, ergo hę differentiæ non habent ſimpliciter differentiæ rationem. Reſpondetur, quod quamuis idē a ſe ipſo in eſſentia differre non poſsit, immo neq; in accidenti pro eodem tempore, pro diuerſis tamen temporibus certe non minus proprie differre poteſt idem a ſe ipſo differentia accidentali, quam a quouis alio, cum pro diuerſis temporibus diuerſorum accidentium capax ſit.

Tertio obijcies. Ad minus per te ſunt duæ ſpecies differentiæ, ergo erunt duo prædicabilia differentiæ, ac per conſequens ſex prædicabilia. Reſpondetur, quod nulla iſtarum intentionum vt eſt ratio faciendi differre eſt vniuerſalis, quia ratio faciendi differre vt ſic, non eſt ratio eſſendi in multis aut prædicandi, ſeu eſſendi cōmunis illis. Denominantur autem genus & ſpecies vt *quod* & accidentaliter, ſicut de ſecunda intentione ſpeciei ſubijcibilis dixi, quæ quidem vt *quo* nō eſt vniuerſalis, vt *quod* autem denominatur a ſecunda intentione ſpeciei prædicabilis, reſpectu huius & illius ſpeciei ſubijcibilis. De ſecunda autem intentione quæ denominat naturam differentialem prædicabilem de pluribus quæ eſſentialiter eſt tertium prædicabile dicam in ſecunda parte diſputationis.

Vltimo. Vniuoca prius definiuntur quam diuiduntur, ſicut a cōtrario ęquiuoca prius diuiduntur quam definiātur: ſed differentia prius diuiditur quam definiatur, vt patet, ergo non eſt vniuoca: ergo non eſt genus: ergo non habet ſpeciem: ergo hæc diuiſio nō eſt generis in ſpecies. Reſpondetur, quod quando quis intendit de omnibus vniuocatis agere, prius definit id in quo omnes conueniunt, quando tamen ſolum de vno agendum eſt, poſſumus a diuiſione incipere, quo vſq; ad membrum de quo intendimus agere perueniamus. Vnde cum Porphirij animus ſolum de differentia proprijſsima in hoc capite eſſet agere, recte a diuiſione incipit. Addo: in ſecunda diuiſione quodāmodo definiuiſſe

dif-

differentiam dicens. Aliam facere alterum ſeu diuerſum in accidenti, quæ eſt differentia accidentalis. Aliam facere aliud ſeu diuerſum in eſſentia, quæ eſt definitio differentiæ proprijſsimę. Ex quo facillime poſſet colligi differētiā in communi eſſe, quæ facit differre, abſtrahendo ab accidentali & eſſentiali.

Ex quo ego facile colligo in confirmationē noſtri quarti dicti, ſecundam diuiſionem differentiæ in communi, quæ eſt in accidentalem & eſſentialem, eſſe quaſi explicationem primæ, ac proinde, primam hoc modo eſſe explicandam, ſicut explicat quartum dictum. Quod patet ex eiſdem verbis Porphirij, qui poſtquam primam poſuit diuiſionem text. 2. quaſi idem alio modo repetens inquit. *Omnis igitur in vniuerſum* (*id eſt in communi*) *differentia, diuerſum alicui adiuncta facit*. Ecce quaſi definitionē differentiæ, in cōmuni. *Sed propria & communis, diuerſum per accidens, ſeu accidentaliter*, (ecce vtramq; ſub vno membro cōprehendit) *proprijſsima autē diuerſum per ſe & aliud*, ſcilicet facit differre eſſentialiter.

QVÆSTIO III.

Utrum hæc diuiſsio ſit adæquata.

HAnc diuiſionem non eſſe adęquatam ſuadent hæc argumenta. Primū. Duę differentiæ differunt & tamen non per aliquam ex ijs differentijs, quia ſi per alias differētias differrent, illę per alias diuerſificarentur, & illę per alias & ſic in infinitū. Cōfirmatur, quia Deus etiam differt à creaturis, non differentia cōmuni aut propria, quia hæc ſunt accidentia, in Deo autem accidens non reperitur, ergo. Non proprijſsima, quia hæc (teſte Porph.) componit ſpeciem, at Deus neq; ſpecies eſt neq; compoſitionē habet vllam adhuc ex genere, & differētia, ergo, &c. Secundo. Forma ſubſtātialis phyſica habet rationem differentiæ: nam per illam propriè diſtinguitur cōpoſitum ſubſtantiale ab alijs, & tamen non eſt communis aut propria, cum ſit principiū diſtinctionis eſſentialis, non eſt proprijſsima, quia non eſt

P diuiſsiua

Digitized by Google

diuiſsiua generis ergo, &c. Tertio, differentia indiuidualis Petri V.g. eſt vere differentia, & tamen non eſt communis aut propria, quia differentia indiuidualis eſt intrinſeca & eſſentialis indiuiduo. Adde etiam, quod facit aliud, nō alterū, vnde D. Tho. in 1. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. inquit, in humanis Patrem eſſe aliud à filio, non tamen in diuinis, vbi vtrumq; eſt eadē numero eſſentia, neq; eſt proprijſsima, quia omnem proprijſsimam, differentiam ſpecificam appellauit Porphirius. Item de ea dixit conſtituere ſpeciem, & genus diuidere, quę indiuiduali differentiæ non conueniunt, quid ergo de illa dicendum eſt? Quarto, per propriā paſsionem vere differt vna ſpecies ab alia & tamen non eſt communis, quia non eſt accidēs ſeparabile, nō propria, quia propria paſsio per ſe cō uenit rei, at per ſe conuenire, tantum conuenit differentiæ proprijſsimæ ex Porphirio, ergo nō eſt propria. Adde, quod differentia propria ex eodem ſuſcipit magis aut minus, nō vero propria paſsio ſicut neq; eſſentia aqua fluit, ex alia etiam parte non ex proprijſſima, quia facit alterum formaliter, non vero aliud, facit enim differre in accidenti non in ſubſtantia, ergo.

His tamen non obſtātibus ſit communis concluſio. Hanc eſſe rectam, & adæquatam diuiſionem, probat Auicena, & communiter authores, quia ea quæ differunt, vel differunt eſſentialiter & ſic differūt per proprijſsimam differentiam, vel accidentaliter, & ſic vel per accidēs ſeparabile, vel inſeparabile, ſi primū, differūt per differētiam communem, ſi ſecundum, per propriā, nomine autem accidētis inſeparabilis includitur (vt videbimus) propria paſsio, quod tantum deſiderari videbatur, vt eſſet efficax ratio hæc, ergo.

Ad primum argumentum Reſpondetur, quod vt ſupra dixi ea quę in nullo vniuoce conueniunt, nō dicuntur propriè differre, ſed eſſe primo diuerſa, ad quod ſufficit quod vnum ſit aliud, & hæc impropria & lata eſt differentiæ acceptio, ea vero quæ propriè differūt ſi in rigore loquamur in aliquo debent vniuoce conuenire & differentijs ad inuicē diſtingui: differentiæ autē ſunt primo diuerſæ, Deus etiam & creaturę non conueniūnt vniuoce in aliquo, ac proinde non propriè differūt ſed diuerſa ſunt.

Ad ſecundum Reſpondetur,

tur, hic propriè tantum diuidi differentiam Metaphyſicā, vt ex dictis ſupra conſtare poteſt, cum ratio differentiæ quam diximus eſſe ſecundam intentionem, differentiæ tantum Metaphyſicæ poſsit adaptari, forma autem ſubſtantialis non Metaphyſica, ſed Phyſica differentia dicenda eſt. Ad tertium Reſpondetur, differentiam indiuidualem in ſe quidem eſſe proprijſsimā, & eſſentialem, quod probant recte ea quę in prima parte argumenti adducta ſunt. Exiſtimo tamen Porphirium ea ſub proprijſsima nō comprehendiſſe, quod probāt ea quæ in ſecunda parte argumenti adduximus, inſufficiens ergo Porphirius fuit. Nego tamen conſequētiam, ille enim ſicut ſolam diuiſsit Metaphyſicam differentiam ita tantum egit de ea quæ vniuerſalis eſſe poteſt. Hæc enim in communi modo loquendi tantum eſt Metaphyſica, cum communiter dicatur non eſſe de indiuiduis definitionem. Addo etiā quod cum hic tractatus, circa vniuerſale tanquam circa obiectum verſetur, tantum agit de differentia, quæ poteſt eſſe vniuerſalis, huiuſmodi autem non eſt indiuidualis & ideo non eſt in hac diuiſione comprehenſa, vel ſi mauis poteſt reduci ad proprijſsimam, quia in ſe proprijſsima eſt vt dixi: tunc autem proprietates illæ à Porphirio adductæ non de omni proprijſsima differentia, ſed tantum de ſpecifica intelligendę erunt.

Quartum argumentum de propria paſsione Authores in varia placita diſtraxit. Canterus enim ad nullā ex his differentijs docuit pertinere, videtur enim aſſerere non eſſe propriè differētiam, ſed neſcio quo fundamento, ſi enim commune accidens differentia ſubiecti dicitur cur non proprium. Sotus hic ad tertiū videtur inſinuare eſſe differentiam proprijſsimam, & hoc probant ea quæ in argumento dicta ſunt.

Sed exiſtimo illis non obſtantibus ad differentiā propriam pertinere. Eſt communis doctorum ſententia hoc loco, Auicenæ Alberti Magni, Caietani, Louanienſium, Iabelli, Villalpandi, Oñæ, & Maſij, & eam probat meo videri ſufficientiſsime ratio in argumento adducta, ſcilicet quod formaliter non facit aliud, ſed alterum, licet enim arguat diſtinctionem ſubſtantialem, & ſpecificam in habentibus illā, ab his qui illā non habēt, hoc tamen ipſa per ſe, & pręciſſe

cum ſit accidens non præſtat ſicut albedo in Cygno, & nigredo in Coruo. Arguunt quidem diſtinctionem ſubſtantialem & ſpecificam inter ſe, at per colorem ſubſtantialiter differre quis dicet?

Ad primam probationem Reſpondetur ly, *per ſe*, in præſenti vt etiam in textu tetigi, ſumi à Porphirio ſtrictiſsime pro eo ſolum, quod eſt intra eſſentiam rei, ac proinde inſeparabile per ſe appellauit, quod eſt inſeparabile eſſentialiter in rigore, in qua acceptione proprium cum non ſit de ſuſtantia, & eſſentia ſubiecti, non proprie dicitur inſeparabile p ſe, vt hic ſumitur, licet vt ſumitur ly, *per ſe*, ab Ariſt. in libris. Poſt. ſaltim in ſecundo modo dicẽdi per ſe, prædicetur propria paſsio.

Ad ſecundam probationẽ Reſpondetur. Porphirium, nõ vniuerſaliter dixiſſe omnem differentiam propriam ſuſcipere magis aut minus, ſed tantum indefinite eſt locutus, ad quam indefinitam propoſitionem verificandã ſufficit, quod in aliquibus V. g. in accidentibus inſeparabilibus, vt cicatrice aut naſi curuitate hoc reperiatur. Sed contra obijcies, quia Porphirius inter exempla differentiarum inſeparabilium per ſe, numerauit rationale mortale, & ſuſceptiuũ diſciplinæ, ſed ſuſceptiuum diſciplinæ tantum eſt propria paſsio, ergo propria paſsio adhuc ex ſententia Porphirij dicetur per ſe, ac proinde erit proprijſsima differentia. Sed reſpondebit aliquis, ibi ſuſceptiuũ diſciplinę ſumptũ eſſe pro radice aqua dimanat. Cõtra argumẽtor, quia pro radice eſt idẽ quod rationale, radix enim illius eſt differentia eſſentialis hominis, ſed hæc iam erat poſita, nugatorie ergo locutus eſt Porphirius idẽ bis ſine neceſsitate repetens, vel ſuſceptiuum diſciplinæ adhuc vt à rationali diſtinctum differẽtia proprijſsima eſt. Sed Reſpõdetur, quod ſuſceptiuum diſciplinæ pro radice ſumitur, & idem diuerſis nominibus expreſsit Porphirius, vt ſæpe fieri ſolet maioris explicationis aut eruditionis cauſa, vel certe exemplorum nõ ſemper requiritur veritas. Hanc autẽ concluſionem cõmodius explicabimus, ſi nomine differentiæ propriæ propriam intelligamus paſsionẽ, & accidens inſeparabile, ad differentiam reducamus communem.

(?).

QVAES-

QVÆSTIO IIII.

Vtrum proprijſsima differentia actu & eſſentialiter contineat genus, quod contrahit, aut contineatur in illo.

RElictis differētia propria & communi, quæ vt ſic tantum reſpiciunt ſubiectum, non genus, aut ſpeciem, quæq; cum accidētia ſint, pertinent potius ad quartum & quintum prædicabile, vt in illis videbimus. Agamus iam de proprijſsima, de qua Porphirius pręcipue intendit agere, & quia hæc dicitur forma reſpectu generis, & cum illo componit ſpeciem; agimus nunc de illa, in ordine ad illud, inquirentes ſimul (quia maximè ſubordinatæ ſunt) an in genere actu contineatur, vel illud ipſa contineat. Et quidem claritatis gratia inquiramus prius, an differentiæ contineantur actu in genere, ſeu genus actu contineat illas.

In quo vt certa ab incertis ſeparemus, non loquimur de genere quatenus ſpecies ſubalterna eſt, nec de differētia, illud vt ſic conſtituente, V.g. de ſenſibili reſpectu animalis, quia hanc differentiam conſtat actu eſſe in genere, ſicut quælibet differentia conſtitutiua ſpeciei, in ſpecie cōſtituta reperitur, ſed loquimur de genere vt eſt totum quoddam potentiale, confuſſe continens ſua inferiora.

Circa quæſtionem hanc fuit olim inter Platonicos & Peripateticos acerrima diſſenſio & controuerſia, teſte Amonio in cōmētario huius capitis, Platonicis viriliter differentias actu in genere cōtineri aſſeuerantibus, viriliter tamen Peripateticis tantum poteſtate, & quidem Platonicorum placitū poteſt probari.

Primo, ſi in genere nō cōtinentur actu, ſed poteſtate, ſequitur quod ſpecies erūt perfectiores genere, ſi quidē actu continent perfectionem aliquam quam non dicit genus. Conſequēs autem eſt falſum, ergo illud ex quo ſequitur. Minor probatur. Quia genus

teſte Porphirio, cap. de genere, eſt principium ſpecierum, at principium nobilius quid eſt eo quod ab illo ortum habet, ergo &c. Secũdo. A parte rei datur animal rationale, & à parte rei datur etiam animal irrationale, ſed rationale & irrationale ſunt differentię: ergo à parte rei animal continet illas.

Sed certe argumenta iſta debilia ſunt. Vnde pro explicatione contrariæ ſententiæ. Notãdum eſt primo. Duobus modis intelligi poſſe differentias in genere actu contineri, alio modo per modum coniunctionis, copulationis, aut vnionis, ita quod genus vnitũ ſit à parte rei cum differentijs diuidentibus, quamuis de illius eſſentia non ſint. Secundo modo poteſt intelligi; vt illas genus includat per modum eſſentialis incluſionis, quod eſt illos in ſuo conceptu & eſſentia dicere, & includere.

Secundo notandũ eſt, differentias nulla ex quatuor proprijs oppoſitionibus opponi, non quidem priuatiue, aut cõtradictorie, quia in his vnum extremum debet eſſe nõ ens, omnes autem proprijſsimæ differentiæ debent eſſe entia vera, cum ſint conſtitutiua alicuius ſpeciei, neq; opponũtur relatiue, quia relatiua ſemper ſunt ſimul natura, & cognitione, at differentiæ non ita ſe habent, recte enim rationale ſine irrationali non ſolum intelligi, ſed eſſe abſq; dubio poteſt. Neq; contrariè, vera & propria contrarietate, quia ex differentijs, plures ſunt de prædicamento ſubſtantię, ſed ſubſtantiæ nihil eſt propriè contrarium ex Ariſtot. vt ibi videbimus, ergo, &c. Vnde hæc oppoſitio tantum reperitur inter accidentia quę ſunt ſub eodem genere, & circa idem ſubiectum cui inhęrent, mutuo ſe expellant, ſed differentiæ iſtæ ſubſtantiales nec ſunt ſub eodem genere, nec inhærent ſubiecto, ergo non ſunt hoc modo cõtrariæ: ſunt tamen differentię inter ſe impropria & imperfecta contrarietate oppoſitę, teſtibus Sonz in. 1. Meth. quæſt. 24. Iab. ibidem, quæſt. 18. Anto. Andr. quęſt. 5. & Zimara. Theoremate. 12. cũ alijs omnibus recentioribus. Patet aperte, quia rationale & irrationale, ſub genere animalis (ſi ita dici poteſt) maxime diſtant & eidem ſubiecto ſimul ineſſe nullo modo poſſunt.

Quod ſi quęras in quo ſit contrarietas iſta conſtituta, qui

Digitized by Google

aut à qua radice petẽda. Reſpondetur cum S. Tho. in comme. c. 2. li. 5. Phyſicorũ hauriẽdã eſſe ab exceſſu & defectu, qui in differentijs vel ſaltim in formis à quibus illæ petũtur, reperitur: ſunt enim differentiæ inter ſe ſicut numeri, vt docebat Ariſtot. 8. Meth. cap. 3. vnde ſicut in numeris ſemper vnus vincit aliũ vnitate, ita in differentijs ſemper vna vincit aliam nobilitate.

Sed obijcies cõtra hoc primo. Defectus dicit priuationem, ſi ergo differentiæ per exceſſum & defectũ opponuntur, priuatiuè erunt oppoſitę. Reſpondetur, quod licet defectus iſte ſecundario, & quaſi per accidens, aliquid denotet priuationis, propriè tamẽ, vt hic loquimur, denotat aliquam entitatem poſitiuam, quam comitatur defectus aut carentia maioris illius perfectionis, quæ in alia ſpecie reperitur: ea autẽ quæ propriè priuatiua ſunt, defectum ſeu priuationem dicũt per ſe primo, & hanc omnimodam ex parte vnius extremi, vt patet in luce, & tenebris, viſione, & cæcitate.

Obijcies ſecundo. Irrationale eſt quid priuatiuum rationalis, ſed rationale & irrationale ſunt differentiæ, ergo opponuntur priuatiue. Reſpondetur, irrationale non eſſe veram differentiam, ſed poni loco aliarum differentiarum animalium, quia illas ignoramus: immo ſi ſciremus recte poneretur, quia quando ſunt multę ſpecies, & multæ illarum differentiæ, vt diuiſio per multa membra non fiat (parit enim multitudo obſcuritatem) ſolet genus diuidi per principalem differentiam, vt per rationale, & loco aliarum, differentia quædam priuatiua, aut negatiua conſtitui, vt irrationale.

His ſuppoſitis dico primo in hac queſt. Genus non continet differentias per modum incluſionis, ita quod ſint de eius conceptu & eſſentia. Hanc concluſionem profitentur aperte Ariſtot. 7. Meth. capit. 12. dicens, *Genus differentiarum non videtur eſſe particeps*. Et Porphirij hoc capite. Ratione probatur primo. Oppoſita nõ poſſunt actu & eſſentialiter in conceptu alicuius includi, teſte Porphirio, & Ariſtot. 7. Meth. text. 42. ſed differentiæ generis (animalis verbi gratia) rationale, & irrationale, ſunt oppoſitæ & incompoſibiles, vt dictum eſt,

ergo de eius conceptu eſſe nō poſſunt. Secundo. Tota eſſentia generis, ſeu quicquid eſſentialiter conuenit animali, & vniuerſaliter ſuperiori, eſſentialiter cōuenit inferiori, ſeu homini eſſentialiter ſub illo cōtēto, teſte Ariſt. in Antepradicamentis, ergo ſi differentiæ V.g. rationale, & irrationale, ſunt de eſſentia animalis, erunt etiam de eſſentia hominis, erit ergo homo eſſentialiter rationalis & irrationalis.

Dico ſecundo. Genus continet actu differentias per modum coniūctionis, copulationis, aut vnionis: patet, quia cōtinere hoc modo nihil aliud eſt quam genus eſſe vnum à parte rei cum illis; ſed animal à parte rei eſt rationale, & irrationale, ſaltim in diuerſis ſubiectis, ergo à parte rei vnū eſt cum illis. Dices. Idem oppoſitis rebus à parte rei vniri non poteſt, Petrus enim non poteſt ſimul rationali & irrationali vniri. Reſpondetur. Quod ratio eadem ſaltim ſecundum ſpeciem aut genus, poteſt oppoſita actu continere, aut cum illis vniri, in quantum à parte rei illa ratio, quæ per intellectum eſt eadem, in diuerſis indiuiduis aut ſpeciebus reperiatur, idem enim homo ſecundum ſpeciem eſt albus, & niger in diuerſis indiuiduis, eodē modo dicimus, animal in diuerſis ſpeciebus, ſeu in indiuiduis diuerſarum ſpecierū, eſſe rationale, & irrationale: rationale quidem in Petro, irrationale autem in hoc equo, & hoc tantum probat ſecundum argumentum.

Dico Tertio. Genus continet differentias in potentia Metaphyſica: ita Porphirius in præſenti. Poteſtate, inquit, differentias quæ eis ſubiectæ ſunt, genera complectuntur: re ipſa vero (ideſt actu) nullo modo, ex quo manet ſimul cōfirmata prima concluſio. Probatur hæc; quia ideo materia prima dicitur in potētia Phyſica continere formas, quia eſt ad omnes illas indifferens, & ab omnibus illis determinabilis Phyſice per agens naturale, ſed ſimiliter genus indifferens eſt ad differentias, & ab illis per agens intellectuale determinabile Metaphyſice, ergo continet illas in potentia Metaphyſica, & hoc modo intelligendus eſt Porphirius, quando aſſerit genus principiū eſſe ſpecierū, quia ſicut materia dici poteſt principiū compoſiti Phyſici, ita genus Metaphyſici. Per quod patet ad primum, de hoc autem principio materiali non eſt verum debere eſſe perfectius,

ctius, cum materia non ſit perfectius quid forma, aut cōpoſito.

Hic tamen poſſet inquiri. An hoc quod eſt in potentia illas continere, ſit de eſſentia generis. Reſpondetur, eſſe de eſſentia illius, vt totum poteſtatiuum, aut pars potentialis eſt. Neq; enim eſt inconueniens vt in genere cauſæ materialis, & in potentia quaſi paſsiua, idem imcompoſsibilia contineat, vt patet in materia prima reſpectu incōpoſſibilium formarū, & in pariete aut in homine, reſpectu incompoſsibilium accidentiū, verbi gratia albedinis, & nigredinis, caloris & frigoris. Ad tertium, iam diximus quomodo interſe differentiæ opponuntur.

Circa ſecundum, quod inquirit quæſtio, an ſcilicet differentia inferior eſſentialiter contineat genus, poſſet facile colligi ſolutio ex dictis. Pro huius autem explicatione notandum eſt, id quod modo dixi, differentiam dupliciter ſumi poſſe, materialiter ſcilicet, prout idem eſt rationale verbi gratia, quod homo, & formaliter, pro gradu tantum differentiali. Primo modo certum eſt, quod continet actu animal & eſſentialiter ſicut homo, nec de hoc dubitamus; ſed tantum de differentia formaliter & præciſſe ſumpta.

Dico ergo quarto in hac quæſtione, differentia propriiſsima non includit eſſentialiter genus quod cōtrahit. Hæc eſt contra Themiſtium & Canterū, eam tenet expreſſe S. Thom. 1. contra gentes cap. 17. & ibi Ferrara: ſimiliter. 3. & 11. Meth. Alb. Mag. 6. Topicorum tract. 2. cap. 6. Aug. Nimphus. 6. item Topicorum loco. 15. Antonius Andr. 3. Meth. quæſt. 2. Auicena 1. part. Logicæ; Fonſeca lib. 2. Meth. cap. 2. quæſt. 1. ſect. 4. Oña, cap. de differen. quæſt. 7. art. 4. immo eſt expreſſa Ariſt. 3. Meth. text. 10. ad finem, & primo lib. Meth. capit. 1. verſus finem; quibus in locis colligitens non eſſe genus, quia eſt intra eſſentiam ſuarū differentiarum. Ex quo ſit prima ratio pro hac concluſione.

Si Genus eſt intra eſſentiā ſuarū differentiarū, ſequitur quod ſit genus, & nō ſit genus, genus quidē, quia ita eſſe conceditur, non genus autem, quia ex Ariſtotele Genus debet eſſe extra eſſentiam differentiarum. Confirmo, quia ſi differentiæ ſecundum gradum præciſſum eſſentialiter conueniunt in genere, ergo debent differre per alias differentias,

ferentias, & illæ cum rurſus conueniant, rurſus differre per alias, & ſic in infinitum. Secundo. Quia hæc definitio eſſet vitioſa, homo eſt animal rationale, quia bis repeteretur genus, ſemel quidem per ſe, iterum autem vt incluſum in rationali, alias, ſi hoc liceret, liceret etiam hominem definire, eſt animal ſenſibile rationale, quæ tamen definitio nugatoria iudicatur ab omnibus, eo quod ſenſibile iam ſit incluſum in animali, quam rationem tetigit Philoſophus. 6. Topicorum cap. 3. Tertio. Quia rationale ſecundum præciſſum cóceptum eſt pars Metaphyſica hominis, ſed ſi eſſentialiter contineret genus, iam non eſſet pars ſed ſinonimum cum illo, quia contineret totum quod ille, pars autem vt pars, minus debet continere quam totum, ergo. Quarto. Materia prima non eſt de eſſentia formæ, à qua Phyſice informatur, ergo neq; genus eſt de eſſentia differentiarum, à quibus informatur Metaphyſice. Quinto. Si differentia contrahens, adhuc ſecundum gradum præciſſum, eſſentialiter includeret genus quod contrahit, idem omnino ſe ipſum contraheret, & idem eſſet actus & potentia reſpectu ſui. Sed à priori probo iam concluſionem. Sexto. Differentia, ſimpliciter eſt principium diſtinguendi ſpeciem quam conſtituit, ab illis quæ ſub eodem genere continentur, ergo non poteſt eſſentialiter includere genus. Probo conſequentiam, quia ſi includeret, ſicut eſt principium differendi, eſſet principium conueniẽdi cum illis ipſis, à quibus ſpeciem diſtinguit, quia includit eſſentialiter illud in quo conueniunt.

Quod ſi Ariſtot. aliquando aliquid contrarium huic aſſerere videatur, vt 7. Meth. text. 42. & 43. vbi dixit differentiam eſſe totam eſſentiam rei, quod non poſſet verum eſſe niſi genus includeret, intelligendus eſt, de differentia materialiter ſumpta; vel certe dicendum erit eſſe totam eſſentiam rei completiue. Neq; contra hãc concluſionem argumentum video alicuius momenti, ſolet tamen obijci, rationale eſſentialiter eſt ens, non in alio, quia nõ eſt accidens, ergo per ſe, ergo ſubſtantia, non incorporea, ergo corporea, ergo eſſentialiter eſt corpus, non

inanima-

Digitized by Google

inanimatum, ergo animatum, ergo eſſentialiter eſt viuens, non inſenſibile, ergo ſenſibile, ergo eſſentialiter eſt animal, ergo continet eſſentialiter genus. Reſpondetur primo. Hic ſumi rationale materialiter, & in confuſſo, vt per ſe patet in modo prædicandi: ſi tamen ſumatur omnino formaliter. Reſpondetur ſecundo, diſtinguendo conſequens illud, ergo ſubſtantia, ſi enim de ſubſtantia ente completo & per ſe ſtante ſumatur, qua ratione dicitur ſubſtantia prædicamentalis, ſeu in recta linea, hoc modo non eſt ſubſtantia, etenim licet in re ſit ſubſtantia completa, quia tamen formaliter & præciſſe concipitur per modum formæ, prædicaturq; in quale, & potius per modum adiacentis quam per modum ſubſtantię, ideo ſecundum modum percipiendi noſtrum, merito excluditur à ratione completa ſubſtantiæ, & per ſeſtantis: ſi autem ſumatur pro eo quod non eſt accidens, neq; in alio, etiam ſi non ſit ens completum, neq; omnino per ſe ſtans, qua ratione ſubſtantia tranſcendentaliter dici ſolet, hoc modo concedo rationale eſſe ſubſtantiam, quia tamen ſubſtantia prędicamentalis non eſt, neq; in recta linea ponitur, non includit reliqua prædicata, vt viuens, corpus &c. in quibus includitur ſubſtantia prædicamentalis.

QVAESTIO

QVÆSTIO. V.

An differentia ſuperior eſſentialiter includatur in inferiori, & an ſint gradus ſimplices & incompoſiti.

DIfferentiam ſuperiorē appellamus illam, quæ conſtituit ſpeciem magis vniuerſalem. ſeu ſpeciē ſubalternā, vt, *ſenſibile*, quę ſimul cū viuente cōſtituit animal in eſſe totiꝰ actualis Metaphyſici, & ſubalternę ſpeciei. Differentiā vero inferiorem eā dicimus, quæ conſtituit ſpeciem inferiorem vt *rationale*, quæ ſimul cum animali conſtituit hominem: petit ergo quæſtio. Vtrū ſenſibile includatur in rationali, & in vniuerſum. Vtrum differentia ſuperior includatur in inferiori. Pro cuius deciſione, reuocanda eſt in memoriam diſtinctio illa, qua differentia materialiter & formaliter ſumi poteſt, materialiter ſumitur, in quantum dicit totum quod ſpecies, formaliter vero pro gradu præciſſo differentiali diſtincto à generico; & quidem ſi differentiā inferiorem materialiter accipiamus, certum eſt quod ſuperiorem includat, nam rationale idem eſt quod homo, homo autē includit animal, in animali autē includitur ſenſibile, ſolū ergo manet difficultas de differentijs inferiori & ſuperiori formaliter ſumptis.

Partē affirmatiuā, (includi ſcilicet) docent Canterus hoc loco, & Bartholomeus Spina. 7. Meth. defenſ. 16. & Sōzinas. 7. Meth. q. 73. exercitij gratia eam aſſerit defendere. Poteſt ſuaderi primo ex Ariſtot. 7. Meth. cap. 12. tex. 43. vbi duo docet. Primum, poſtquam dixerat pedalitatē eſſe differentiā quandā animalis, & hanc diuidendā eſſe per pedes ſciſſos, & non ſciſſos, ſubijcit; ſciſſio namq; pedū pedalitas eſt, vbi vides differentiā ſuperiorē, nēpe *pedalitatem*, prędicari de differētia inferiori, ſcilicet ſciſione pedū, ſi ergo de illa prędicatur, in illa includitur. Secundo dicit, quod ſi in definitione ponatur genus ſuperius & differētia vltima, & poſtea addatur differentia ſuperior, illa ſuperfluit, vt ſi dicas homo eſt ſubſtantia rationalis, ſenſibilis. Ly, *ſenſibilis*, ſuperfluit, at non

ſuper-

ſuperflueret, niſi cótineretur in rationali, continetur igitur.

Ratione probatur. Primo, hæc eſt optima conſequentia omnis homo eſſentialiter eſt ſenſibilis, omnis homo eſſentialiter eſt rationalis, ergo rationale eſſentialiter eſt ſenſibile: eſt enim in, *Darapti*, ergo ſenſibile, quod eſt differentia ſuperior, prædicatur de rationali differentia inferiori & in illa includitur. Secundo, ſi differentia inferior non includeret ſuperiorē, maxime quia eſt conceptus ſimplex, & non poteſt cōponi nec reſolui in plures alios, ſed conceptus generis eſt etiam conceptus ſimplex & tamen includit genera ſuperiora, vt animal includit viuens & corpus, includet ergo differentia inferior ſuperiores differentias.

Oppoſita tamen ſententia omnino verior eſt, differentiā, ſcilicet inferiorē nō includere ſuperiorem, eſt expreſſa ſentētia Ariſt. 4. lib. Top. cap. 2. & S. Th. 1. cōtra gētes c. 17. Scoti in 4. diſt. 11. quęſt. 3. & 7. Meth: q. 17. Ant. Andr. eodem lib. q. 15. Docet Sueſſanus. q. 16. Zimara Nimphus, Caprelus, Fōſeca, Villalp. & alij recētiores communiter. Poteſtq; probari ex rationibus quibus oſtendimus differentiam non includere genus, ſi enim rationale nō includit animal, neq; includet ſenſibile, ſed peculiariter probatur. Primo, ſi rationale formaliter includeret ſenſibile, non eſſet homini principium ſolum differendi ab alijs animalibus, ſed etiam cōueniendi, quia in ſuperiori differentia nēpe ſenſibili omnia animalia conueniunt, at hoc eſt contra rationem differentiæ, quę vt vidimus tertia definitione Porphirij, ſolum eſt principium faciens differre ſpeciem ab his cum quibus in genere conueniebat. Secundo, rationale per te includit ſenſibile, oportet ergo vt præter ſenſibile aliquid dicat ſpeciale conſtituens id, quod ſenſibile non poteſt conſtituere, nempe hominem faciens illū differre ab alijs ſenſibilibus, de hoc ergo gradu quem ſupra ſenſibile addit rationale, inquiram, an eſſentialiter includat ſenſibile, nec ne, ſi non includit, habeo intentum, & illa erit propria, & vltima differentia hominis, quæ non includit eſſentialiter ſuperiorē, ſi vero dicatur includere, idem argumētum factum poteſt rurſus fieri de illo ſpeciali gradu pręter ſenſibile, de quo ſemper inquiram eodem modo, an includat eſſentialiter ſenſibile nec ne, & ſic in infinitum.

Digitized by Google

dum omnino ſimplicem ſicut differentia.

Ad loca Ariſtot. Reſpondetur, illa verba Ariſtotelis ſciſsio pedis eſt pedalitas, nõ ſic eſſe intelligenda vt vnam de altera prędicet formaliter, ſed ſenſus eſt, animal prout habens pedes, per ſe diuidi per pedes ſciſſos & non ſciſſos, vel ſecundo ſumpſiſſe differentiam non formaliter, ſed materialiter. Eodẽ modo Reſpondetur, ad ſecundum locũ, differentiam vltimam primo loco poſitam materialiter ſumi debere; & ſic ſuperiores includere. Si enim illa ſubſtantiam quæ eſt genus ſuperius, ad ſuam ſpeciem trahat, id facere non poteſt niſi cum omnibus differentijs ſuperioribus. Vel ſecundo, additionem differentiæ ſuperioris poſita differentia vltima eſſe nugatoriam, non quia gradus ille formaliter includat ſuperiores, ſed arguitiue aut præſuppoſitiue, vnde recte arguit, rationale additum ſubſtantię, ſubſtantiam illam eſſe viuentem ſenſibilem, &c.

Ad primam rationem Reſpondetur, conſequentiam bonam eſſe, quia ratione illius particulæ, *eſſentialiter* illa indefinita propoſitio æquiualet vniuerſali, vnde ille Syllogiſmus virtualiter eſt in *Barbara*, ac proinde idem, ac ſi diceretur omnis homo eſt ſenſibilis, omne rationale eſt homo, ergo omne rationale eſt ſenſibile, vbi conſtat rationale, & ſenſibile materialiter ſumi. Secundo Reſpondent aliqui, in forma Syllogiſtica oportere quidẽ concluſionem ſtare in veritate cum præmiſsis, ſed non ſemper in eodem ſenſu vt hoc exemplo omnino ſimili poteſt probari. Omnis homo eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, ergo riſibile eſt animal, cuius præmiſſæ verę ſunt in ſenſu formali, concluſio vero non poteſt eſſe vera niſi in ſenſu materiali. Mihi tamen ſemper videtur materialiter ſumi riſibile aut rationale, qui ſunt termini in concluſione adducti, non enim maior & minor extremitas in concluſione coniunguntur, niſi prout in medio, homine ſcilicet, coniungebantur, prout autem in homine, aut homo ſunt, materialiter ſumuntur licet in prędicatione formali, optime enim poſſunt aliqua ſine præciſsione prædicari, & prædicari formali prædicatione.

Sed

Sed vt alia ſoluatis, notandum eſt, nullam eſſe ſpeciem quæ ſufficienter vnico gradu ſimplici ab omnibus alijs non diſtinguatur, aliquādo tamē, quia gradus iſte occultus eſt, per coniunctionem duarum differētiarum vnam ſpeciem ab alijs ſolemus diſtinguere. Tunc autem complexio aut compoſitio tantum erit in voce, res enim aut gradus reſpondens ſimplex eſt neceſſario.

SECVNDA PARS DISPVtationis.

De differentia vt vniuerſalis, & prædicabilis eſt.

POſtquam de differētia ſub ratione differētiæ dictum eſt, dicamus oportet modo de eius vniuerſalitate, ex qua tanquam paſsio oritur prædicabilitas, de qua etiam poſtquam de eſſentia & vniuerſalitate egerimus brebiter commodius & facilius differemus.

QVÆSTIO. I.

Quid ſit differentia vt vniuerſalis.

LIcet Porphirius vltima definitione quam tradit, ſcilicet differentiam eſſe eſſentialem rei partem, diuidentem ea quę ſunt ſub eodem genere eam eſſentialiter definierit, eſt enim de ratione differētiæ proprijſsimę, quod ſit eſſentialis rei quam componit vt pars Metaphyſica, vt capite de genere dictum eſt, pars (inquam) genus determinans ad aliquam ſpeciē, ac proinde ea quæ ſunt ſub eodē genere differre faciēs: nō tamē adhuc formaliter, vt vniuerſalis definita eſt, definietur ergo ſub hac ratione ſi dicamus. Eſſe vnum in multis in quale eſſentialiter. Prima definitionis parte, ſcilicet eſſe vnum in multis cum reliquis conue

Digitized by Google

nitur prędicabilibus,per alias autem partes differt (vt ex ſupradictis facile conſtabit cuiq;) Sed contra obijcies; differentia eſt gradus ſimplex, & incompoſitus,ergo non habet partes, per quas definiri queat.Conſequentiam probo, quia definitio datur per genus, & differentiam, ſed differentia hac partium compoſitione caret: carebit ergo definitione.Reſpondetur,quod licet differentia fundamentaliter ſit gradus ſimplex, & incōpoſitus: formaliter tamen eſt concretum quoddam ſecundo intentionale, veram habēs rationem ſpeciei,& vniuerſalis;ac proinde vero genere, & differentia conſtantis,(vt quęſtione de diuiſione differentiæ in communem,propriam, & proprijſsimam proportionaliter dictum eſt) ſicut enim differentia V. g. communis, denominata a ſecunda intentione faciēdi differre communiter,ſeu proprius ſecunda illa intentio, vt denominat naturam, habet rationē ſpeciei, ita ſecunda intentio vniuerſalis,vt naturam differentialem vniuerſalē denominat, habet rationem ſpeciei vniuerſalis, & tertij prædicabilis,ac proinde vt ſic optime poteſt definiri.

Neque obſtat, quod definitur per aliam differentiam, quia illa intrat definitionem materialiter,& *vt quod*,vt gradus quidam ſimplex eſt, vt etiam quæſtione citata explicui ex cuius doctrina, cætera quæ hic poſſunt obijci, ſoluuntur facile.

QVÆSTIO II.

Vtrum differentiæ vniuerſalitas in differentia ſubalterna & infima, ſit eiuſdem rationis aut ſpeciei.

SEnſus eſt,an rationale V.g. & ſenſibile,quarum differētiarum prima, tantum differentibus numero communis eſt,& ſecunda pluribus differentibus ſpecie,in ratione dif-

Digitized by Google

ferentiæ vniuerſalis, propter hoc ſpecie differat nec ne. Ex quo oritur primo maxima dubitandi ratio, quam ſic formo. Prædicari de pluribus differentibus ſpecie *in quid*, & prædicari de pluribus differentibus numero *in quid* diuerſa conſtituunt prædicabilia; ſcilicet genus, & ſpeciem: ergo prædicari de pluribus differentibus ſpecie *in quale quid*, & de pluribus differentibus numero, *in quale quid*, diuerſa etiã conſtituent prædicabilia differentiæ: at differentia ſubalterna de pluribus differentibus ſpecie infima, aut de pluribus differentibus numero *in quale quid* prædicantur, diſtinguentur ergo ſpecie, ac per cõſequens nõ erunt eiuſdẽ rationis in ratione vniuerſalis. Secundo, relationes diſtinguũtur ſpecie per terminos: at differentia ſubalterna, & infima, ad terminos ſpecie diuerſos referũtur: ſubalternæ enim habent pro termino ſpeciem ſubalternam, & inferiora ſub illa contenta, quæ ſunt ſpecies infimę: differentia autem infima habet pro termino ſpeciẽ infimã, & inferiora ſub illa cõtenta, plura ſcilicet differentia numero: ſed hi diſtincti termini ſunt: vt patet in genere, & in ſpecie, ergo, &c. Tertio, magis differt differentia infima a ſubalterna; quam ab alia infima, ſed ab alia infima differt numero, ergo a ſubalterna plus quam numero diſtinguetur, ergo ſpecie. Quarto, quæ differunt definitione, differũt in eſſentia, quia definitio explicat eſſentiam; ſed iſtæ duæ differẽtiæ differunt definitione, quia vna de pluribus differentibus ſpecie, alia de pluribus differentibus numero *in quale quid* prædicatur. ergo, &c.

Sed reſpõdebit aliquis huic argumento. Ea quæ differunt definitione eſſentiali, differre in eſſentia, non vero ea quæ accidentali diſtinguũtur definitione, ſed prædicari de pluribus differentibus numero & ſpecie, accidit differentiæ vniuerſali vt videbimus, ergo hæ definitiones per accidentalia non vero per eſſentialia dantur. Contra argumentor, quia licet dari per definitionẽ omnino accidentalẽ non variet ſpeciem, dari tamẽ per deſcriptiuã variat abſq; dubio, quia ea quæ diſtinctas habẽt paſsiones, diſtinctas habẽt & eſſentias, ſed definitiones iſtarũ differẽtiarũ deſcriptiuæ ſunt, tum quia dãtur per prædicabilitatẽ de pluribus, tũ etiã quia definitiones omniũ prædicabiliũ fatẽtur authores eſſe deſcriptiuas, ergo ſi diſtinctas habẽt paſiones, diſtinctas habebũt harum

rũ radices, ſcilicet eſſentias.

In contrariũ autem eſt communis Authorũ ſententia, aſſerentiũ. Vniuerſalitatẽ differentiæ infimæ, & ſubalternæ, eſſe eiuſdẽ ſpeciei. Fundamentũ huius ſententiæ eſt: quia ratio differentiæ eſſentialis, tantũ eſt quod reſpiciat plura habens rationẽ partis eſſentialis formalis, quod autem hæc plura ſpecie, aut numero differãt, accidit rationi differentię, vnde differentia infima, & ſubalterna (cum ratione eſſentiali, ſcilicet in hoc quod eſt reſpicere plura per modum partis formalis conueniãt, tantumq; accidentaliter per hoc, quod eſt reſpicere plura numero vel ſpecie differẽtia, differãt) eiuſdem rationis eſſentialis, in ratione differentiæ erunt.

Secundo probatur, quia ſi hæ duæ differentiæ ſpecie differrent, quia vna de pluribus ſpecie, alia vero numero differentibus prædicantur, ſequitur etiam genus ſubalternũ, & infimum, ſpecie diſtingui quamuis vtrumq; dicatur de pluribus, per modum partis eſſentialis materialis. Probatur ſequela: quia ideo non diſtinguuntur hæc duo genera, quia vtrumq; prædicatur per modum partis eſſentialis materialis, licet termini, ſeu ſpecies ſubalternæ, & infimæ, de quibus prędicantur, ſufficienter poſsint illa ſpecie diſtinguere: ergo licet inferiora, de quibus prædicantur differenrentia ſubalterna & infima, vt ſic poſsint illas ſpecie diſtinguere, quia tamẽ vtraq; prædicatur per modũ partis eſſentialis formalis, cui accidit plura ſpecie, vel numero differentia reſpicere, tantũ diſtinguẽtur accidentaliter; vel ſi eſſentialiter, genus etiã ſupremũ, & infimum eſſentialiter diſtinguentur. Tertio, quia ſequeretur, ſex eſſe prędicabilia (cum à Porphirio quinq; tantũ ſint enumerata) immo ſequitur, quod ex quinq; vniuerſalibus enumeratis ab illo, duo tantũ priora eſſent ſpecies infimæ, cætera autem genera ſubalterna, quia ſicut in differẽtia, ita in proprio, & in accidenti poteſt dari proprium, V. g. ſubalternum, & infimum: proprietas enim animalis ſubalterna erit, hominis autem infima.

Sed contra hanc communẽ ſententiam adhuc argumentor primo vrgenter. Differẽtia eſt ſuperior & vniuerſalis reſpectu ſuorum inferiorum tantum, vt infradicam; ſed in inferioribus non eſt per modũ partis formalis, ſed per modũ totius, alias non erit in illis vt vniuerſalis; immo ſi aliquomo

do eſſet per modũ partis, hoc erit per modum partis materialis & contrahibilis per differentiam aliam horum individuorum particularem, rationale enim in Petro, potius habet ratioñe contrahibilis per Petreitatem (vt ita dicam) ad hoc rationale, quã cõtrahẽtis: ergo, ex duplici capite differẽtia per modum partis formalis non habet rationẽ vniuerſalis, tũ quia vniuerſale reſpicit inferiora vt totum, nõ vt pars, tum, quia non vt pars formalis, ſed naturalis. Reſponderi ſolet ad hanc vltimam partẽ argumenti (quia primam non video ſolutam) differentiam etiam in his inferioribus habere rationem partis formalis non reſpectu alterius differentiæ, vt recte probat argumentũ ſed reſpectu generis, quod ſemper habet rationem materialis etiam in inferioribus in quibus eſt: ſicut ergo genus in quocumq; inferiori dicitur eſſe per modum partis materialis, reſpectu differentiarum a quibus contrahitur, ita quælibet ex differentijs contrahentibus dicitur eſſe in inferioribus, per modum partis formalis reſpectu generis quod contrahit. Sed cõtra adhuc vrgeo, licet differentia in inferioribus ſit, per modũ partis formalis non habet reſpectu inferioris, nec vt reſpicit illa, ſed vt reſpicit genus; ſed illud quod non habet differentia reſpectu inferiorum, nihil facit ad vniuerſalitatem, quia hæc in ordine ad inferiora ſumenda eſt: ergo quod ſit per modum partis formalis, vel non ſit, nihil facit ad vniuerſalitatem differentiæ. Ideo in hac re dubius hæreo & hinc me vocat authoritas, illinc ratio, ſatisfaciamus tamen vtrique eo modo quo fieri poteſt.

Dico primo in hac quæſtione. Probabile multum eſt differentiam ſubalternam & infimam, in ratione vniuerſalis ſpecie differre. Hoc probant ſufficientiſsime ea quæ a nobis circa hoc adducta ſunt, neq; Porphirius eſt contra nos in hac parte, ille enim tantum meminit differentiæ ſubalternæ, vt patet in textu in definitione illius, immo neq; alius quilibet: poteſt enim dici optime eſſe quinq; ſpecies vniuerſalis, licet aliquæ earum ſubalternæ ſint, ac proinde in alias duas ſpecies diuidi queant. Per quod manent ſolutæ prima & vltima ratio contrariæ ac communis ſententiæ. Ad illud autem quod de genere ſubalterno & infimo dicitur. Reſpondetur, diſparem eſſe rationem, quia quodlibet eorum vere prædicatur de ſpecie-

ciebus, non autem de indiuiduis. Differētia autem infima de indiuiduis tantum, non vero de ſpeciebus prædicatur, & ſimiliter ſubalterna de ſpeciebus tantum, non vero de indiuiduis, ſed quia ſine ſingularitatis nota, quam fugio, non poteſt non communis ſententia defendi. Ideo.

Dico ſecundo, differentiam ſubalternam & infimam in ratione vniuerſalis ſpecie nō diſtingui, manet probata ex ſupradictis: & confirmabitur ex ſolutione argumentorum. Sed quia ſolutio omnium argumētorū pendet ex prima ratione adducta pro hac ſententia, ad duo argumenta quæ contra illam feci. Reſpondetur, quod licet vniuerſalitas vt ſic, omnino reſpectu inferiorum attendi debeat, vniuerſalitas tamen, vt talis eſt, nō eſt neceſſe, quod ſumatur omnino in ordine ad inferiora; ſed ſufficit quod vniuerſale ſit vnum, & totum in ſuis inferioribus, habens tamen rationem partis reſpectu generis, ſicut in definitione generis dicitur, eſſe vnum in multis ſpeciebus, per modum partis materialis & contrahibilis. Ecce ly *contrahibile* quod conſtituit genus in eſſe talis vniuerſalis, non ſumitur in ordine ad inferiora, ſed ad differentias, per quas contrahibile eſt. Addo, & explico magis hoc: quia licet hoc quod eſt eſſe præciſſè formam ſeu partē formalem, ſit reſpectu generis, at totum hoc quod eſt eſſe in multis, tanquam partem contrahentem genus, hoc inquam totum in inferioribus eſt, & ab inferioribus participatur, ſicut licet potentia viſiua ſit potentia reſpiciens aliquid extra hominem, & dicens reſpectum ad colorē qui in alijs corporibus eſt, hæc tamē potētia viſiua reſpiciens aliquid extra hominem, tota eſt in homine, & (ſi ita licet loqui) hominem redit hunc videntem; ita licet differentia ſit pars reſpiciens genus: hæc tamen pars genus reſpiciens, in inferioribus eſt, & ab illis participatur per modum totius. Itaq; quod ſit vniuerſale, habet ex eo quod reſpiciat plura per modum totius; quod vero ſit tale vniuerſale, habet ex eo quod iſtud totum poſſit habere rationem partis reſpectu generis.

Vnde ad primum argumentum alterius ſententiæ Reſpōdetur iam facile. Genus & ſpecies non eſſe duo vniuerſalia, eſſentialiter diuerſa, ex eo præciſſe quod genus ſpeciebus, & ſpecies ſolis indiuiduis communis ſit, ſed ex eo quod genus eſt vnum in multis, per

modum partis materialis, in ſenſu explicato: ſpecies vero per modum eſſentiæ complete & integræ; vtraque autem differentia per modum formalis partis eſt, vnde eiuſdem rationis & ſpeciei ſunt.

Ad ſecundum Reſpondetur. Differentiam ſubalternam & infimam eſſentialiter non reſpicere plura differentia ſpecie, aut numero, quatenus taliter differunt, ſed quatenus in eis includitur per modum partis formalis: vnde termini illarum vt ſic, ſpecie non differunt.

Ad tertium Reſpondetur. Magis diſtingui differentiam infimam a ſubalterna, quam ab alia infima accidentaliter, non eſſentialiter; ſicut genus medium, magis a ſupremo, quam ab alio medio differt.

Ad quartum, recte ibi reſponſum eſt. Ad replicam dico. Abſolute definitiones illas accidentales eſſe, non præciſſe, quia dantur per prædicabilitatem, ſed quia dantur per prædicabilitatem de pluribus numero, vel ſpecie differentibus: quod accidit differentiæ vt ſic. Addo tamen definitionem differentiæ ſubalternæ eſſe deſcriptiuam reſpectu illius vt ſubalterna eſt, & idem de infima.

In calce huius quæſtionis, vt ea quę de vniuerſalitate differentiæ dicenda ſunt, completa maneant. Dubium eſt. Vtrũ vniuerſalitas differentiæ in ordine ad ſpeciem, vel in ordine ad indiuidua, vel in ordine ad vtrumque ſimul, ſumatur.

Pro quo in hac quæſtione. Dico tertio. Differentiæ vniuerſalitas in ordine tãtum ad indiuidua attendi debet. Probatur vrgentiſsime. Non attẽditur in ordine ad ſolam ſpeciem quam conſtituit, neque in ordine ad ſpeciem ſimul cũ inferioribus, ita quod ex ſpecie & inferioribus ſub illa cõtentis vnus totalis terminus componatur, ergo tantum in ordine ad indiuidua ſumenda eſt. Primam antecedentis partem probo. Vniuerſalitas eſt ordo non vnius ad vnum, ſed vnius ad plura: eſt enim vniuerſale vnum in multis, ſed ordo differentiæ ad ſolam ſpeciem eſt vnius ad vnum, non ad plura, ergo. Addo. Ratio vniuerſalis eſt ratio ſuperioris, ſed differentia nõ eſt ſuperior ad ſpeciem quam conſtituit, ſed conuertibilis cum illa, ergo non eſt vniuerſalis reſpectu eius. Ex quo probo ſecundã antecedentis partem. Species ſola non eſt inferior, ergo ſpecies cum indiuiduis ſimul nõ erit inferior, hoc enim nullam

Digitized by Google

ei tribuit inferioritatem, ſed ſemper manet ſpecies cum differentia conuertibilis.

Contra primo. Species vt ſubijcitur differentiæ immediate, continet multa, ergo ſufficit hoc, vt differentia reſpectu illius ſit vniuerſalis. Reſpondetur primo. Quod natura vt eſt ſpecies ſubijcibilis, non eſt vniuerſalis poſitiue, nec reſpicit poſitiue multa. Addo tamẽ ſecundo. Quod etiam ſi multa contineat, continet tamen implicite, vt vnum, vniuerſale autem de pluribus explicite prædicari debet.

Obijcies ſecundo. Ratio huius tertij vniuerſalis fundatur in ratione differẽtiæ, ideoque de illo vt ſic, in præcedentibus plura dicta ſunt, ſed differentia habet differentiæ rationem primario & per ſe in ordine ad ſpeciem, ergo & rationem vniuerſalis in ordine ad illam habebit. Reſpondetur negando conſequentiam, nam quamuis ratio vniuerſalis fundetur in ratione differẽtiæ, nõ eſt neceſſe quod reſpectu eiuſdẽ dicatur vniuerſale, reſpectu cuius dicitur differentia, ſed differentia dicitur reſpectu eius quod conſtituit, & facit differre, vniuerſalis autẽ reſpectu inferiorum, quæ ſub ſpecie a ſe conſtituta, continentur, quia tantum reſpectu illorum ſuperioris habet rationem, ſicut ratio generis fundatur in ratione potentiæ contrahibilis per plures differentias, hanc autem rationem habet reſpectu differentiarum, licet rationem vniuerſalis non niſi reſpectu ſpecierum, quæ ex illa contractione reſultant. Poſſet tamen melius dici, rationẽ iſtius vniuerſalis non fundari in ratione differentiæ præciſſe, quatenus ſpeciem differre facit, ſed quatenus talis natura eſt, quæ in multis ſub ſpecie quam facit differre contentis reperiri poteſt, ſicut etiam de genere, nõ enim exiſtimo fundamentum vniuerſalis eſſe naturam præciſſe, quatenus contrahibilis potentia eſt, ſed quatenus hæc natura (rationem habens potentiæ) in multis etiam ſpecie differentibus reperiri poteſt.

QVÆSTIO VLT.

An recte deffinita ſit a Porphirio differentia vt prædicabilis.

TAntum inquirimus modo de ſecunda definitione a Porph. adducta: ſcilicet. Differentia eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid, an recta ſit. Et quidem definitio hęc, vt conſtat ex dictis præcedenti quæſtione, reſpectu differentiæ in communi, non eſt deſcriptiua, poteſt autem deſcriptiuè per prædicabilitatem definiri ſic. Differentia eſt quæ prædicatur de multis in quale ſecundum eſſentiam, quæ eſt eadem cum definitione Porphirij, ſi tantum ly *differẽtibus ſpecie* detrahatur, quod etiam nonnulli exiſtimant non eſſe partem definitionis, ſed adhibitum fuiſſe exempli cauſa, ad explicandam traditam definitionem. Vnde dicunt, ſenſum eſſe. Differentia eſt quæ dicitur de multis in quale quid, vt differentia intermedia quę de multis ſpecie differentibus enunciatur, ſed quid de hoc ſententiam, dicam infra. Prædicatur autem differentia in quale, quia prædicatur per modum adiacentis alteri, vt iam explicui, & quia hoc quod eſt adiacere, propriјſsime conuenit qualitati, ideo dicitur prædicari in quale, & ideo etiam differentia ab Ariſt. 5. Meth. cap. 14. tex. 19. Differentia eſſentialis, prima rei qualitas nuncupatur: & certe ly *quale quid*, idem eſt quod per modum partis formalis, & contrahentis; rationale enim conſtituit ſpeciem vt quid contrahens, & determinans genus.

Quod ſi obijcias primo. Senſibile quando prædicatur de homine & equo, eſt forma, nō quidem contrahens, immo cōtrahibilis per differentiam equi & hominis: & tamen prædicatur in quale, quia eſt differentia, ergo hoc quod eſt prædicari in quale, nō eſt quia eſt forma contrahens. Reſpondetur ſenſibile poſſe dupliciter ſumi, materialiter, quatenus eſt idem quod animal, & vt ſic non eſt differentia, ſed eſt forma contrahibilis, ſicut ipſum genus per differentias ſpecierum; ſi vero ſumatur pręciſſe pro gradu ſenſibilitatis, vt ſic, eſt forma contrahens, &

vt

Digitized by Google

vt ſic eſt differentia, & vt ſic non contrahitur per differentias inferiores, quæ non contrahunt differentias ſuperiores, ſed genus. Eſt igitur ſenſibile, forma contrahens viuens conſtituēſque adæquate animal; hominem autem, aut equum, licet inadæquate in ratione hominis aut equi conſtituat; conſtituit tamen adęquate in ratione animalis.

Quod ſi obijcias ſecundo. Modos intrinſecos entis ſcilicet eſſe per ſe, & in alio, prædicari in quale quid, quia ad quæſtionem factam quale ens eſt homo reſpondetur ens per ſe, aut in alio. R. & hāc prædicationē eſſe Analogi, & 2. prædicari in quale quoad rē ſignificatā non quoad modum prędicandi ſicut differentia.

Quod ſi obijcias tertio. Ly *quid* non dicit prædicari eſſentialiter. Porphirius enim capite de genere accidentia quæ abſq; dubio eſſentialiter prædicantur, afferit etiam prædicari in quale quid. Reſpondet Caietanus in prædicta definitione non explicari prædicationem differentiæ eſſe eſſentialem, ſed hoc vt clarum, fuiſſe omiſſum. Sed ſi hoc eſſet verum, ſimiliter, immo verius in definitionibus generis aut ſpeciei, vt clarum relinqui poſſet: ac proinde in nulla horum trium prædicabilium definitione hoc explicari. Melius ergo Reſpondetur ſecundo. *Quale quid* poſſe ſumi dupliciter, primo ita vt *quale quid*, idē ſit quod *quale aliquid*, *quid* enim, aliquando idem eſt, quod *aliquid*, & in hoc ſenſu ſumitur capite de genere. Secundo modo poteſt ſumi pro eo quod eſt quale eſſentiale, & in hoc ſenſu ſumitur in præſenti.

Accedamus iam ad præcipuum dubium huius quæſtionis an ſcilicet Porphirius prædicta definitione, non tantum ſubalternam differentiam, ſed etiam infimā definierit. Quod enim ſubalternam tantum, pātet, quia infima non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ſed tantum numero. Et quidem Doctores in huius rei ſolutione varij ſunt. Primo, enim aliqui; de quorum numero ſunt Cardin. Caiet. in commentario huius capitis, & Magiſter Sotus q. 1. de differentia, ad ſecundum aſſerunt hāc definitionem conuenire differentiæ infimæ, per non repugnantiam; ita vt ſenſus ſit, differentiæ vt ſic præciſſe non repugnare quod prædicetur de pluribus differentibus ſpecie. Hanc explicationem laudat Caiet. quæ (etiā teſte Toleto) ſententia fuit Iamblici, antiquiſſimi

ſimi Philoſophi, & Auicenæ, capite de his quæ tantum quinq; vniuerſalia ſunt.

Sed miror certe tantos Philoſophos huic ſubſcripſiſſe ſententiæ; eſt enim omnino contra rationem. Primo, quia definitio non debet dari per non repugnantiam, ſed per ea quæ poſitiue conueniunt, cum explicet vltimum gradum, per quem aliquid differt ab alijs. Vnde ſi id quod conuenit rei per non repugnantiam, ratione ſcilicet ſui generis, aut ſuæ rationis ſuperioris, omnibus alijs ſpeciebus commune eſt, non poteſt hoc modo vltimus gradus rei definite explicari. Secundo, quia ſequeretur hãc eſſe rectam definitionem, Leo eſt animal rationale, quia licet rationale non ſit de eſſentia illius, non tamen illi repugnat, ſecundum quod animal; ſicut licet infimæ, vt infima, repugnet prædicari de pluribus differentibus ſpecie, vt inquiunt illi, tamen vt differentia eſt, non repugnat. Secundo ſequitur, ſpeciem definiri in definitione generis, quia licet illi repugnet in quantũ ſpecies, non tamen in quantum vniuerſalis. Sequitur tandem, non eſſe maiorem rationem quare hæc definitio per prædicari de ſpeciebus; quam de indiuiduis tradatur, quia ſimiliter dicã, quod licet differentiæ ſubalternæ in quãtũ ſubalterna hoc repugnet, non tamẽ repugnat in quantum differentia.

Sed obijcit pro ſe Caiet. Ariſt. 5. Meth. c. de quãto definiẽtẽ. Quãtũ eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Quæ definitio niſi per nõ repugnãtiã explicetur, quantitati cœli conuenire nõ poteſt, quia illi repugnat, in quantũ talis eſt, diuidi, licet nõ repugnet in quantũ quantitas. Reſpondetur tamẽ. Quod licet quantitati cœli, vt in tali ſubiecto eſt, repugnet actualis diuiſio, quia quando quantitas diuiditur, ſubiectũ etiã ad eius diuiditur diuiſionem, quod cœlo cum indiuiſibile & incorruptibile ſit, repugnat; at diuiſibilitas ſeu aptitudo ad diuiſionẽ, quæ eſt quid poſitiuũ, & per quod datur illa definitio, quãtitati cœli, etiam in quãtũ talis eſt, conuenit, licet diuiſionis actus impeditus ſit ratione ſubiecti: ita quod ſi per impoſſibile quantitas illa ſeparetur a ſubiecto, poſſet optime diuidi, quod fieri nõ poſſet, niſi nũc etiã diuiſibilis eſſet, ſicut intellectui qui eſt in frænetico, etiã vt talis intellectus ſingularis eſt, poſitiue conuenit eſſe diſcurſiuũ & rationabilẽ, licet actꝰ ratione infirmitatis, aut ſubiecti infirmi, impediatur. Reſpõderi ſecundo poſſet:

Digitized by Google

poſſet: diuiſsibilitatē, ſecundū deſignationē tātū eſſe paſsionē quātitatis, vt docuit M. Sotus 1. Phiſ. q. 4. & Caiet. etiā tribuitur. 1. p. q. 7. ar. 3. ad 2.

Alij ſubtilius hoc explicant dicētes. Omnē differētiā prædicari de pluribus differētib9 ſpecie, nō interſe, ſed ab alijs. Differētia enim infima prædicatur de Petro & Paulo, qui, licet interſe ſpecie nō differūt, ab alijs tamen, equo V. g. & Leone, ſpecie differunt, ſed licet ſubtiliter, nō tamen vere. Primo. Quia differētia infima nō prædicatur de Petro & Paulo formaliter, quatenus ſpecie differūt ab equo, ſed quatenus tātū numero differunt interſe. Secūdo. Quia etiā dici poſſet prædicari de pluribus differētibus genere, quia Petrus & Paulus ab alijs, ſcilicet lapide & planta, genere differunt.

Alij tādē probabilius loquūtur, dicētes, Porphiriū tantum definiuiſſe differētiā ſubalternā, ipſe enim aſſerit nō omnes differētias dici depluribus differētibus ſpecie, ſed eas tantū quæ cōſtituūt genera: rationē autē huius redūt, quia differentiæ infimæ occultę nimis & minus notæ ſunt. Vel ſecundo, quia ſubalterna definita, facile erat infimā definire. Addit tertio Fōſec. quia tales indicat ſe attuliſſe definitiones differētiæ, quales repērit inter authores, inter quas, hāc etiam vt iacet, veriſimile eſt reperiſſe. Dicit enim accedendo ad definitiones differētiæ, has autē definiūt hoc modo. Cui ſententiæ ſubſcribo propter D. Th. autoritatē, qui illā aſſerit in 2. li. de demonſtr. cap. 14.

Nihilominꝰ in gratiā Porph. poſſet dici vtrāq; differētiam fuiſſe a Porph. illa definitione definitā. Ducor, quia in textu definiuit differētiā ſic. *Differētia eſt quæ prædicatur de pluribus, & differētibus ſpecie*, ergo etiā de pluribus differentibus numero, ſicut genus quod de pluribꝰ differētibus ſpecie prędicatur, poteſt etiā prędicatione generis, de pluribus differētibus numero prædicari. Similiter, per ly *plures* intelligi optime poſſunt plura numero, proprie enim in illis eſt pluralitas, quia proprie in illis ſunt plures vnitates reales, vnitates autē, & pluralitates ſpecificæ, formaliter nō ſūt, niſi per intellectū. Facit ergo ſenſū hūc. Prędicatur de pluribus numero, immo de differētibus ſpecie in quale quid.

Sed obijcies. Id etiā reperiri in definitionibus generis & ſpeciei. Sed certe in definitione ſpeciei id non inuenio, in definitione autē generis, ſecūdū aliquā translationē id non habetur, licet in aliqua, quam credo eſſe Perionij, id habeat.

Ad

Ad quam reſponderi poteſt: Porphirium voluiſſe etiam explicare, genus non tantum de indiuiduis, de quibus mediate, ſed etiam de ſpeciebus, immediate prædicari. Aliæ definitiones alios explicant reſpectus differentiæ, de quibus in hoc capite præſertim, quæſtione prima ſatis dictum eſt. Et hæc de hoc capite.

CAPVT V.

De Proprio quarto prædicabili.

POST Prædicata eſſentialia agit merito Porphirius de Proprio. Conſequitur enim eſſentiam rei, & immediate ex eſſentiali differentia oritur. Vnde poſt illius tractationem recto ordine id poſtulante, Proprij in hoc capite aggreditur explicare naturã. Eſt autem huius capitis.

SVMMA TEXTVS.

PRopriũ quadrupliciter ſumi poteſt. Primo propriũ dicitur illud ꝙd cõuenit ſpeciei ſoli, ſed non omni indiuiduo, vt eſſe Medicũ, aut Geometram reſpectu hominis. Secundo, quod conuenit alicui ſpeciei, & omni indiuiduo ſub illa contento, non tamen ſoli, vt homini bipedem eſſe. Tertio, proprium dicitur illud, quod competit omni, & ſoli alicuius ſpeciei indiuiduo, nõ tamen ſemper, ſed aliquando & determinato tempore, vt homini caneſcere in ſenectute. Quarto deniq; magis proprie, proprium dicitur illud, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper. Vt homini eſſe riſibilem, quod quidem proprium cum ſpecie conuertibile eſt.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES in Textum.

HAnc eandem doctrinam hic traditam a Porphirio tradit D. Damaſ. cap. 6. ſuę Dialecticæ, & tradit Ariſt. 1. Topicorum cap. 4. ſed fere omnia exempla hic a Porphirio adducta difficultatē habēt, & exemplo quod adduxit in ſecunda ratione proprij ſcilicet eſſe bipedem reſpectu hominis videtur aduerſari Ariſtotelem in Antepræ. cap. 3. & 1. de interpretat. cap. 4. vbi eſſe bipedem pro hominis differentia conſtituit, at ſi alijs cōueniret non poſſet rationem differentiæ habere, ergo, &c. Huic tamen obiectioni occurrit Arciſius in hoc loco ibi bipedem poni ab Ariſt. loco differentiæ propriæ, quia rerum differentiæ latentes ſunt, quod refert Maſ. nec improbat, ſed hoc licet in alijs rebus aliquā habeat probabilitatem hic tamen nullam, tum quia Ariſt. differentiam hominis rationalis ſcilicet non ignorauit. Tum ſecundo, quia etiam ſi illam ignoraret, ſunt multa alia quæ magis ad proprium accedunt vt eſſe riſibilem, &c. quæ poterant ab Ariſt. loco differētię collocari.

Dicendum ergo eſt, quod cum proprium non proprie dicatur proprium, niſi reſpectu illorum quibus non eſt cōmune, illud enim dicitur proprium mihi, quod cum alijs commune non habeo, ideo eſſe bipidem non omnino proprie dicitur proprium hominis, niſi reſpectu & comparatione alicuius alterius animalis quadrupedis equi ſcilicet aut canis, & in hoc ſenſu optime poteſt ab illis per illud differre & ideo loco citato Topicorum Ariſt. hoc proprium appellauit propriū ad aliud, quia proprie non dicitur proprium niſi comparatione illorum in quibus non eſt.

Circa tertium exemplum de canicie, id quod inquit Porphirius omni & ſoli homini, non tamen ſemper conuenire, videtur falſum. 1. q. Ariſt. 5. de generatione animalium c. 3. & 5. non ſolus homo caneſcit, & Plinius lib. 11. naturalis hiſtoriæ

riæ cap. 37. hoc canibus, equis lupis, & alijs etiam animalibus aſſerit conuenire. Secũdo hoc idem probatur ratione, quia non tantũ in homine, ſed etiã in his & in alijs animalibus cauſa veræ caniciei reperitur, reperitur ergo & effectus eius. Antecedens probo ex eodem Ariſt. loco citato cap. 4. cauſa veræ caniciei eſt humor putreſcens in radicibus capillorum qui vi caloris naturalis iam multum exiſtincti, & conſumpti, cõſumi nequit, ſed hic humor putridus in lupis & in equis non minus quàm in homine reperitur, immo vt notauit recte Maſius lupi ex nimia voracitate languidum nimis reddunt naturalem calorem, vnde magis huius excrementitiæ humiditatis generari in illis poteſt, & minus a calore naturali conſumi. Reſpondetur tamen, quod licet hoc in rigore & omnino Metaphiſice loquendo ita ſit, at tamen in exemplis non ita acuratam veritatem requirunt Philoſophi, ſecundum illud exemplorum non requiritur veritas, & ita propoſuit Porphirius exemplum non ex omni parte verum, ſed quia & hominum canicies, & tempus magis nobis eſt nota, quam tempus & canicies aliorum animalium nec caniciei nomen alijs animalibus commune eſt.

DISPVTATIO IX

De proprio quarto prædicabili.

MVltipliciter hæc vox proprium ſolet ſumi. Sumitur enim primo, prout diſtinguitur contra improprium ſeu Metaphoricum, ſecundum quod riſus improprie pratis dicitur conuenire, proprie autem homini. Apud Platonem etiam ſumitur pro eo quod eſt optimum. Apud Ciceronem pro eo quo quis fruitur, vel vtitur, & apud Iuris peritos varijs etiam ſumitur modis, in poſſeſsionibus & rerum dominijs: ſolet etiam ſumi proprium prout diſtinguitur a communi, qua ratione illud

lud dicitur proprium alicuius quod illi ſoli & non alijs conuenit, quod inquam illi cum alijs non eſt commune, & hinc promanauit nomen proprietatis & proprietarij ad explicandum id quod contra paupertatis votum aliquis ſibi, id quod debebat eſſe commune, apropriando vſurpat. Hoc autem proprium quod a communi diſtinguitur, dici ſolet de his quæ ſunt omnino intra eſſentiam rei. Qua ratione definitio eſſentialis, proprium ab Ariſtot. 1. Top. cap. 3. nuncupatur. Dicitur etiam proprium hoc modo de his quæ extra eſſentiam rei ſunt, illam tamen neceſſario conſequuntur vt de proprijs paſsionibus quæ proprie propria dicuntur, in qua acceptione ſumitur in præſenti. Sed quia ratio formalis proprij, diſtincta eſt ab vniuerſalitate eius, immo ratio proprij vt ſic in hoc quod nulli alteri ſit communis, conſiſtit, cum tamen ratio vniuerſalis in hoc quod eſt pluribus conuenire ſita ſit, prius in hac diſputatione de proprio, ſecūdum rationem formalem proprij agemus, acturi ſtatim in eadem diſputatione de eo ſecundum rationem vniuerſalis.

QVÆSTIO I.

In qua quæ Proprio, vt ſic, propria ſunt, per aliquot dubia examinantur.

LIcet de proprio nonnulla explicanda ſint, quia tamen brebiter expediri poſſunt per dubia quædam hac prima quæſtione contenta examinabuntur.

DVBIVM PRIMVM.

Secundum quam acceptionem harum quatuor proprium pertineat ad hoc quartum prædicabile.

PRO Explicatione notandum eſt, quod ſi de proprio loquamur ſecundum quod dicit non eſſe alijs commune, ſed peculiare alicui, a ratione huius propriæ acceptionis tantum degenerat proprium ſecundo modo ſumptũ, quod ſcilicet omni & ſemper conuenit non tamen ſoli, vt homini bipedem eſſe, cum enim ſolitudo (vt ita dicam) ſit de ratione proprij hoc modo ſũpti, & proprium ſecundo modo excludat ſolitudinem (dicit enim non conuenire ſoli) excludetur etiam a ratione proprij, ſecundum hanc acceptionem, ſecundum quam propriũ primo, tertio & quarto modo ſumpto, vere dicitur propriũ, vt eſſe Medicum conuenit ſoli homini, & canicies in ſenſu explicato, præcipue quia hãc adduxit Porphirius pro exemplo illius quod competit omni & ſoli, licet non ſemper. Riſibile etiam perſe patet hanc apropriationem & vt ſic dicã ſolitudinem ſibi vẽdicare. Poſſumus etiam loqui de proprio vt eſt capax vniuerſalitatis quarti huius prædicabilis, & hoc modo non poteſt conuenire ratio proprij, proprijs in prima & tertia acceptione ſumptis, etenim eſſe Medicũ aut caneſcere, non conuenit neceſſario. Primum enim non conuenit omni, & tertium nõ conuenit ſemper, ac proinde nõ neceſſario, neceſsitate præcipue requiſita ad proprium, vt in ratione prædicabilis a quinto prædicabili (accidenti ſcilicet) communi diſtinguitur. De proprio autem ſecundo modo ſumpto, quia conuenit ſpeciei & omni indiuiduo, probabilis ſententia eſt eſſe capax vniuerſalitatis huius quarti prædicabilis, ſed de hoc quæſtione ſequenti.

Poſſumus autem loqui de proprio vt eſt accidens ab eſſentia dimanans, & hoc modo poteſt quodammodo dari aliquod accidens ab eſſentia dimanans,

manans, quod non ſit propriũ quarto modo, ſumma enim frigiditas in actu reſpectu aquæ poteſt dici ab eſſentia illius dimanare, (oritur enim ex principijs intrinſecis illius naturę) etenim ſi ſolum eſſet accidens commune, non tantum eſſe poſſet ſine illo, ſalua eius eſſentia, ſed etiam cũ ſuo oppoſito, ſummo ſcilicet calore, quod tamẽ eſt impoſsibile. Hoc igitur accidens ab eſſentia dimanans conuenit ſoli naturæ aquæ, licet non omnibus indiuiduis, vnde vt ſic ad proprium primo modo videtur pertinere, ſic enim cõſequitur naturã vt poſsit ab aliquo contrario remitti. Quod ſi omni ſeparato extrinſeco & contrario, frigiditas in actu reſpectu aquæ cõſideretur, erit propriũ quarto modo, quia vt ſic conuenit omni & ſoli & ſemper, & quia hoc poſterius habet ex principijs intrinſecis, licet ab extrinſeco hæc frigiditas ſit remiſsibilis, potius ad propriũ quarto modo, quam ad proprium primo modo dicetur pertinere.

Proprium igitur quarto modo ſumptum, in omni acceptione proprium eſt. In ratione proprij, vt dicit aliquid peculiare, vt ſic dicam cum ſolitudine & apropriatione, quia conuenit ſoli: in ratione capacis vniuerſalitatis, quia conuenit omni: in ratione deniq; accidentis ab eſſentia dimanãtis, quia conuenit ſemper, vt riſibile, neq; à contrario propriè manente ſubiecto lædi poteſt, quod non habet frigiditas in aqua.

Ex quo fit, diuiſionem hanc proprij in has quatuor acceptiones eſſe analogi in analogata. Sic Louanienſes in præſenti: fauet Boecius & indicat Caiet. & alij. Probatur primo ex Porphirio hic & ex Ariſt. 1. Topicorum c. 4. qui proprium quarto modo ſimpliciter & abſolute proprium appellant, alias autem proprij acceptiones cum addito, ſcilicet proprium ad aliud, vel proprium quando, ſiue aliquando, vel cũ conditionali, ſi forte propria dicantur. Ratione conſtat ex dictis, quia proprium quarto modo perfectiſsime habet proprij conditiones vt vidimus, alia vero non niſi per analogiam & participationem, primum enim habet conuenire ſoli non tamen omni, ſecundũ habet conuenire omni, non tamen ſoli, tertium habet conuenire omni & ſoli, non tamen ſemper. Dicũtur ergo propria quatenus aliquid participant, degenerantq; à perfecta ratione proprij quatenus aliquo carent.

Digitized by Google

Sed obijcies primo, S. Tho. cap. 7. de ente & eſſentia aſſerentem omne accidens debere dimanare à principijs ſubſtātiæ, ergo quodlibet erit proprium, immo albedo quæ eſt in Petro ex temperamēto ſubſtantiæ Petri dimanat. Reſpondetur, hoc ipſum quod additur ſoluere argumentum, non enim propriū propriè poteſt eſſe quod dependet à peculiari & indiuiduo temperamento, eſt enim accidens ab eſſentia ſpecifica dimanans. S. autē Tho. tantum voluit accidens dicere ordinem ad ſubiectum, quod in ratione inhæſionis actualis & indiuiduationis ſemper eſt hoc numero & ſingulare, ac proinde ab eius principijs indiuidualibus intelligitur dependere. Sed contra. Nigredo Corui oritur ab eſsētia ſpecifica, vt pote quod Coruis omnibus conuenit, & tamen ponitur à Porphirio inter accidentia quæ pertinent ad quintū prædicabile, ergo proprium huius prędicabilis non eſt, quod oriatur ab eſſentia ſpecifica, deberet enim non conuenire indiuiduis alterius ſpeciei, cum tamen plura alterius ſpeciei indiuidua nigra ſint. Reſpondetur. 1. non oriri ab eſſentia ſpecifica vt talis eſt, cū cōueniat alijs nō habētibus illā; quo autē differat accidens inſeparabile à proprio, etiam ſi conueniat omnibus, & ſequenti quæſtione, & ſequenti etiam capite, dicendum eſt. Reſpondetur ſecūdo, negando quod omnibus conueniat, tum quia pulli ſemper albi naſcūtur, tum quia multi Corui viſi ſunt albi in Scithia, vt referunt graues authores & Ariſt. 5. de partibus animalium & 5. de generatione animalium capit. 8. & Scaliger exercitatione 59. capit. 1. hoc idem aſſerunt, & Sypontinus teſtatur ſe Neapoli vidiſſe Coruum album apud Alfonſum Siciliæ Regem tempore Calixti Pontificis Maximi, immo corui iam grandęui viſi ſunt albi & caneſcere, & Caietanus ex Alberto, aſsignat modū quo reducūtur albi. Quod tandem confirmat illud Iuuenalis, Coruo quoq; rarior albo, vbi licet rarum non tamē impoſsibile denotatur, ergo nigredo in Coruo, non ſolum non eſt accidens ab eſſentia dimanans, ſed neq; inſeparabile.

(?)

Digitized by Google

DVBIVM SECVNDVM.

Quomodo Proprium ſub ratione Proprij definiendum ſit.

REprehendunt nõnulli Porphirium, eo quod nullam proprij adduxerit definitionem, immerito tamen tum, quia ex his quæ dixerat, facile erat proprium definire. Tum maximè, quia quarta Porphirij acceptio non tantum eſt ſignificatio, ſed vera & perfecta definitio, ſi tamen illi addas accidens, qua addita particula eſſentialem habes proprij definitionem, ſcilicet. Proprium eſt accidens quod conuenit omni ſoli & ſemper. Dicitur accidēs, ad excludenda omnia prædicata eſſentialia cæteræ autem omnes particulæ ſimul illud ab alijs tribus proprij acceptionibus & abſolute ab accidenti quinto prædicabili cum quibus in accidenti cõueniebat, diſtinguũt, quibus etiã explicatur ab eſſentia dimanare, neq; enim omni ſoli, & ſemper conueniret, niſi ab eſſentia illius rei cui cõuenit, emanaret. Eãdẽ fere definitionem expreſsit recte Damaſcenus in ſua Dialectica c. 6. dicens. Propriũ eſt, quod omni & ſoli ſpeciei ſemper ineſt, vbi ly, *ineſt*, includit primam noſtram particulam, ſcilicet quod ſit accidēs. Quaſi deſcriptiue, poterit definiri proprium, ſi dicatur, Proprium eſt accidens conuertibile cũ ſubiecto, ex hoc enim quod omni ſoli, & ſemper conueniat, ſequitur quaſi paſſio quod cum illo reciprocetur.

Sed contra primo, conuenire ſoli idem eſt, quod non alteri conuenire, ſed hæc eſt negatio, ergo illa definitio datur per negationem, ac proinde non erit eſſentialis. Reſpondetur, quod ly, *ſoli*, modum, quo conuenit proprium ſubiecto ſignificat, qui modus non poteſt à nobis cõcipi, aut explicari ſine illa negatione conſequẽti. Et ita facit hũc ſenſum. Propriũ ſic cõuenit ſubiecto, vt ex modo cõueniẽdi nulli alteri cõuenire poſſe intelligamus, illud ergo quod explicatur, poſitiuum quid eſt, &

DVBIVM TERTIVM.

An ratio formalis Proprij ſit realis, vel rationis.

RAtio dubitandi eſt, quia de ratione Proprij eſt quod conſequatur eſſentiam, & ex illa fluat, & illi ſoli neceſſario conueniat: ſed hoc à parte rei reperitur in illis accidentibus quæ propria ſunt alicuius, riſibilitas enim per ſe conſequitur hominis productionem, & à parte rei ex humanitate fluit, illamq; neceſſario cõmitatur, ergo ratio proprij realis erit. Pro altera parte eſt obiectio adducta. Sed licet communior recentiorum ſententia, rationem Proprij realem eſſe afferat, non rationis. Ego tamen claritatis gratia, duplex diſtinguo Proprium, aliud ſpecificũ, quod conuenit naturę ſpecificæ vt ſic, aliud indiuiduum, & ſingulare, quod ſcilicet ab huius indiuidui & ſingularis indiuidua & ſingulari eſſentia dimanat. Sicut enim differentiã indiuidualem, quæ ſit eſſentialis huic indiuiduo, concedimus, ita etiam Propriũ indiuiduale, quod ab hac oriatur eſſentia, concedendum eſt.

Quo ſuppoſito. Pro reſolutione Dico primo. Ratio formalis Proprij ſpecifici vt ſic, de quo præcipue eſt ſermo in præſenti, non eſt realis, ſed intentionalis. Hoc probat obiectio adducta, quã magis corroboro, ſupponendo, à parte rei, & realiter, non dari, niſi hanc riſibilitatem, ſicut non datur niſi hic aut ille homo, neq; dari riſibilitatem in communi, niſi abſtrahatur ab intellectu, ſicut neq; homo in cõmuni, niſi idem fiat. Quo ſuppoſito, probo vrgẽtiſsime hãc concluſionem primo. Propriũ ſpecificum eſt quod conuenit ſpeciei adæquatę, & cum illa conuertitur, ſed hoc nõ habet hæc aut illa riſibilitas, ſed riſibilitas à ſuis inferioribus abſtracta, ergo ratio Proprij non conuenit entitati reali niſi abſtractæ per rationem. Secũdo, riſibilitas eſt proprium ſpecificum reſpectu hominis, vt ſic, non vero reſpectu huius hominis, ſed homo vt ſic, & præciſſe, non datur à parte rei, ergo neq; riſibile vt ſic, & præciſſe. Tertio. Ratio proprij ſpecifici eſt ratio vnius non plurium,

nõ vnius numerici, ergo vnius ſpecifici, aut generici, vnius inquã ab vna ſpecie, aut genere manãs, ſed à parte rei nulla eſt alia vnitas niſi numerica, ergo. Quarto. In ratione proprij ſpecifici includitur quod conueniat omni, ſeu quod cõmune ſit omnibus indiuiduis, aut inferioribus ſpeciei, alias non conueniret omni, ſed hãc conuenientiam non poteſt habere à parte rei ſed per intellectum, ergo ratio proprij intentionalis erit, non realis.

Dico ſecũdo. Ratio formalis proprij, alicuius indiuidui realis eſt, non rationis. Patet ex dictis facile, quia ſicut riſibilitas abſtracta, eſt propria hominis, ita hæc riſibilitas, eſt ꝓpria huius hominis, ſed hæc riſibilitas realis eſt, & à parte rei cõuenit huic indiuiduo, & cum illo conuertitur, ergo eſt realis. Et hoc etiam probat ratio dubitandi initio adducta, neq; aliquid contra primã concluſionem concludit, quia ſicut à parte rei non eſt productio hominis niſi huius, ita à parte rei non fluit aut dimanat, niſi hęc aut illa riſibilitas, & licet emanare ab eſſentia quid reale ſit, non cõuenit proprio niſi fundamentaliter ſumpto, nam emanatio realis ſemper eſt entitatis ſingularis, ab eſſentia ſingulari, ea ergo entitas quæ à parte rei conſequitur eſſentiam hanc, eſt quæ denominatur propriũ; quæ prout dimanat ab hac eſſentia, ſingularis eſt, & proprium eius, prout abſtracta autem eſt propriũ huius eſſentię ſecundum ſpeciem; entitas ergo proprij abſtracta, eſt quæ ſecunda intentione proprij afficitur, licet fundamentaliter requiratur quod entitas illa in ſingulari, realiter manet ab illa eſſentia, cuius proprium dicitur, vt etiam in ſimili de alijs naturis dictum eſt.

DVBIVM QVARTVM.

Utrum propria paſsio diſtinguatur ab eſſentia, & an ab illa ſeparabilis ſit, ſaltim per diuinam potentiam.

QVæſtio hæc licet à veteribus Authoribus hic ex profeſſo tractetur, à Iunioribus tamen brebiſsime, & quaſi illã tẽpori, & cõſuetudini dãtibus attingitur, & iure quidem,

Digitized by Google

quidẽ, eſt enim neceſſario prima eius pars 2. lib. de anima cap. 4. repetenda, & ex profeſſo tractanda. Pars etiam ſecunda à Logico inſtituto aliena eſt. Vnde licet nõ brebiſsime, brebiter tamen quid quoad vtramq; partem dicendum ſit, explicabo. Vnde pro deciſsione vtriuſq.

Notandum eſt primo. Nos hic non loqui de paſsione, quę eſt vnum ex decem prædicamentis, ſunt enim actio & paſſio duo prædicamenta realia, neq; de ſola paſsione quæ eſt tertia qualitatis ſpecies, ſed de illis quæ ab eſſentia dimanant, quęq; proprietates rei, & propriæ eius dicuntur paſsiones. Secũdo notandũ eſt, quod propria paſsio hoc modo ſumpta multipliciter diuidi poteſt; quędã enim dicitur tranſcendens, vt paſsiones entis V. g. verũ, bonum, &c. alia eſt inclinatio ad actũ ſubſtantialẽ, vt appetitus materiæ primę ad formam, alia eſt potẽtia ad actum accidentalẽ, ſiue eliciẽdum, ſiue recipiendũ, quę paſſiones dicuntur potentiæ actiuę, vel paſsiuæ, vt intellectus, volũtas, & ſenſus, quę ſunt potẽtię ad ſẽſationes, & intellectiones elliciẽdas, in quo cõſiſtit ratio potẽtię actiuę, & ad ſpecies recipiẽdas, in quo cõſiſtit ratio potentię paſsiuæ, & ideo intellectũ (qui, quia non tantũ ſpeciẽ recipit, ſed etiã actionẽ ellicit, poſsibilis ſeu paſsibilis dicitur) abſolute Authores poſſibilẽ nũcuparunt, quia non tãtum patitur, ſed agit, & hoc denotatur per ly. *poſsibilem*, quod aliquã denotat potentiã agendi, agere autem nobilius eſt quã pati. Tandẽ alię ſunt paſſiones accidentiũ, vt diſgregare viſſum, eſt proprietas albedinis.

Dico ergo primo. Paſsiones entis ſeu proprietates tranſcẽdentales, & illę etiam quæ ordinãtur ad actũ, & formã ſubſtãtialẽ recipiendã, vt eſt potẽtia materię primę, nõ differũt re ipſa à ſuis ſubiectis. De trãſcendentibus eſt expreſſa ſentẽtia Ariſt. 4. Meth. text. 2. & ibidem S. Thom. lect. 4. Patet, quicquid re ipſa differt ab aliquo non eſt illud, ergo quicquid re ipſa differt ab ente, non eſt ens, ergo ſi proprietates entis differunt realiter ab ente, non erunt entia: ergo erunt nihil. Hoc autem eſt falſum & abſurdum, ergo, &c. De appetitu autem materiæ ad formam ſubſtantialem, probatur brebiter, quia late agemus de illo primo Phiſicorum. Appetitus iſte nihil aliud eſt quam materia ipſa, vt inclinata ad formam ſubſtantialem, ſi enim aliquid

Digitized by Google

nam potentiam ſeparari, vt videre eſt in Sacramento Euchariſtiæ, vbi quantitas diuina virtute eſt ſine ſubſtantia, cum tamen quantitas ſubſtantiæ corporeæ paſsio ſit. Sed ſolent aliqui reſpondere, hoc poſſe fieri non manente ſubiecto vt ibi fit, non enim manet ſubſtantia quæ eſt ſubiectum quãtitatis. Sed cõtra, quia diuiſsibilitas in ordine ad locum, eſt paſsio quantitatis, ſeparatur autẽ ibi à quantitate corporis Chriſti, neque enim ibi Chriſtus Dominus habet diuiſsibilitatem in ordine ad locum, ſed tantũ in ordine ad ſe, cũ ſit totus in tota hoſtia, & tot9 in qualibet parte, & tamẽ manet quãtitas, ergo manẽte ſubiecto, ſeu re, à qua proprietas illa dimanat, poteſt ſeparari paſsio. Hęc quaſi prelibate dicta ſint, quia ex profeſſo de hoc diſputare nec locus nec tempus patitur, & neceſſario in ſequentibus de hoc multa dicenda ſunt.

Sed contra obijcies primo. Hæc propoſitio eſt ęternæ veritatis, homo eſt riſibilis, ergo nõ poteſt aliter ſe habere per diuinam potentiam, quia propoſitiones æternæ veritatis, cõnexionem eſſentialem dicunt. Reſpondetur primo. Homo eſt riſibilis radicaliter, eſt propoſitio æternæ veritatis, concedo, formaliter autem, nego, radicaliter, id eſt habet radicẽ à qua oriatur paſsio, & hæc eſt eſſentia quæ ab illo nequit ſeparari. Reſpõdetur ſecundo. Propoſitiones in ſecundo modo dicendi per ſe, qualis eſt illa homo eſt riſibilis, poſſe ſumi duobus modis, altero ſecundũ naturalem facultatem, & propriam ſubiecti virtutem, & in hoc ſenſu ſemper eſt vera illa propoſitio, & ſimiles: quia hoc modo proprietas non poteſt ſubiecto non conuenire: alio modo poſſunt ſumi ſecundum ſupernaturalẽ virtutẽ, & hoc modo non ſunt neceſſariæ, & ſemper veræ, nam poteſt Deus illas ſeparare, vt dixi. Ratio autẽ huius eſt, quia hæc proprietas non eſt omnino de eſſentia rei, ſed tantum paſsio & accidens illius, eſſentiam cõcomitans & ab illa dimanans. Dices, ergo hæ paſsiones ſunt accidentia cõmunia, ſaltim inſeparabilia, quę naturaliter ſeparari nequeũt. Reſpõdet̃ tamẽ quicquid ſit de hac naturali inſeparabilitate accidentium; non eſſe idem, quia etiam ſi communia inſeparabilia ſeparentur, non manet ſubiectum quaſi violentum, & naturaliter inclinatum ad illa, ſecus ſi ſeparentur propria, quia ſunt illi naturaliter debita, & tanquam in radice manent in eſſentia,

ſentia, ex qua pullulabunt niſi impediantur à Deo. Differũt, 2. quod quãuis poſsit Deus ſeparare proprium à ſubiecto, V.g. riſibile ab homine, non tamen ita quod poſsit intelligi cum cõtrario illius paſsionis, at vero accidẽs commune, ita poteſt à ſubiecto ſeparari, vt poſsit ſalua eius eſſentia, cum contrario intelligi. Cuius tertia fundamentalis ratio eſt, quod proprium ſequitur eſſentiam, & habet quendam nexũ eſſentialem, nõ quidem intrinſecum, ſed extrinſecũ, ita quod ex Ariſt. in libris de poſt. paſſio per ſe prædicatur de ſubiecto, in ſecundo modo dicendi per ſe, ſecus accidens commune, quod hac ratione de ſubiecto nequit prædicari.

QVÆSTIO II.

De Proprio vt vniuerſale eſt.

PORphirium exiſtimo non definiuiſſe propriũ niſi vt proprium eſt, non vero vt vniuerſale, licet eius indicet definitionem: dicit enim, proprium quod ibi definit, conuenire omni, ideſt omnibus indiuiduis illius ſpeciei, cuius eſt proprium. Vnde aliam explicitam non adduxit definitionem illius, vt vniuerſalis, tum quia hic quaſi implicite continebatur, tum etiã quia ex his quæ de illo & de alijs dixerat prædicabilibus, colligi facile poterat. Explicite ergo quid ſit propriũ vt vniuerſale definiẽdo; eſt vnum aptum eſſe in multis extra eſſentiam, neceſſario tamen. *Vnum aptum*, idẽ eſt quod vniuerſale, in quo cũ alijs cõuenit prædicabilibus, ly, *extra eſſentiam* diſtinguit illud à tribus primis, ſpecie ſcilicet, genere, & differentia. Ly autem, *neceſſario*, à quinto prędicabili accidenti ſcilicet cõmuni, quod nõ eſt neceſſario, vt explicabo ſequenti capite.

Ex hac autẽ, quæ eſſentialis definitio eſt, poteſt colligi deſcriptiua, ſcilicet, eſt vnũ aptũ prædicari de multis in quale accidẽtaliter, & neceſſario. Cuius explicatio ex dictis facilis eſt. Dixi in vtraq; de multis, ſeu in multis, non determinando ſpecie aut numero, quia ſicut duplex eſt differentia, vna infima, quę ſpeciẽ infimã conſtituit, vt rationale, alia ſubalterna, vt ſenſibile, de quibus iam, ſic etiã duplex eſt proprium, infimũ vnũ, quod ab ſpecie infima dimanat, ſubalternum aliud, quod oritur à ſubalterna.

Digitized by Google

na. Vnde ſicut differentia infima & ſubalterna in ratione vniuerſalis non diſtinguuntur ſpecie,neq; in ratione differentię eſſentiali dicunt ordinē ad plura ſpecie, vel numero differētia,ſed ad multa tantũ, abſtrahendo ab hoc quod numero differant vel ſpecie, ſic in proprio infimo,& ſubalterno, proportionaliter Philoſophandũ eſt:& rurſus,ſicut differētia ſuperior formaliter ſumpta, nõ includitur in inferiori, etiã ſumpta formaliter,ſic propriũ ſubalternũ nõ includitur in infimo, ſi vtrumq; formaliter & pro præciſſo gradu riſibilitatis,V.g. aut ſenſibilitatis,(ſi hoc proprium eſt animalis)ſumatur, habet enim propria paſsio rationem differētiæ, in definitione deſcriptiua eſſentiali. Vnde etiam hoc modo differentia ſuperior nõ debet in inferiori includi.

DVBIVM PRIMVM.

An tantum Proprium quarto modo, poſsit habere rationem quarti prædicabilis

TAntum poteſt eſſe dubiũ de proprio ſecũdo modo ſumpto, quod cũ omni & ſemper cõueniat, videtur poſſe rationē vniuerſalis proprij, reſpectu illorum quibus ſemper conuenit, ſortiri. De proprio enim primo,& tertio modo, patet non poſſe habere rationem quarti prædicabilis, quia ratio huius, prout diſtinguitur à quinto prædicabili; conſiſtit in hoc quod neceſſario cõueniat his inferioribus, quaſi ab eſſentia dimanans, ſi ergo proprium primo modo, nõ cõuenit omni, & tertio modo,nõ conuenit ſemper, quis dicat neceſſario conuenire? cum ly *neceſſario*, præſertim vt in preſenti ſumitur, & omni, & ſemper,aſſerat conuenire.

De proprio ergo ſecũdo modo,fuit ſentētia Fonſ.5. Meth. c.28.q.19. ſect. 4. ad primũ & ad ſecundũ, & pro ea citantur etiã Louaniēſes,& doctiſsimus quidã ex Iunioribus eã tuetur. Aſſerũt iſti,propriũ ſecũdo modo, habere rationem quarti prędicabilis. Probatur primo. Quod conuenit omni, & ſemper neceſſario cõuenit,ſed propriũ ſecundo modo, omni, & ſēper cõuenit, ergo neceſſario cõuenit,ergo nõ cõtingēter, ergo pertinebit ad 4.prędicabile,nõ ad 5.quod contingenter prædicatur. Secundo. Propriũ omne,etiã quarto modo,alicu

ius

ius ſpeciei, ſolum eſt propriũ. Secundo modo reſpectu inferiorum, in ordine ad quæ eſt vniuerſale, ergo proprium ſecundo modo, pertinebit ad quartum prędicabile. Antecedẽs probatur. Riſibile eſt quarto modo proprium reſpectu hominis,& tamen reſpectu Petri & Pauli quibus conuenit, vt quartum prędicabile, non eſt niſi proprium ſecundo modo,quia licet illis ſemper conueniat non tamen ſolis, cum conueniat etiam alijs indiuiduis.

Hæc tamen ſententia mihi non probatur,falſo enim innititur fundamento, ſi enim conuenire omni,& ſemper pręciſſe, rationem quarti prædicabibilis poſſet cõſtituere, omnis prædicatio accidentis inſeparabilis, cum omni & ſemper conueniat V.g. albedo Cygnis,ad quartum eſſet prædicabile reducenda, quod tamen negauit Porph.& ipſi etiã negant Authores.

Confirmo hoc,& argumentor ſecundo. Definitio accidẽtis quinti prædicabilis, quod adeſt,& abeſt, præter ſubiecti corruptionem, accidenti inſeparabili ex Porphirij, & omnium authorum ſententia,cõuenit: vnde quãdo ſibi obijcit Porphirius, contra. Accidens inſeparabile nunquam adeſt, & abeſt, præter ſubiecti corruptionem, quod idem eſt ac ſi diceret, conuenit omnĩ & ſemper.Reſpõdet Porphirius. Nihil facere quod non poſsit abeſſe ſecundum rem,quia poteſt mẽte & cogitatione abeſſe, ſalua integritate eſſentiali, & omnino cõpleta rei.Ex quo contra illos vrgens deſumo argumentum. Inſeparabile accidens etiam ſi omni & ſemper conueniat,quia tamen per intellectum,aut aliomodo,ſalua integritate rei, & non violenta,poteſt ab illa ſeparari, nec in eſſentia tanquam in radice manet dicitur contingenter prædicari,prædicatione quinti prædicabilis,non autem neceſſario, aut prædicatione quarti,ergo licet proprium ſecundo modo, omni & ſemper conueniat, cum tamen non conueniat tanquam propria paſsio, & ſine illo natura cum eſſentiali & completa integritate concipi poſsit, neq; Propriũ illo ſecundo modo ſumptũ, in radice eſſentiæ maneat, contingenter prædicabitur, non vero neceſſario.

Cõfirmo exemplo adducto à Porphirio,ſcilicet hominem bipedem eſſe,quis enim dicet quod etiam ſi homo ſine bipeditate concipiatur, non concipietur completa eſſentia humana in illo? immo ſi cõſideretur

raretur cũ accidenti oppoſito, id non variaret completam eſſentiam ſpecificã in illo indiuiduo repertam, quæ omnia conuenire non poſſunt proprio hoc quarto modo prædicabili. Per quod manet ſolutũ argumentum primum, non enim ex eo quod omni, & ſemper conueniat, ſequitur neceſſario conuenire, vt in acciden ti inſeparabili explicatum eſt. Ad ſecundum Reſpondetur, proprium non habere vniuerſalitatem præciſſe reſpectu huius aut illius ſingularis, reſpectu cuius propriũ ſecundo modo dici poteſt, quia conuenit alijs, ſed reſpectu indiuiduorũ & inferiorum hominis V. g. ſi enim reſpectu vnius tantum vniuerſalitatem haberet, eſſet relatio vnius ad vnũ, ac proinde nõ vniuerſalis illis ergo, ad quæ relatione vniuerſalis complete refertur, nõ tantum conuenit omnibus & ſemper ſed ſolis, quia tantum cõuenit inferioribus illius ſpeciei, quod proprio ſecũdo modo ſumpto cõuenire non poteſt, vt patet in bipede, quod non tantum indiuiduis huius, ſed etiam pleriſq; aliarum ſpecierũ indiuiduis conuenit.

DVBIVM VLTIMVM.

Huius quæſtionis eſt, an Proprium habeat rationem vniuerſalis reſpectu ſpeciei cuius eſt Proprium, an vero reſpectu inferiorum.

IN hac re eodem modo Philoſophandum eſt, ac in capite de differẽtia in ſimili dubitatione. Vnde dico, quod ſicut differentia non habet rationẽ vniuerſalis reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu inferiorum, ita & proprium: probatur facile, quia in ordine ad illa ad quæ proprium eſt vnũ in multis, eſt vniuerſale, ſed eſt vnum in multis reſpectu inferiorũ, quia illa tantum multa ſunt, ergo. Secũdo: relatio vniuerſalis eſt relatio ſuperioris ad inferius, & vnius ad plura, ſed proprium reſpectu ſpeciei, neque eſt ſuperius, neque reſpicit illam vt plura, ſed vt vnũ, ergo reſpectu illius non habet rationem vniuerſalis ſed reſpectu inferiorum ad quæ tanquã ad plura, & inferiora refertur.

Sed

Sed contra obijcies primo, proprium tantum reſpicit inferiora mediate, ergo non eſt in ordine ad illa per ſe primo, & immediate vniuerſalis. Reſpondetur, quod licet alia ratione vt ſcilicet proprietas ſpecifica eſt, præciſſe immediatius ſpeciem reſpiciat, hāc tamen non reſpicit vt vniuerſale. Vnde relatione vniuerſalis immediate reſpicit inferiora, cum nihil aliud vt vniuerſale prius reſpiciat.

Sed obijcit ſecundo. Pater Maſ. contendens etiam in ordine ad ſpeciem, rationem vniuerſalis induere. Quicquid prædicatur de ſubiecto vniuerſali, attributum vniuerſum eſſe debet, ſed proprium prædicatur de ſpecie, quæ eſt vniuerſale ſubiectū, ergo ipſum proprium debet eſſe vniuerſale. Quod argumentum licet totum concedatur, nihil probat: tantum enim probat, propriū eſſe prædicatum vniuerſale, (quod ego concedo.) Si autem intelligatur habere vniuerſalitatē in ordine ad ſpeciem, id non probat argumētum, quia proprium non prædicatur de ſpecie formaliter, vt vniuerſale eſt, neq; de ſpecie vt ipſa eſt vniuerſalis, licet prædicetur id quod vniuerſale eſt, & de illo quod etiam eſt vniuerſale, prædicatur enim de ſpecie præciſſe vt eſt propriū illius, & non commune alijs, quod diſtat multum à ratione vniuerſalis. Prædicatur etiam de ſpecie, præciſſe ſecundū quod eſt principium, & radix illius proprietatis ſecundum quam præciſſam rationem, ſpecies rationem vniuerſalis non habet. Et hæc de hoc capite.

CAPVT

CAPVT VI.

DE ACCIDENTI V. Prædicabili.

VLTIMO iam loco Porphirius de eo prædicabili, quod omnino eſt extra eſſentiã rei (accidẽti ſcilicet) iure diſſerit; id enim quod in re magis, ab eſſentia diſtat, quodq; cęteris eſt dignitate poſterius, diſtet etiam in tractatione æquum eſt. Hoc autẽ caput in.

SVMMA.

TRes accidentis continet definitiones, diuiſsionem quandam, & obiectionẽ. Prima definitio eſt. Accidens eſt quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem diuiditurq; in ſeparabile, & in inſeparabile. Sed contra. Accidens inſeparabile non adeſt, & abeſt, ergo vel definitio mala, vel diuiſsio recta nõ eſt. Reſpondet Porphirius, omne accidens poſſe abeſſe per intellectum ſalua eſſentia rei. Coruus enim albus cõcipi poteſt ſalua eſſentia eius. Secunda, accidens eſt quod ineſſe & nõ ineſſe eidem poteſt. Tertia deniq; accidens eſt quod neq; eſt genus neq; differẽtia, neq; proprium, ſemper tamen eſt in ſubiecto.

Annotationes in Textum.

AVicena 1. part. Logicæ capit. 11. Alpharabius & Algazer relati ab Alberto tractatu de accidenti capit. 2. hanc Porphirij de accidenti doctrinã omnino non probant.

probant. Quam tamen probãdam eſſe, ſtatim probandum eſt latius, nunc autem probatur, quia hæc opinio deſumpta eſt ex Platone, & Ariſt. nam primam definitionem deſumptam eſſe ex Platone in Sophiſta teſtatur Fõſeca lib. 5. Meth. cap. 28. quæſt. 19. ſect. 3: ſecundam autem & tertiam ex primo Topicorũ cap. 4. vbi vtraq; eiſdem fere verbis continetur. Cætera quæ hic poterant annotari, in diſcurſu diſputationis melius explicabuntur.

DISPVTATIO X.

De Accidenti Quinto Prædicabili.

MVltæ ſunt accidentis acceptiones, quas fortaſſe Porphirius, vel quia faciles, vel quia Chiſaorio, cui hoc dicarat opus notiſsimas non numerauit, relictis autem aliquibus. Accidens dupliciter ſumi poteſt, primo modo Phyſice. 2. modo Logice. Accidẽs Phyſicum dicitur illud, quod diſtinguitur contra ſubſtantiam, & illi inhæret, diuiditurq; in nouem prædicamenta accidentium. Vt quantitas, qualitas, &c. accidens autem Logicum ſic in communi, omne illud, quod non eſt de eſſentia rei comprehendit, & hac ratione tam quartum, quã quintum prædicabile dicit; ſtrictius vero loquendo, id tantum accidens Logicum vocamus nunc, quod neq; eſt de eſſentia rei, neq; ab ea profluit, & conſequenter non pertinet ad integritatem illius, quodq; contingenter conuenit alteri, & contingenter prædicatur de illo, ſiue illud quod prædicatur ſit ſubſtantia, ſiue accidẽs Phyſicum, vt iam explico, & accidens hoc vltimo modo ſumptum, eſt quod cõſtituit Quintum prędicabile, & de quo eſt.

(?)

QVAES-

QVÆSTIO I.

Quid ſit Accidens, & an recte definitum a Porphirio.

ACcidens Quintum prædicabile: non dicit vt ſic inherentiam aliquã ſed tantum (ſi ita loqui fas eſt) non eſſentiam, ſeu non eſſentialem connexionem cum ſubiecto, de quo dicitur; vnde quod ita prædicetur, quod poſsit non prædicari ideo eſt, quia non habet connexionem cum ſubiecto neq; eſſentialem, neq; accidentalem propriam. Et ideo omne illud quod eſt omnino extra eſſentiam rei, quinto prædicabili accidentali prædicatur: etiam ſi Phiſice ſubſtantia ſit; erit enim Logice loquendo accidens. Vnde hæc eſt prędicatio quinti prædicabilis, animal eſt rationale; quia animali, vt ſic, accidit, quod ſit rationale, aut irrationale, ſimiliter viuens eſt ſenſibile. Quæ prædicata quamuis ſubſtantialia ſint, quia ſunt omnino eſsẽtiæ ſubiectorum extranea, ad quintum pertinent prædicabile. Quod idem de his etiã propoſitionibus dicendum eſt, creatura exiſtit, quia exiſtentia formaliter eſt extra eſſentiam creaturarum (vt tradunt communiter alicuius notę Philoſophi & omnes Theologi) eſt enim exiſtentia tantum de eſſentia Dei ſecundum illud *ego ſum qui ſum.* Adde etiam quod non conuenit naturæ niſi tantum ratione ſingularium, ſingularitas autem naturæ vt ſic, accidentale quid eſt, non eſſentiale.

Ex quo infero ſecũdo, quod cum vniuerſalitas, & vniuerſaliter quicquid eſt ens rationis ſit accidens reſpectu rei, & naturæ, quam denominat, prædicabitur de illa prædicatione accidentali. Hæc enim eſt prædicatio huius quinti prædicabilis, homo eſt ſpecies, animal eſt genus, vt in fine vniuerſalium dixi. Tandem infero eandem eſſe rationem de iſtis. Cathedra eſt lignea, annullus eſt aureus, quia licet lignum & aurum importent ſubſtantiam: ſunt tamen prædicata omnino accidentalia, quia Cathedræ accidit ligneam eſſe, ſicut

etiam annullo aureum: poterat enim quoduis eorum eſſe ferreum, æreum, aut argenteum. Ex his autem manet ſimul id quod in prima parte quæſtionis quærebatur explicatum; implicatum autem, & dubium id quod inquiritur in ſecunda: An ſcilicet recte definitum a Porphirio, illa præcipue prima definitione: Accidens eſt quod adeſt, & abeſt, ſeu poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. Ex vna enim parte videtur exacta, tum quia a Porphirio tradita, tum quia ab Ariſtotele deſumpta, tum deniq; quia ab omnibus fere expoſitoribus admiſſa. Ex alia autem parte cum dictis videtur cohærere minime poſſe; cum ſubſtantiæ non proprie dicantur adeſſe & abeſſe ſubiecto; ſicut nec proprie dicuntur inhærere, aut non inhærere illi, ſunt enim ipſæ ſubiectum accidentium, a quibus accidentia adſunt & abſunt. Adde: ſecundas intentiones non hærere rebus & naturis, quas denominant, ac per conſequens nec proprie adeſſe, & abeſſe. Item quia ſi hæc definitio intelligenda eſt de inhærentia reali, non conueniet accidenti inſeparabili, quia realiter non adeſt, & abeſt, ſi autem hæc inhæſio aut ſeparatio ſit per intellectum conueniet accidenti proprio, quia per intellectum bene poteſt ſubiectum, ſeu eſſentia ſine accidenti proprio cognoſci.

Nihilominus omnes (vt dixi) definitionem Porphirij tanquam rectam admittunt, ſunt tamen in ea explicandæ duæ inter ſe diſsidentes ſententiæ. Prima enim aſſerit poſſe adeſſe, & abeſſe, idem eſſe, quod poſſe inhærere, & non inhærere realiter. Tenet hanc ſententiam Pater Toletus hic; & plerique ex recentioribus. Et probatur primo, quia in hoc ſenſu propriùs ſaluatur vis, & ſignificatio illorum verborum, adeſſe, & abeſſe, ineſſe, & non ineſſe, in hoc ergo ſenſu, accipienda ſunt, ſi commode poſſunt. Secundo: ſtatim poſt definitionem definitum accidens diuidit Porphirius in ſeparabile, & in inſeparabile, quæ diuiſio intelligi debet de ſeparabilitate, & inſeparabilitate reali, nam ſeparatione rationis vtrumq; eſt ſeparabile, inſeparabile nullum; ergo definitio etiam de eadem eſt ſeparabilitate intelligenda. Tertio, quia quod a parte rei omni, & ſemper ineſt, neceſſario ineſt; ergo omne accidens commune, quod contingenter ineſt a parte rei debet realiter poſſe inhærere,

& non

. & non inhærere, ergo ſic debet intelligi definitio.

Contraria tamen ſententia eſt abſq; dubio amplectẽda cum Caietan. Louanienſibus, & pleriſq; alijs aſſerentibus ly adeſſe, & abeſſe ſubiecto ſecundo intentionaliter eſſe intelligendum, ita vt ſenſus ſit, accidens eſt quod poteſt affirmari, & negari ſine ſubiecti corruptione, id eſt, quod ita prædicatur, quod etiam ſi negetur nihil contra eſſentiam ſubiecti dicetur: manebit enim eſſentia ſalua, ſeu prædicata eſſentialia; vnde quamuis quia a parte rei omnis Coruus eſt niger, hæc ſit falſa, Coruus non eſt niger; tamen etiam ſi id dicatur nihil dicitur contra eſſentiam Corui, immo eſt vera hoc modo, Coruus non eſt niger (ſi faciat hunc ſenſum) non eſt de eſſentia Corui nigredo, & hoc modo eſſe intelligendam definitionem probo vrgentiſsimis argumentis.

Primũ eſt iã tactũ, quia alias definitio nõ côueniret omni definito; cũ ſecũdę intẽtiones & aliqui termini, qui ſubſtantiã ſignificãt ſub hac definitione côtineãtur, quibus tamẽ inhærere, aut nõ inhærere realiter côuenire non poteſt. Secũdũ: quia de his vocibus vniuerſis agitur ſecũdum rationẽ vniuerſalis & prædicabilis; ergo ſicut aliæ per prædicari definiuntur, hæc etiã per terminos Logicos prædicari ſcilicet aut negari debuit definiri. Tertiũ, quia alias definitio pugnaret cũ diuiſione: accidẽs enim inſeparabile nõ adeſt, & abeſt realiter. Quartũ, quia eã ita explicuit Porphir. Quintũ, quia iã accidẽs Logicũ, & prædicamẽtale coinciderẽt, quia prędicamẽtale, per eſſe *in* côſtituitur (ideſt) per inhærẽtiã realẽ, & ſimiliter per hãc côſtituitur accidẽs Logicũ, per te; ergo coincidunt.

Ad rationes dubitãdi: & primo ad illud, q́d dicitur de ꝓpria paſsione, ℞. eſſe diſparem multo rationẽ, quia qui côſiderat eſſẽtiã ſine paſſione, côſiderat illã ſine illo, q́d eſt aliquomodo de eius integritate, tanquã quid côſequẽs illã, & qui id negat dicẽdo, homo nõ eſt riſibilis, tollit aliquid quod eſt de eſſentia in ſecundo modo dicendi per ſe. Adde, q̃od cum naturaliter loquendo per naturalẽ, & neceſſariam emanationem paſsio ab eſſentia oriatur, & abſolute hæc propoſitio naturaliter intelligatur in illa, conſequenter negatur eſſentia, quia negatur id quod neceſſario omnino habet cônexionem cũ illa.

Sed contra; propria paſsio ſeparari poteſt per diuinam potentiam a ſubiecto, & e cõtra: ergo poteſt negari vere de ſubiecto accidens proprium. Reſpõdetur, ſi virtutem ſuper naturalem ſpectes fateor, ſi naturalem nego, & cum id negatur non dicitur non conuenire illi tanquam paſsio, ſed nõ conuenire, quia Deus id quod naturaliter dimanarat, aut dimanabat, ſeparauit, aut impediuit.

Ad primum contrariæ ſententiæ, Reſpondetur ſe ipſum ſoluere in illis verbis. *Si commode poſſunt*, vnde cum non poſsit commode fieri (vt probaui) nihil contra nos.

Ad ſecundum Reſpõdetur, quod licet diuiſſerit accidens Porphirius in ſeparabile, & in inſeparabile realiter, iam explicuit, ſtatim inſeparabile habere rationem accidentis, non quia inſeparabilis eſt realiter, quia vt ſic, non conuenit illi definitio, ſed quia ſeparari poteſt ſalua eſſentia rei vt explicaui; vnde non ſolum ſeparabilitatem explicuit per intellectum, ſed oppoſitum accidens, nempe albedinem de Coruo prædicauit, vt intelligatur ſe loqui de ſeparabilitate, quæ ſalua eſſentia rei poteſt fieri de ſubiecto: ſaluari autem hęc eſſentia poteſt etiam cum accidenti communi oppoſito. Vt eſſentia Corui cum albedine.

Ad tertium iam Reſpõſum eſt quæſtione vltima præcedentis diſputationis, quod id quod omni, & ſemper ineſt, nõ conuenit neceſſario, ſi ſalua eſſentia omnino integra & completa rei affirmari poſsit, & negari.

Sed contra noſtrã concluſionẽ adhuc aliqua argumẽta ſuperſũt. Primũ eſt, hęc definitio datur per oppoſita, ergo non eſt bona, quia quæ ſunt oppoſita, non poſſunt eſſe de eſſentia alicuius rei. Antecedens patet, quia datur per adeſſe & abeſſe. Reſpondetur communiter, ly adeſſe & abeſſe, quod idem eſt quod affirmari & negari, ſucceſsiue intelligẽdũ eſſe. Solet etiam dici, intelligendũ eſſe diſiunctiue (ideſt) quod, adeſt vel abeſt, ſed ſi hęc membra in preſenti pro actu prædicandi, aut negandi ſumantur, non ſunt eſſentia accidentis, quia non eſt de eſſentia eius, quod actu prædicetur aut negetur: ſi autem ſumantur pro potentia, etiam ſi affirmari & negari oppoſita ſint; non tamen potentia ad illa, ſicut licet ſtare, & ſedere opponantur, non tamen potentia ad vtrumq; hæc tamen potentia eſt ad illos actus ſucceſsiue

recipiendos. Et in hoc ſenſu intelligi poteſt illud, quod dicitur ſucceſiue, & diſiunctiue.

Sed contra, eſſentia huius accidentis, eſt eſſentia prædicabilis, ſed eſſentia prædicabilis eſt, quod prædicetur, aut poſſit prædicari, non vero quod poſsit negari vt in explicatione definitionis diximus, ergo. Reſpondetur, quod eſſentia accidentis nō eſt negari, ſed prædicari ſine aliqua eſſentiali cōnexione, aut emanatione, quod eſt ita prædicari, vt non repugnet ei quod negetur. Cōtra, eſſe ſine nexu eſt quid negatiuum, ſed per negatiuum non cōſtituitur eſſentia, ergo. Reſpōdetur, eſt negatiuum in voce fateor, non autem in re, ſunt autem multa poſitiua quę ſine negatione nequeunt explicari, & ita accidentis eſſentia eſt habere aliquem nexum non eſſentialem, ſed accidentalem, quod explicatur per negationem eſſentialis.

Sit ſecundum argumētum. Mors & exiſtentia actualis accidunt homini: vtrumq; enim extra eſſentiam hominis eſt. Vnde in materia contingenti ſunt iſtæ prædicationes, homo eſt mortuus, homo eſt exiſtēs, & tamen neq; mors adeſſe, neq; exiſtentia abeſſe poteſt præter ſubiecti corruptionem: ergo. His adde, peſtem & ſimilia accidentia adeſſe non poſſe ſine ſubiecti corruptione.

Variæ ſolent huic rei adhiberi ſolutiones, quibus ommiſſis, quia res eſt parui momenti. Dico brebiter, exiſtentiam, non eſſe accidens hominis ſecundum eſſe actuale, quia comparata ad ſubiectum vt actualiter exiſtens, non eſt accidens ſed eſſentia eius; & ita non poteſt ſubiecto actualiter exiſtenti abeſſe, eſt tamen accidens ſubiecto ſecundum eſſe poſsibile, ſeu eſſentiale, quia de eſſētia hominis nō eſt, quod exiſtat, ſicut nec de eſſentia eius eſt ſingularitas: ſimiliter mors, ſi ad hominem præſentem conferatur, hæc eſt diſparata, & repugnans, homo eſt mortuus, quia implicat præſentem hominem mortuum eſſe, ſi vero eius eſſentiam Metaphiſicam expectes, ſalua manet Metaphiſica eſſentia ſubiecti, ſeu prædicata eſſentialia eius. Adde etiam, mortem priuationē eſſe, ac proinde non habere rationē prædicabilis. Peſtis autē & ſimilia accidentia, ſi vt priuāt etiā præciſſe ſumātur, etiā ſunt priuationes, ſi vero aliomodo, poſſunt per intellectum ſeparari, & in eſſe, ſalua eſſentia Metaphiſica hominis, quia eſſentię hominis, vt ſic, accidit peſtis, vel nō peſtis. Addo etiā quod ſi loquamur de homine

præſenti, iam non eſt ſubiectū corruptum, ſi præſens eſt, ſi vero de homine præterito & corrupto: ſicut homo præteritus non eſt, ita neq; peſtis in illo.

Tertium deniq; argumentū ſit. In alia definitione dicit Porphirius, *Accidens eſt quod ſemper ineſt*, repugnat ergo huic deffinitioni, in qua dicitur *poteſt adeſſe, & abeſſe*. Reſpondetur, *quod ſemper ineſt*, dicit potentiam, non actum (ideſt) ſemper poteſt prædicari: hoc tamen, ſine nexu eſſentiali, ita quod poſsit etiā negari. Quod explicuit prima definitio, dicendo poſſe adeſſe & abeſſe in ſenſu iam explicato.

Ex quibus manet claræ aliæ duæ accidentis definitiones. Secunda enim, ſcilicet, *Accidēs eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe*, eadem eſt cum prima, verbis tantum diuerſa, quia ly *contingit ineſſe, & non ineſſe*, idē eſt, quod poteſt adeſſe, & abeſſe, illa vero particula *eidem* æquiualet alteri primæ definitionis, ſcilicet, *præter ſubiecti corruptionem*, idem enim eſt poſſe adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionē, quod poſſe ineſſe, & non ineſſe, manente eodem ſubiecto.

Tertię autē definitionis, ſcilicet, *Accidens eſt, quod non eſt genus*, &c. *ſemper autem ineſt* Hæc vltima particula iam eſt explicata, quia tamen hæc definitio datur per negationem, fatetur Ariſt. (a quo vt dixi deſumpta eſt) imperfectiorem eſſe alijs; non tamen exiſtimo ita eſſe imperfectam, vt prima facie apparet. Tum, quia datur per negationes, explicationis gratia; poſsitiuum enim aliquando explicamus per negationem. Tū præcipue, quia negationes illæ ſeu poſitiua; quorum ſunt negationes manebant iam explicata. Tū tertio, quia iam vltima particula, poſitiua eſt; & quia vltimo loco agitur de accidenti, idem fuit ac ſi Porphirius diceret, tantum ſunt iſti quinq; prædicandi modi ex quatuor iam dictis, a ſufficienti enumeratione, modus prædicandi accidentis cognoſcetur facile, qui eſt vt poſsit in eſſe, ſeu prædicari contingenter, vt inhærentiæ nomen præſefert. Tum vltimo, quia ea quæ ſunt minimæ entitatis, tenentq́ue inter reliqua ignobiliorem locum, poſſunt per negationem optime definiri. Vnde Ariſt. 7. Meth. cap. 3. Materiam primam quæ minimæ entitatis eſt, definiuit quæ neque eſt, *quid*, neq; *quantū*, neq; *quale*, vnde cū accidēs, inter res vniuerſas, minimæ & ignobilioris ſit entitatis, potuit optime per aliarū vocum negationē definiri. Quod ſi obijcias.

Digitized by Google

ijcias. Si ſecunda definitio eſt idem omnino quod prima, igitur ſuperflua vna earum. Reſpondetur, clariorem eſſe quodammodo primam, immo etiam ſi non eſſet clarior, idem pluribus definitionibus eruditionis gratia, nomine tantum diuerſis, definiri poteſt.

Sed obijcies ſecundo, iuxta interpretationem Argiropoli & Boecij, dici, *Accidẽs eſt, quod neq; eſt genus, &c. ſemper autem eſt, in ſubiecto ſubſiſtens*, ſubſiſtere autem, & eſſe in ſubiecto repugnat, cũ enim ſubſiſtẽs dicat eſſe per ſe, qui fieri poteſt, vt quod eſt in ſubiecto, ſeu in alio, ſubſiſtẽs, & per ſe ſit; aut e contra, quod eſt per ſe, ſit in alio? Reſpõdetur tamẽ cũ Louanieſibus, & Maſ. nomine ſubſiſtentis Porphiriũ nõ intellexiſſe eſſe per ſe, ſed intellexiſſe in eſſe ſubiecto, aut denominare illud, vt iã explicuimus, quod indicant aliæ interpretum lectiones, cum fere omnes cum Perionio legant ineſſe, aut inhærere, non ſubſiſtere.

QVÆSTIO II.

An accidens commune, ſit vere vniuerſale & reſpectu quorum.

DVo inquirit quæſtio præſens, quæ non leuem continent difficultatem: vnũ tamen ex alio neceſſario cognoſcetur. Vt primũ ergo, an ſcilicet accidens rationem participet vniuerſi explicetur, & vt clarius procedamus. Suppono, duplicem in accidenti poſſe diſtingui vniuerſalitatem, cum enim vniuerſale ſit vnũ, & commune multis: & albedo V. g. poſsit ſecundum eſſentiam, de hac, & de illa albedine dici (hæc enim eſt prædicatio eſsẽtialis, hæc albedo eſt albedo) poſsit etiã eadẽ albedo in cõcreto ſumpta, de homine Cygno, & papyro, accidentaliter prędicari; non inquirimus modo, an accidẽs, ſit reſpectu ſuorũ inferiorũ primo modo vniuerſale; tũ quia hoc fatẽtur omnes; tũ quia reſpectu illorũ habet rationem vniuerſalis, generis, aut ſpeciei; hæc enim eſt prædicatio generis, albedo eſt color, & hæc eſt ſpeciei, albedo hæc, eſt albedo. Hic tamen non inquirimus niſi de aliqua vniuerſalitate, a quatuor alijs diſtincta.

Dices cum ex vna parte albedo ſit accidens & accidens in quale prædicetur, & ex alia genus, aut ſpecies debeat prædicari *in quid*, quomodo albedini prædicatio generis, aut ſpeciei poterit conuenire. Reſpondetur ex S. Tho. doctrina opuſc. de natura accidentis c. 2. ita proprium eſſe ſubſtãtiæ, vt in ea genera & ſpecies reperiantur, vt niſi quod fuerit ſubſtantia, vel habeat modum illius: nihil (inquam) quod nõ ſit per ſe, vel habeat modum eſſendi per ſe, genus, aut ſpecies dici poſsit. Cuius ratio eſt, quia hæ duæ voces vniuerſæ, quidditatem rei ſignificant; at habere quidditatem proprie, & rigurose tantum competit ſubſtantijs, vt colligitur ex Ariſt. 7. Meth. c. 4. Et ratio huius rurſus poteſt eſſe: quia illa tãtum habent eſſe per ſe; & omnia alia, quæ ſubſtantia non ſunt, ad ſubſtantiam ſecundum ſuam naturam, & eſſentiam ordinantur. Vnde ſicut accidens dicitur ab Ariſt. *entis ens*, ita eius quidditas, & eſſentia quidditatis dici poteſt. Ex quo fit, quòd ſicut nomen entis per prius de ſubſtantia dicitur, nomen etiam quidditatis de illa etiam dicatur prius, quare eſſe genera, vel ſpecies, tantum conueniet, vel ſubſtantijs, vel ſaltim illis, quæ in prædicatione, & in modo ſignificandi, rationem & vicem ſubſtantię gerunt. Cum ergo accidens in abſtracto per modum per ſe ſtantis, & ad modum ſubſtantiæ ſignificetur, poterit optime ratione generis, & ſpeciei, reſpectu ſuorum inferiorum participare; at concreta accidentium, ſeu eadem accidentia in concreto ſumpta, cum non ſignificent per modũ ſubſtantiæ, vel per ſe exiſtentis, ſed prout vnita, & applicata ſubiecto, fit vt diuerſam habeant vniuerſalitatem (ſi forte habẽt) quod inquirim9. Quod enim hoc modo ſumpta nullo modo vniuerſalia ſint ſuaderi poteſt.

Primo. Vniuerſale formaliter eſt ſecũda intẽtio, ſed accidẽs nõ eſt ſecũda intẽtio, igitur nõ eſt vniuerſale. Probo minorẽ: ſecũda intentio nõ prædicatur per ſe de notione prima (vt dixi ſupra) at accidens de notione prima per ſe dicitur; hęc enim eſt eſſentialis prædicatio, quãtitas eſt accidẽs, ergo non eſt ſecũda intẽtio. Secũdo, vniuerſale debet eſſe vniuocũ, ſed accidẽs nõ prædicatur vniuoce de ſuis inferioribus, vt albũ de homine, & Cygno, ſed tãtũ denominatiue (teſte Philoſopho in prædicam. c. de ſubſtantia) ergo nõ eſt vniuerſale. Tertio & vrgẽtius. Vniuerſale po

teſt prædicari de multis, antequã actu a parte rei exiſtat in illis; hæc enim prædicatio eſt generis de ſpecie, homo eſt animal, equus eſt animal (etiã ſi a parte rei nõ exiſtat animal in homine & equo) ſed accidẽs cõmune non poteſt prædicari de multis, antequã ſit realiter in illis; ergo non eſt vniuerſale. Minor probatur; quia ſi de ſubſtantijs prædicetur accidẽs antequam illis inſit, omnes prædicationes erunt falſæ, nec enim homo aut Cygnus V.g. albi ſunt antequã habeãt albedinẽ: quia verbũ *eſt* in his prædicationibus nõ ſignificat neceſſariã cõnexionẽ prædicati cũ ſubiecto, ſicut in propoſitionibus aliorũ prædicabiliũ, ſed realẽ inhærentiã, vel quod realiter ſubiectũ ſit illud, quod prædicatur, quia nõ dicit eſſẽtialẽ cõnexionem (vt dictum eſt. Quarto: vnumquodq; conſtituitur vniuerſale per ordinẽ ad ea, a quibus abſtrahitur, ſed albedo V. g. non abſtrahitur ab homine, aut equo, ſed ab hac & illa albedine; ergo accidens non erit vniuerſale reſpectu ſubiectorũ, ſed reſpectu inferiorũ, ad quę vniuerſalitate generis aut ſpeciei refertur.

His tamen nõ obſtãtibus. Aſſero: Accidẽs vt dicit quintum prædicabile, vox eſt vniuerſa. Probatur primo, authorit. Ariſto. 1. Top c. 4. & authorit. Porphi. in præſenti. Probatur ſecũdo ratione. Vniuerſale eſt vnũ in multis, vel cõmune multis, ſed accidẽs in cõmuni, in ordine ad ſubiecta cõſideratũ, poteſt concipi, vt vnũ, & cũ aptitudine ad exiſtendũ in multis ſubiectis: quis enim vetat albedinẽ in cõcreto, vt vnã cõcipere, & cõmunẽ homini, Cygno, papiro, & alijs? Tertio, quia (vt probaui ſupra Diſputatione de vniuerſalibus) ratio vniuerſalis nõ tantũ cõuenit abſtractis accidẽtiũ, ſed etiã cõcretis, ergo albũ, quod eſt accidẽtis cõcretũ, poteſt eſſe optime vniuerſum reſpectu huius albi V. g. hominis, Cygni & aliorum. Quarto, id probatur a ſimili. Propriũ ſpecialẽ habet vniuerſalitatẽ, reſpectu ſubiectorum, quibus ineſt neceſſario. V. g. riſibile, reſpectu Petri & Pauli, ergo & accidens commune habet etiam vniuerſalis rationem, reſpectu ſubiectorum quibus ineſt contingenter: hoc enim quod eſt cõtingenter, aut neceſſario ineſſe, ad rationem vniuerſalis, vt ſic, accidentale eſt, ſed eſſentia eius tantum eſt eſſe vnum in multis, hoc autẽ vel illo modo eſſe, habet vniuerſale, vt tale eſt.

Ex quo infero (vt etiam ſecundæ parti quæſtionis explicite ſatisfaciã) Accidẽs habere

re rationem vniuerſalis quinti prædicabilis reſpectu ſubiecto rũ. Patet, quia vel haberet reſpectu inferiorũ eſſentialiũ, vt albedo reſpectu huius & illius albedinis, vel reſpectu ſubiectorum, non primum vt probaui, ergo ſecũdum. Adde, quod accidẽs habet eſſe quintũ prædicabile, reſpectu eorum, quibus poteſt adeſſe, & abeſſe; ſed hoc habet tãtum reſpectu ſubiectorum, albedo enim non poteſt ab hac albedine ſeparari ſalua eius eſſentia: bene tamẽ ab hoc, vel illo ſubiecto: & hoc inſinuatur in definitione accidentis quando dicitur, *præter ſubiecti corruptionem.*

Pro ſolutione argumentorum. Notandum eſt ex D. Th. opuſc. de natura accidentis, (quod eſt 41. cap. 2.) Ob penuriam vocum hoc nomen accidens, tã accidenti primo, quã ſecundo intentionaliter ſumpto, attribui, quare oportet cautè progredi, ne nominis perturbemur vnitate, accidens reale pro ſecunda intentione accidentis vſurpando, aut e cõtra. In hoc ergo peccat primum argumentum, in illa enim prædicatione, *quantitas eſt accidens*, ſi accidens ſumatur pro ſecunda intentione accidentis, nullo modo eſt eſſentialis, ſi vero ſumatur pro accidenti rei, eſt per ſe eſſentialis, hoc tamen non conuincit ſecundam intẽtionem prædicari de prima per ſe.

Ad ſecundum Reſpondetur, accidens vere poſſe prædicari vniuoce de ſubiectis accidẽtaliter, & denominatiue. Ariſt. vero ſolum negat prædicari de ſubiecto vniuoce eſſentialiter, eſt enim duplex vniuocatio. Vna proprijſsima, & riguroſa qua aliquid prædicatur nomine, & ratione, & in ſuper eſſentialiter, vt homo de Petro & Paulo. Alia eſt nõ ita propria, eſtq; prædicari nomine & ratione quãuis accidẽtaliter. Sic dicitur albũ de hoc, & illo ſubiecto, nomine ſcilicet quia vtrũq; nominatur album, & ratione accidentali: quia definitio albi illis conuenit, licet accidentaliter, quælibet autem harum vniuocationum ſufficit ad rationem vniuerſalis. Et denominatiuam prædicationem diſtinxit Ariſt. contra vniuoc primo modo ſumptã: non contra ſecũdam. Patet etiam a ſigno: quia proprium eſt vniuerſale; & prædicatur etiam accidentali prædicatione.

Ad tertiũ poſſet primo Reſponderi cum Fõſeca 5. Meth. cap. 28. q. 20. hoc intereſſe inter hoc quintum vniuerſale, & reliqua, quod reliqua, etiã cũ poſsibilia ſint, habere poſſunt rationem vniuerſalis, quia rũc

præ-

prædicari etiam actu poſſunt de ſuis inferioribus; cum prædicationes iſtæ ſignificent neceſſariam connexionem prędicati cum ſubiecto; at accidens commune non poteſt habere rationem vniuerſalis, quoad vſq; actu inhæreat medijs ſuis ſingularibus multis ſubiectis, quia aliàs propoſitiones falſæ erunt, ratio huius poteſt eſſe; quia (cum accidens ſit imperfectius alijs vniuerſalibus) magis eget exiſtentia quam alia. Sed Reſpondetur ſecundo negando maiorem: quia multa ſunt vniuerſalia quæ non poſſunt prędicari, quoad vſq; actu vere ſiut in inferioribus, homo enim quoad vſq; vere a parte rei in Petro & Paulo ſit, nō poteſt vere actu prædicari de illis: quia hæc erit falſa, Petrus eſt homo, non exiſtente Petro: cū ſit affirmatiua de ſubiecto non ſupponente. Sed Reſpondetur tertio, accidens etiā poſſibile habere poſſe rationem quinti prædicabilis reſpectu ſubiectorū antequā actu inſit: ratio eſt, quia albū V.g. poteſt conſiderari, vt vnum aptum ad exiſtendū in multis, quę eſt definitio vniuerſalis, actu autē prædicari accidit illi; & ita ad obiectionem dico, ad rationē vniuerſalis tantum requiri, vt quantum eſt ex ſe, & appræhēditur ab intellectu, ſit aptum ad exiſtendum in multis, & ad hoc quod prædicetur de illis, dum illis actu inhæſerit, propter veritatem autem prædicationis actualis, quæ, vt ſic accidit vniuerſali; nō poteſt aptitudo huius quinti prædicabilis reduci ad actū, antequā actu ſit in multis ſubiectis, erit ergo actu prædicabile de multis, licet vt actu vere prædicetur debeat exiſtere in illis. Poſſet reſponderi quarto, quod ſicut prædicationes aliorum prædicabilium, ſi ſumantur prout tantum denotant connexionem eſſentialem prædicati cū ſubiecto eo modo, quo illam poſſunt habere, veræ ſunt: vnde hæc etiam propoſitio Petrus eſt homo, in hoc ſenſu ſuo modo poſſet eſſe vera: ita quod eo ipſo quod exiſtat Petrus eo ipſo eſſentialiter erit homo, ita hæc, homo eſt albus, eſſet vera prædicatio dicendo tantum connexionem accidētalem, (ſi faciat hunc ſenſum) hoc prædicatum album cum hoc ſubiecto *homo* connexionem dicit accidentalem, ſcilicet poſſe illi ineſſe, & non ineſſe; ita quod eo ipſo quod illi inſit realiter inhærebit accidētaliter & poterit ſtatim prædicari de illo.

Ad quartū ſolet Reſpōderi, & probabiliter, maiorē eſſe verā de vniuerſali Metaphiſico; qa ſit

ſit per abſtractionem, non tamen de Logico, quod non habet rationem vniuerſalis, niſi reſpectu eorum, ad quæ comparatur, cum fiat per comparationem. Vnde, quia accidens poteſt ad ſubiecta comparari, rationem habebit vniuerſalis reſpectu eorum. Sed Reſpondetur probabilius ſecundo, quod etiã albedo abſtrahitur a ſubiectis, quia cum abſtrahi nihil ſit aliud, quam repreſentari vnum ſine alio; cum albedo repreſentetur in ſpecie intelligibili ſine ſubiectis, etiam ab illis abſtrahitur: præcipue cum albedo non ſit in Phantaſia, niſi ſimul cum ſubiecto, ſicut dicitur abſtrahi ab alijs indiuiduis conditionibus, ita & a ſubiecto in quo erat, hæc abſtrahetur.

Sed reſtat adhuc quoddam argumentum non leue. Si accidens veram habere poteſt vniuerſalitatem reſpectu ſubiectorum, ſequitur a parte rei eſſe vniuerſale: probo ſequelam, quia valde probabile eſt idem numero accidens poſſe eſſe per diuinam potentiam in diuerſis ſubiectis, ergo antequã in illis ſit eſt vnum aptum ad exiſtendum in multis, atq; adeo vniuerſale. Reſpondetur, quod cum hæc vniuerſalitas accidentis, vt quinti prædicabilis, non conueniat abſtracto, vt dixi, ſed tantum concreto, licet idem numero accidens poni poſsit in diuerſis ſubiectis a Deo: Concretum tamen ex illo accidenti, & ſubiecto, cui ratio vniuerſalis quinti prędicabilis conuenit, non eſſet vnum a parte rei, vtriq; ſubiecto commune. Itaq; etiam ſi in Petro, & in Paulo eſſet eadem albedo: non tamen eſſet idem album vtriq; commune, ſed eſſent duo alba, licet vna, & eadem albedine alba.

Tãdẽ poteſt obijci. In accidẽtibus poteſt eſſe diuerſus contingentiæ modus, ergo diuerſus modus prædicãdi cõtingẽter, ergo diuerſæ ſpecies prædicationis. Antecedẽs probatur, quia ſunt accidẽtia quædã inter quæ, & ſubiectũ eſt mutua contingentia; ita quod neque accidens illud, petat tale ſubiectum; neq; tale ſubiectum, illud accidens, vt album reſpectu hominis, & homo reſpectu albedinis; alia autem accidentia ſunt quæ neceſſario petunt tale ſubiectum, ſubiectum tamen non petit illa, vt Grammaticum neceſſario petit hominẽ, non tamẽ homo ẽ cõtra. ℞. primo, hãc contingẽtiã eſſe omnino accidentalẽ ad rationẽ accidẽtis, quia cũ in hac vltima in qua eſt maior difficultas, ſubiectum nõ poſtulet accidens, ſemper ſaluatur, quod poſsit

poſsit adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. Secundo Reſpõdetur, quod licet reſpectu ſubiecti in communi cõtingentia in accidentibus ſæpe ſit non mutua, quia Gramaticum V. g. hominem in communi neceſſario petit, tamen reſpectu inferiorum in particulari, huius ſcilicet, aut illius hominis, contingentia eſt mutua, quia neque Gramaticum petit hunc hominem, neque hic homo Grammaticum. Vniuerſalitas autem accidentis præcipue eſt in ordine ad ſingularia ſubiecta, cum ſemper reſpectu illorum ſit ſuperius, & tamen reſpectu ſpeciei aut ſubiecti in communi aliquando ſit inferius vel æquale, quia Grammaticum, quid inferius eſt ad hominem in communi, vel ſaltim poteſt eſſe æquale.

Ex dictis infero, quomodo accidens eſſentialiter & deſcriptiue ſit definiendum, eſſentialiter quidem ſic. Accidens eſt vnum aptum eſſe in multis extra eſſentiam contingenter. Deſcriptiue vero vnum aptum prædicari de multis in quale, & contingenter. Quæ definitiones ex dictis in alijs prędicabilibus explicatæ manẽt. Tãtum aduertite dixiſſe abſolute de multis, quia de ratione accidentis nõ eſt niſi quod de multis abſtrahendo a numero vel ſpecie differentibus enuncietur, hæ enim prædicationes ſunt accidentis quinti prædicabilis Petrus loquitur, & Paulus loquitur, & hæ etiam paries eſt albus, & homo eſt albus.

Hic ſolet ab aliquibus diſputari, an inhærentia realis ſit de eſſentia accidentis: immerito tamen, quia inhærere naturaliter proprium eſt accidentis prædicamentalis non prædicabilis vt ſic, vnde quando de accidenti prædicamentali ſermo fuerit, de hac etiam quęſtione ſermo erit.

ET HAEC DE HOC *capite.*

DVo tantum pro completa vniuerſalium tractatione reſtant examinanda, quorum reſolutio ex dictis facile haberi poteſt. Primum eſt, an vniuerſalia ſint tantum quinque. Cui affirmatiue Reſpondetur: illud enim quod in hac dubitatione præcipuã habebat difficultatem de differẽtia ſcilicet

licet infima & ſubalterna, & de proprio ſimiliter iam manet ſolutum & explicatum, quod autem dixit Caietanus cap. de ſpecie, ſcilicet definitionem eſſe ſextum prædicabile diſtinctum ab alijs falſum eſt, tum quia eſt quid complexum, tum etiam quia ad ſpeciem abſq; dubio eius, eſt prædicabilitas reducenda cũ eodem modo in quid, & per modum eſſentiæ integræ & completæ prædicetur.

Ratio autem huius adæquationis inter alias, hæc quaſi a priori eſſe poteſt, quia quod commune eſt alijs aut eſt in illis eſſentialiter, aut accidentaliter, ſi eſſentialiter: aut dicit totam eſſentiam, & ſic eſt ſpecies, aut partem, quæ ſe habeat vt potentia, & contrahibile & ſic eſt genus, aut quæ ſe habeat vt forma & actus, & ſic eſt differentia: ſi accidentaliter, aut neceſſario, & ab eſſentia dimanando, & eſt propriũ, aut contingenter & eſt accidens commune.

Secũdo, per paſsionẽ prædicabilitatẽ ſcilicet, quia ea quæ prædicantur prædicantur in quid, aut in quale: ſi in quid, aut per modũ eſſentiæ integrę & cõpletę & tãtũ de pluribus differẽtibus numero & eſt ſpecies, aut de pluribus differẽtibus ſpecie per modum partis materialis & eſt gen9, ſi in quale, aut in quale quid & eſt differẽtia, aut in quale neceſſario & eſt proprium, aut in quale contingenter & eſt accidens.

Obijci ſolet, quod Ariſt. tãtum numerauit quatuor prædicata 1. Topico. c. 4. ſcilicet, genus, proprium, accidens, & definitionem. Sed Reſpõdetur quod ibidem etiam meminit differentiæ, eamq; reduxit ad genus. Loquitur enim de differẽtia ſubalterna, ad quã etiã infima reduci poteſt, uel ſi mauis poteſt reduci ad ſpeciem quam Ariſt. nomine definitionis compræhendit.

Secũdũ eſt. Vtrũ vniuerſale ſit genus ad quinq; prædicabilia. Reſpondetur eſſe genus ad illa quod ſæpe diximus, & modo probatur quia per illud tã quã per genus definiũtur eſſẽtialiter, vt vidimus. Secundo, quia ideo animal eſt genus ad hominẽ & equũ, quia dicit vniuocã rationẽ in qua eſſẽtialiter cõueniũt, licet interſe ſpecie differãt & rationibus peculiaribus diſtinguantur: ſed vniuerſale dicit vnã rationẽ communem, in qua conueniunt eſſentialiter prædicabilia, ſcilicet eſſe vnum in multis, ergo vniuerſale eſt genus ad illa, ſi quæ vero nobilior, aut perfectior ratio vniuerſalis in aliquibus reperitur iſterũ, nõ prouenit

nit ex ratione communi vniuerſalis,quæ vt ſic eiuſdẽ perfectionis eſt in omnibus,ſed ex ratione ſpecifica ſingulorũ ſicut in exẽplo adducto, hominis & equi,inæqualitas quæ in illis reperitur ex propria vniꝰ cuiuſque differẽtia prouenit, non autem ex ratione generica vt ſæpe dixi.

Tertio,relationes omnes reales vniuoce conueniunt in ratione relationis realis: relatio enim vnum eſt ex nouem generibus accidentiũ:ergo relationes omnes rationis vniuoce cõueniẽt in ratione relationis vniuerſalis in cõmuni, vel in vniuerſalitate,vt ſic.

Sed obijcies:vniuerſale eſt genus ergo continetur ſub vna ſpecie ſui, ſcilicet ſub genere, ergo non erit ſuperius illo, immo erit indiuiduũ generis erit enim genus in particulari, cõtentum ſub genere in communi.Hoc argumentũ capite de genere,& tetigimus & ſoluimus,ſi enim loquamur de vniuerſali vt quo, ſuperius eſt ad hæc quinq; prædicibilia:ſi vero de illo,quatenus ad modũ naturæ realis concipi poteſt, & denominari vt quod , non eſt inconueniens denominari ab alia ſecunda intentione ſibi inferiori:ſicut genus ipſum poteſt denominari accidentaliter,& vt quod, a ſecunda intentione ſpeciei ſi conſideretur,vt quid commune huic & illi ſecundæ intentioni generis.Sed de hoc ſatis capite de genere dictum eſt.

Dices: vniuerſale denominatiue eſt genus per te, ſed genus eſt vniuerſale,ergo vniuerſale,denominatiue eſt vniuerſale. Reſpondetur quod ſicut vniuerſale quod eſſentialiter eſt ratio eſſendi in multis, ſeu vniuerſale,*vt quo* poteſt accidentaliter & *vt quod* denominari genus,ita etiã poteſt accidentaliter denominari vniuerſale *vt quod*,quatenus accidit illi referri *vt quod* ad iſta prædicabilia & concipi ad modum naturæ realis,exerceréque prædicationem *vt quod* cum dicitur genus eſt vniuerſale,differentia eſt vniuerſalis, hoc enim non eſt proprium ſecundarum intentionum , ſed naturarum, & ita ſicut accidentale eſt illis concipi ad modum naturæ denominatæ, ſic accidentale eſt illis prædicari , aut eſſe vniuerſalia vt quod , & ita in his entibus rationis in quibus ſecunda intẽtio inferior poteſt denominare ſuperiorem,admitti debet idẽ dici poſſe eſſẽtialiter & denominatiue vniuerſale , quia idem ſibi ipſi media aliqua ſuarum ſpecierum accidere poteſt;

poteſt, & eſt aliquomodo exemplum in entibus realibus, quantitas enim eſt genus ad numerum, & ſuperius illo, & tamen denominatur numerata ab ipſo numero ac per conſequens quanta ab ipſa numeri quantitate. Et hæc de quinque vniuerſalibus tam in communi quam in particulari dicta ſufficiant.

INCIPIT

Digitized by Google

INCIPIT

TRACTATVS CATHEGORIARUM, ſeu Prædicamentorum.

ARISTOTELIS Stagiritæ.

ABSOLVTA iam prædicabilium tractatione, quæ Iſagoge, ſeu introductio ad Ariſtotelis Prædicamenta a Porphirio fuit nominata, prædicamentorum claſſes adeamus oportet, & hunc Cathegoriarum tractatum apprime neceſſarium, qua potuerimus claritate, & breuitate explicemus.

✝

DE NOMINE ET VITA Authoris.

ARiſtoteles, (quem huius operis authorem fuiſſe in dubium venire nõ poteſt: tum, quia ab omnibus commu niter Philoſophis ita cẽſetur; tum, quia ille alibi ſæpe huius tractatus mentionem facit: tũ denique, quia ex ſtylo, grauitate, procedendiq; modo, ipſum Philoſophiæ principem, prædicat authorem.) Ariſtoteles inquam hic ad diſtinctio nem aliorum qui hoc nomine fortaſſe ſunt nuncupati, (ferunt enim octo fuiſſe Ariſtoteles) appellatus eſt Stagirites, fuit enim natione Macedo, & patria Stagirites: ortus fuit ante Chriſti Domini natiuitatẽ anno 371. Parentes habuit Nicomacum & Feadem, his iam defunctis, poſtquam à Praxeo quodam literis humanioribus fuit inſtructus, patrimonio, ob nimiam viuendi libertatem conſumpto, militiam exercere coactus fuit: qua illi ex animo non eueniẽte, artem Pharmacopoleam & didicit & exercuit. Diſciplinæ Socratis, præcipue tamen Platonis, ſe pro viginti annis commiſsit: poſtea autem vt Alexandrum Philippi Macedonis filium, & virtutib us & literis inſtrueret, fuit vocatus. Quem & pater, ſimul & filius, habuere maximi, ita vt pater patriam Stagiritẽ iam ſolo æquatam, in gratiam Ariſtotelis reedificarit: quare Stagirites ipſi, Ariſtoteli dies feſtos, qui Ariſtotelici nuncupabantur, dicarunt. Tandem anno ætatis 63. obijt. Aliqui autem aſſerunt eum, eo quod non potuerit aſſequi cauſam, ſepties in die reciprocãtis Euripi, ſe in illum his verbis merſiſſe. *Tẽ non potui compræhẽdere, tu me compræhẽde.* Celius autem Rodiginius, & alij grauiſsimi viri, Ariſtotelem dolore commotũ, & lachrimis perfuſſum, in hora ſui exitus auxilium primæ cauſæ imploraſſe his verbis, aſſerunt. *Cauſa cauſarum, miſerere mei.* Quibus magis ego fidem adhibeo.

De eius autem ingenij acumine, iam plura alio in loco dicta ſunt: tantum aduerto, olim fuiſſe Numiſma quoddam excuſum, cuius partem vnam pictura quædam occupabat

Philoſophiæ, altera Ariſtotelis de ea maxime benemeriti effigiei & picturæ relicta; in cuius pectore erant nubes, grandines, elementa, & his ſimilia depicta; incruribus autem erat depicta terra, animantia, fontes, &c. & multa alia in cæteris numiſmatis partibus, vt immẽſa cœlorum moles, ſydera; & his ſimilia videbantur. Quæ omnia facilius explicarunt Athenienſes, ſtatuam quandam erigentes illi, manu, naturæ viſcera apprehendentem, illaque toti mundo manifeſte proponentem, & declarantem.

DE INSCRIPTIONE operis.

CAthegoriarum liber hic, vel Prædicamentorum, inſcribitur. Prædicamentum autem, & pro ſupremo genere, & pro tota ſerie & coordinatione plurium prædicatorum, aut prædicabilium accipitur, nullo autem modo pro quouis prædicato (vt dixere Cratius & Hebetiꝰ, quos ſequitur Villal.) In prima acceptione; ſcilicet pro ſupremo genere accipi poteſt, & ſolet, & ſecundum illã, ſenſus erit: liber Prædicamentorum (ideſt) ſummorũ generũ liber. Vnde Architas Tarẽt. (authore Simp.) hoc opus de ſermonibus appellauit vniuerſis, ideſt, (vt exponit Maſ.) de quibuſdam attributis generalibus, quę de alijs dicuntur nulli tamen ſubijciũtur (intellige, vt generi) & Plotinus etiã AEnead. 5. lib. huic, de decem generibus entis, nomen accomodat. Et Quintilianus illud lib. 3. c. 6. elementa, ſiue capellas prædicationum appellat. In ſecunda autem acceptione ſi ſumatur, ſenſus erit liber diuerſarum coordinationum plurium prædicatorum, ſub vno genere ſupremo, in qua acceptione ſumitur a Porphirio, & fere communiter ab omnibus: capite enim de ſpecie, *in quolibet*, inquit, *prædicamento, eſſe vnum genus ſupremum, & vnam ſpeciem infimã, aliaq; genera ſubalterna*. Liber etiam Cathegoriarum græce dici ſolet: cuiꝰ ethimologiæ facilis eſt expoſitio, ſi dicamus cum Oña, deductum eſſe a verbo *Cathegoreo*, quod idem eſt, quod *prædico* vel *demonſtro*, & quia in Prædicamentis vnũ de alio in ſerie illa, ſaltim prædi-

tur, & demonſtratur, ideo recte Cathegoriarum nomine inſignitur. Omitto etiam, Cathegoriam, publicam ſignificare accuſationem, & ab Ariſt. hoc nomen a priſtina illa ſignificatione, ad enunciationem, aut prędicationem vnius de alio fuiſſe translatum, quod licitum eſſe Philoſophis, teſtatur Cicero lib. 1. quæſtionum Academicarum, & cum eo Porphirius, & Deuxippus.

DE INTENTIONE, vtilitate, & obiecto.

INtentio & finis libri eſt, cõgeſtis omnibus rebus, & per decem prædicamenta diſpoſitis, oſtenſiſq; omnium proprietatibus, dare omnium facilem cognitionem, præcipueq; primam intellectus dirigere operationem, vel intellectum in illa iuuare, ideo enim res omnes in varias quaſi claſes diſtribuuntur, vt facilius quæuis ſine alia apprehẽdi poſsit, ne intellectus ſimultate, & coniũctione rerum deceptus, apprehendat, vt eadẽ, quæ ſunt diuerſa; aut cum diſtinctione, quæ ſunt idem, gradus enim animalitatis, vt vnus ad hominem & equum aprehendi poteſt, quia ex prædicamento ſubſtantiæ, animal conſtat eſſe genus ad illa.

Neq; obſtat, quod appræhẽdẽtiũ nõ eſt mendaciũ, quia vt recte docuit S. Th. 1. p. q. 85. ar. 6. corpore, poteſt ibi eſſe defectus, ſi tãquã genus, & differẽtia, id quod nõ eſt tale, appręhẽdatur, licet proprie nõ poſit eſſe mẽdaciũ, quia hoc aliquã dicit affirmãdo, aut negando cõpoſitionẽ; quod in prima intellectꝰ operatione nõ reperitur. Ex his ad ſecũdũ de vtilitate, cõſtat facile, deſeruit enim ad primã intellectus operationẽ dirigendã: immo ad omnes alias, ad cõpoſitiones quidẽ, quia propoſitiones terminis cõſtãt ſimplicibus, ſuperioribus, & inferioribus, generibus & ſpeciebus, differẽtijs, & alijs quorũ omniũ cognitionẽ tradit recte prædicamẽtũ. Ad tertiã etiã, qa argumẽtatio, & diſcurſus enũciationibus cõſtãt, ad definiẽdũ ſimiliter, qa bona definitio genere cõſtat, & differẽtia: & ad diuidẽdũ, qa diuiſio cõmuniter vel eſt generis in ſpecies, vel Analogi, in Analogata, horũ autẽ omniũ generis ſpe-

ſpeciei, Analogi, &c. in hoc prę dicamento datur cognitio.

Ad tertium autem de obiecto. Dico brebiter: obiectum eius eſſe, vel prædicamentum (vt voluit Sot. Villalp. Merc. Iaco. Iacomelius, & Vicẽtius Madius) vel certe (cum Alberto, Egidio, & Louanienſibus) ens ſimplex, vel vniuerſale, vt ordinabile in prædicamento. Sed certe quæſtio eſt de nomine, cum ſimplicia, & vniuerſalia in prædicamento ordinentur, & prædicamentum non ſit aliud, quam horum ordinatio. Hoc inquam eſt obiectum, vt conducit ad dirigendas operationes intellectus (vt iam tetigi) vt ſic totius Logicæ gaudeat obiecto formali, & *quo*, hæc autem entia, quæ per ſe ordinantur in prædicamento (ommiſsis varijs Doctorũ ſententijs, quæ in Oña, & Toleto videri poſſunt) exiſtimo eſſe res, aut gradus eſſentiales rerum, quæ per ſe ordinantur in prædicamento, ſed in prædicamento mentali, medijs conceptibus, in vocali, medijs vocibus; cuius ratio eſt, quia quæ per ſe primo vniuerſalitati ſubſunt, res ſunt, & hæ (vt dixi ſupra) per ſe prædicantur. Vel ſi vocibus conueniat prædicare res ipſas, hoc eſt tanquam inſtrumentis. Ideo aſſerebant recte Veteres, res prædicari, voces vero vel conceptus, prædicare.

* * *

AN LIBER HIC SIT Logici inſtituti.

FAcile hoc ex dictis colligi poteſt; ſi enim finis eius eſt operationes intellectus (prẹcipue autem primam) dirigere, ſi Logicæ finem participat, inſtitutum etiam, & tractationẽ participabit. Adde, quod ſi prædicabilium cõſideratio ſpectat ad Logicũ (vt vidimus) prædicamentorum etiam, quæ ſunt prædicabiliũ coordinationes, ſpectabit.

Neque obſtat primo, quod in hoc libro de omnibus agatur rebus, quæ in iſtis prædicamentis collocantur, de quibus, vel ad nullam ſpectabat agere ſcientiam, vel certe ad Metaphiſicam, quæ habet pro obiecto ens in communi, non (inquam) obſtat, quia licet nulla ſcientia res communes in particulari, aut in ſingulari conſideret, poteſt ea opti-

me, in aliquibus ſupremis rerum generibus, quaſi incluſa, & implicita contemplari; & licet ad Metaphiſicam prædicamentorum tractatio ſpectet, ſub diuerſa tamen ratione, quã ad Logicum: hic enim ad dirigendas operationes in tellectus, ibi autem ad naturam entis, vt ſic conſiderandam, ſpectat.

Neque obſtat ſecundo, quod prædicamentorum cognitio ſupponit notitiam differentiarum eſſentialium; quibus ſuprema genera in inferiora ſecantur, quæ cognitio ad Metaphiſicum ſpectat; non ad Logicũ, Logica enim differẽtias iã à Metaphiſica aſsiginatas ordinat, & ab illa rurſus mutuo accipit Metaphiſicus, & mutuo hoc auxilio vna aliam perficit, quod non eſt inconueniens vllum. Traditur etiam in hoc libro, & alijs, aliqua eſſentiarum, & proprietatum notitia (vt & vidiſtis, & latius iam videbitis.) Quod autem poſt tractationem Porphirij, hic liber iure alijs præponatur, probat apertè eius munus, quod eſt primam intellectus dirigere operationem.

Diuiditur autem in tres partes præcipuas, quarum, prima in Ante prædicamentis, ideſt, in explicandis aliquibus, quæ ad prædicamentorum tractationem neceſſaria ſunt, occupatur: ſecunda ipſorum Prædicamentorum doctrinam continet: tertia denique, Poſtprædicamentorum, aliquorum ſcilicet, quæ ad pleniorem, & exactiorem prædicamẽtorũ notitiã conducunt. Accedamus ergo iã (dãte Deo) ad primam huius libri partem.

IN

IN ANTEPRAEDICAmenta Ariſtotelis.

CAPVT .I.

De vniuocis: æquiuocis, & denominatiuis.

INtendens Ariſtot. agere de Prædicamentis, prius æquiuocorum, & vniuocorum rationem tradit, vt æquiuoca a prædicamentis excludat, in quibus tãtum vniuoca collocantur. De denominatiuis ſimiliter, quia ſi prædicamenta comparentur interſe, vnum de alio denominatiue dici poteſt, ſubſtantia enim denominatur quanta, à quantitate, & ſic de alijs. Agit etiã de his tribus (vt recte notauit Albert. tract. 5. c. 2.) quia prædicamenta tripliciter comparari poſſunt. Primo, ad rationem aliquam ſuperiorem, entis ſcilicet. Secũdo, ad ſua inferiora. Tertio, tandem ad inuicẽ. Primo modo (cum diuerſis prędicamentis nihil detur cõmune, aut ſuperius vniuocum) ſuperior illa ratio æquiuoca debet eſſe (nomine æquiuoci cõpręhendendo Analogum, vt vere hic compręhendit Ariſt. exemplificans in homine viuo, & picto, quæ Analoga ſunt) & ideo de æquiuocis agit. Secũdo modo; quatenus ſcilicet comparantur ad inferiora, ſunt vniuoca, & ideo hæc definiuntur ſecũdo loco. Tertio tãdẽ, prędicamẽta ad inuicẽ comparata, denominatiue dici poſſunt; ideo denominatiua etiam in hoc capite definiuit.

AEquiuoca igitur (inquit Ariſt.) dicuntur, *quorum nomẽ eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ importata per nomen, non eſt eadem, ſed diuerſa*, vt canis latrabilis, ſydus cœleſtis, & piſcis marinus, res ſunt omnino diuerſæ; neque vt ſignificantur hoc nomine *canis* aliquid aliud habent commune quam nomen: per rationem vero ſubſtantiæ intelligitur definitio, vel cõceptus quidditatiuus, vnde definitio, vel cõceptꝰ quidditatiuꝰ æquiuocorũ diuerſus omnino eſſe debet, ita vt in eo nullo modo cõueniãt, ſed ſolũ ha-

habeant commune nomen. Hinc deſumpta eſt communis illa diſtinctio,qua diſtinguuntur ęquiuoca,in ęquiuoca ęquiuocata , & æquiuoca æquiuocantia.AEquiuoca æquiuocata ſunt res,quæ vt ſignificātur tali nomine dicũtur fieri æquiuoca in eo. AEquiuoca vero æquiuocantia,ſunt voces ipſæ, quæ ex tali modo ſignificādi, res efficiunt æquiuocas.

Vniuoca vero definiuntur ſic,*Quorum nomen eſt commune,& ratio ſubſtantiæ importata per nomen, eſt omnino eadẽ*, (ideſt) quæ conueniunt in eſſentia, & nomine,& ratione, per terminum vniuocum importata;& ideo dicitur vniuocum de ſuis inferioribus nomine,& ratione prædicari,vt homo reſpectu Petri,& Pauli nomen eſt vniuocum,quia ratio, aut definitio importata per illud,in Petro, & Paulo eſt omnino eadem. Eadem autem diſtinctio de vniuocis vniuocantibus, & vniuocis vniuocatis, hic eſt proportionaliter applicanda.

Definitio tandem denominatiuorum, ſic habet.*Denominatiua dicuntur, quæcumq; ab aliquo ſolo differentia,caſu* (id eſt cadentia nominis) *ſecundũ nomen habent appellationem.* In denominatione tria continentur, forma a qua ſumitur denominatio,res denominata & denominatiuũ nomẽ,tali ordine intelligẽda,vt res denominata dicatur talis,a denominatiuo nomine;nomẽ autem denominatiuum dicatur a forma, & ita forma ſit quaſi origo totius denominationis. Exempli gratia , nomen fortis denominatiuum eſt,res denominata,Petrus V.g. forma vero a qua denominatur,eſt fortitudo,a qua nomen ipſum denominatiuũ caſu debet differre,vt fortis,& fortitudo,vt per hanc diuerſitatẽ, ſignificetur deriuatio denominationis eiuſdem,quam a forma habent,res quidem denominata vt ſit talis,& nomẽ ipſum, vt poſſit denominare. Sed de his latius ſtatim.

QVAES-

QVÆSTIO I.

Utrum definitiones æquiuocorum, & vniuocorum recte aſsignentur ab Ariſtotele.

PRo explicatione notandũ eſt primo, quod res tam nominibus, quàm conceptibus ſignificari poſſunt; res enim quæ eſt homo, & ſignificatur cóceptu hominis; eſt enim conceptus, naturalis imago rei, illam repreſentãs, ac proinde ſua repræſentatione faciẽs, vt res repreſentata poſsit cognoſci. Significatur etiam res, quæ eſt homo, hac voce *homo*: illa enim prolata ducit nos in cognitionem rei, per illam ſignificatæ, eſt tamen diuerſitas in modo ſignificandi per conceptus, aut per voces: per conceptus enim, res ſignificantur naturaliter, vt pote, per naturalem earum imaginem: per voces autem, non naturaliter, ſed ad placitum illius qui authoritatem habet imponendi nomina: ex quo fit, vt quoad vnitatem aut diuerſitatem, cõceptus proportionentur rebus, ita vt eiuſdem rei vnicus ſit conceptus, & plurium rerũ plures ſimiliter. Quod probatur: tum ratione imaginis, quæ rei repræſentatę proportionari debet. Tum, quia hæc imago eſt naturalis; ac proinde conſequens naturam, & rationem rei, cuius imago eſt. Non loquor autem de vnitate aut multiplicitate numerica, vnius enim rei plures poſſunt dari conceptus numero diuerſi, etiam in eodem intellectu ſucceſsiue cognoſcente eandẽ rem, ſed de vnitate, aut multiplicatione formali, aut ſpecifica, de qua præcipue in tradendis doctrinis curandum eſt: nõ ſic, quoad vnitatem, aut multiplicationẽ nominum, etenim fieri poteſt, vt vnius rei plura ſint nomina, vt conſtat in his quę nos cõmuniter appellam9 *ſynonoma* alij *multiuoca*, vt gladius & enſis: ſignificant enim hæc duo nomina eandem rem. Fieri etiam poteſt, vt plures res vnico nomine ſignificentur, vt patet in hac voce *canis*, eadem enim vox impoſita eſt, ad ſignificandas res di-

diuerſas, quæ diuerſarum rerum conuenientia in nomine cum nullum videatur habere fundamentum, ſi res ipſas ſignificatas expectemus, a caſu, non a conſilio, facta eſſe cenſetur: & ideo hæc nomina res adeo diuerſas voce vna ſignificantia, *æquiuoca a caſu* dici ſolent.

Tandem fieri poteſt, vt res plures conceptibus diuerſis ſignificatæ, diuerſis etiam vocibus ſignificentur, vt *homo*, & *equus*, quæ ergo in nomine & in conceptu per illud nomen ſignificato conueniunt *vniuoca* dicuntur, quæ in vtroq; differunt, vocantur *diuerſiuoca*, quę conueniunt in nomine & differunt in conceptibus, dicuntur *æquiuoca*. Tandem quę in conceptu conueniunt, & in nomine differunt, dicuntur *ſynonoma*, aut *multiuoca*. Multiuocis autem & diuerſiuocis relictis, vt ſuo propoſito inutilibus, de vniuocis & æquiuocis diſputat Ariſt.

Hinc fit ſecundo, quod cum impoſitio nominum, & hæc diuerſitas nominum & conceptuum opus ſit intellectus, non rerum ſecundum ſe: res ipſæ non ſunt vniuocæ, vel æquiuocæ ex ſe, ſed tales dicuntur, in quantum ab intellectu his vel illis nominibus (iuxta ſuperius dicta) ſignificantur. Vnde vniuocatio aut æquiuocatio ſolum conuenit per intellectum: tam rebus (vt dictum eſt) quam vocibus, quæ ſine intellectu, neque vniuoce, neque æquiuoce neq; alio modo ſignificant. Primario tamen vniuocatio, aut æquiuocatio conuenit vocibus, ſecundario vero rebus, quæ non dicuntur tales niſi in ordine ad voces vniuocas, aut æquiuocas: vt enim optime hic Caietanus prius eſt res vocari, quam vniuocari, aut æquiuocari, quare Ariſto. (vt aduertunt optime Boecius & Simplicius) non dixit *vniuoca ſunt* ſed *vniuoca dicuntur*.

Notandum eſt tertio, hic definiri, non voces ſed res, licet in ordine ad voces ipſas, non (inquam) definiri æquiuocum æquiuocans, ſed æquiuoca ęquiuocata: & ita ſenſus primæ definitionis eſt, æquiuoca dicuntur, quæ plures res ſunt, & earum nomen commune, ſed vt tali nomine ſignificantur, adhuc non habent eandē rationem, neq; vnum conceptum formalem. Senſus ſecundæ eſt, vniuoca ſunt res, quæ habent idem nomen, & ſecundum illud eandem naturam & definitionem. Quod autem hic definiantur res, non nomina probatur primo, quia definiuntur in numero plurali; nomen

Digitized by Google

mẽ autẽ vnũ eſt,tã in vniuocis, quã in æquiuocis,& cõſtat ex ipſa definitione,in qua nomen in ſingulari cõſtituitur,& *canis* vnũ tãtũ nomẽ eſt reſpectu æquiuocatorũ,*homo* itẽ vnũ nomẽ vniuocũ eſt reſpectu Petri, & Pauli. Probatur ſecũdo,ex illa particula definitionis *dicũtur* res enim ſunt,quæ dicũtur nomina vero, quibus dicũtur.

Sed obijcies primo ex Nicoſtrato,quem refert hic Simplicius. Omnia æquiuoca conueniunt in hoc nomine *æquiuocum*,& in illius definitione,ergo non ſunt æquiuoca,ſed vniuoca. Et confirmo,quia ſi habent diuerſas definitiones & naturas, quomodo vnica tantum in præſenti definiũtur definitione? Reſpondetur,æquiuocum dupliciter conſiderari poſſe,vel in cõmuni,materialiter & in *actu ſignato* vel in particulari formaliter, & in *actu exercito*. Primo modo dicit vnam rationem communẽ omnibus æquiuocis, explicatam per hanc definitionem æquiuocorum,quæ ratio & definitio,communis & vniuoca eſt omnibus æquiuocis, quia vero hæc ratio , in qua conueniunt, eſt ratio æquiuocationis,inferiora,quibus hæc conuenit definitio in actu exercito,æquiuoca ſunt,ſicut licet ratio ſpeciei ſubijcibilis,vt in illa cõueniũt hæc & illa ſpecies inferior ſubijcibilis, prædicetur de illis , quia tamen, id quod prædicatur,eſt ratio ſubijcibilis,inferiora quibus hæc ratio cõuenit,nõ exercẽt prædicabilitatẽ,ſed ſubijcibilitatẽ:itaq; quæ eſsẽtialiter,& quiditatiue habẽt rationẽ æquiuocorũ, de nominatiue , & accidentaliter poſsũt eſſe vniuoca, vt ſcilicet in hoc,quod eſt eſſe ęquiuoca, cõueniũt:Addo,quod cũ æquiuocatio,aut vniuocatio ſit talis ratione nominũ,ſit vt eædẽ res,prout diuerſis ſignificãtur nominibus,æquiuoca ſint, aut vniuoca,canis enim terreſtris & marinus nomine *animalis* conueniunt vniuoce , nomine *canis*,ſunt æquiuoca. Sic æquiuoca omnia , nomine hoc *æquiuocum* conueniunt vniuoce,licet res æquiuocatæ in particulari & in exercitio nomine aliquo æquiuoco V.g.*canis* non vniuocentur ſed æquiuoca ſint.

Obijcies ſecundo,nomen ęquiuocum non eſt vnum , ſed plura,ergo falſo dicitur vnum nomen habere , antecedens probo,quia nomen æquiuocũ eſt ſignificatiuum, vt per ſe patet,canis enim aliquid ſignificat , ſed ſignificatio eſt forma nominis ſignificatiui : ergo quot fuerint ſignificationes , tot erunt formæ no-

nominis ſignificatiui, at nomẽ æquiuocum plures habet ſignificationes, eſt ergo in ratione nominis ſignificatiui plura nomina. Reſpondetur, licet multiplicem habeat ſignificationẽ, eſſe tantum nomen vnum quia concreta, aut compoſita accidentalia, non multiplicantur pro diuerſitate formarum, ſi vnum ſit omnium ſubiectum, ſic enim dicitur vnus artifex; quamuis plures habeat artes: ita nomen illud æquiuocum eſt quodammodo, quaſi compoſitum quoddam accidentale, ex nomine & voce pro materiali, ex ſignificatione vero pro formali. Vnde quamuis multiplicatur formale nempe ſignificatio, non multiplicatur accidentale compoſitum, quia materiale, vox ſcilicet, & nomen vnum eſt. Addo, dici poſſe æquiuoca habere nomen vnum, & idem materialiter tantum, non formaliter.

Obijcies tertio, Petrus eſt vniuocum: neque enim Analogum, æquiuocum, aut denominatiuum; & tamen illi non cõuenit definitio data, ergo. Reſpondetur *Petrum* vt ſic, nulla habita ratione ad aliquid cõmune vniuocans, aut æquiuocans, neque vniuocum, neque æquiuocum dici: poteſt tamẽ appellari vniuocum vniuocatum, in ſingulari, reſpectu hominis: Ariſt. autem de communibus agit vt explicatum eſt.

Circa definitionem vniuocorum explicanda erat identitas, aut vnitas rationis illius communis, qua ſcilicet ratione debeat deſcendere ad inferiora, vt ab Analogis diſtinguatur, ſed de hoc neceſſario dicendum eſt ſequenti diſputatione, de Analogia late, ſimiliter explicare oportebat, an vniuoca a denominatiuis diſtinguantur, ſed de hoc ſequenti quæſtione.

Conſtat igitur optimas eſſe æquiuocorum, & vniuocorum definitiones traditas ab Ariſt. quas, & commune Philoſophorum placitum, & explicatio earum tota hac adducta quæſtione ſatis probant.

QVAES-

QVÆSTIO II.

De Definitione & Natura Denominatiuorum.

DEnominatiuorum deffinitionem ab Ariſtotele traditā probandā nō eſſe,hęc argumenta ſuadent.Primū eſt, denominatiua ſunt vniuoca; male ergo diſtinguūtur ab vniuocis . Antecedens probatur, quia quæ prędicantur nomine & ratione de ſuis inferioribus ſunt vniuoca(vt Ariſt.exprẹſit in hoc capite,) ſed denominatiua prædicātur nomine,& ratione, ergo ſunt vniuoca. Minor probatur,*album* eſt denominatiuū ab albedine, reſpectu Petri,& Pauli, habentiū albedinē,at albū nomine & ratione de illis prædicatur,tum, quia eſt prædicatio quinti prędicabilis,Petrus eſt albus,tum etiā quia ratio importata per *albū*,& nomē ipſum,eadē ſunt in Petro,& in Paulo , quid ergo deficit denominatiuis vt vniuoca ſint?

Secundo,*homo* ſumit denominationē ab *humanitate* , a qua ſolo caſu differt, & tamen *homo*,& *humanitas* (vt fatētur omnes)nō ſunt denominatiua ergo.Cōfirmatur,*ſtudioſus* ſumit denominationē ab *ſtudio*, a quo caſu,& vocis terminatione differt,& tamē *ſtudiū*,& *ſtudioſus*,nō ſunt denominatiua, vt pote,quæ res omnino diuerſas ſignificāt,ſtudioſus ſcilicet, virtute præditū, ſtudiū autem ſolicitudinē: male ergo Ariſt. denominatiua definit.

Tertio,denominatiuū poteſt eſſe tātū vnū , vt ſi vnus tantū homo iuſtus,a iuſtitia denominetur , male ergo in numero plurali ea Ariſt.definiuit.

Pro explicatione tamē Notādū eſt primo,quod id quod apud Logicū appellatur denominans, apud Phiſicum dicitur abſtractū accidentale, quaſi ſimplex & pura forma,vt albedo , & idem apud Grammaticum dicitur Primitiuum quaſi ab alio non dependens; illud autem quod apud Logicum dicitur denominatiuum , apud Phiſicum vocatur concretum accidentale, compoſitum ſcilicet ex ſubiecto,& forma accidētali, vt albū . Apud Grāmaticū vero vocatur deriuatiuū, quaſi deſcendens

ſeu

Digitized by Google

ſeu deriuatum ab alio, eſt tamen quoad hoc maxima inter Logicum, & Grammaticum differentia, quod Grammaticus (qui dictiones ſolum & ſyllabas contemplatur) illud dicit nomen deriuatiuũ, quod a primitiuo deriuatur deriuatione (vt ſic dicam) nominali, litterali, aut ſyllabarum. Vnde apud ipſum, *iuſtitia* nomen deriuatiuum eſt, a genitiuo huius nominis *iuſtus*: iuſti enim addito *tia* fit *iuſtitia*; Logicus vero (qui indagatiuus veritatis eſt) denominatiuum vocat, nõ quod ab alio ſic Grammaticaliter deriuatur, ſed quod reſpicit formam denominandi, tanquam originem totius denominationis; itaq; Primitiuum (vt ſic dicam) in genere denominationis eſt forma, iuſtitia verbi gratia, deriuatiuum, ſeu denominatiuũ eſt iuſtus, Logice loquendo, licet grammaticaliter vice verſa, iuſtus ſit primitiuum, iuſtitia vero deriuatiuum. Dixi autem denominans ſignificare formam accidẽtalem, & denominatiuũ, accidẽtale cõcretũ, quia de ratione denominatiui eſt, quod nõ ſit de eſsẽtia ſubiecti aut rei denominatę. Pro quo notandum eſt ſecundo. In definitione denominatiuorũ dici, *denominatiua dicuntur quæcumq; ab aliquo*, &c. Vbi per illam particulam *ab aliquo* ſignificatur, formam denominãtem, ſeu a qua ſumitur denominatio, non debere eſſe de eſſentia rei denominatę, id enim ſignificat *ab aliquo*, id eſt a quopiam alio, quod enim de eſſentia rei eſt, non cenſetur aliud, aut aliquid diſtinctum, humanitas enim non cenſetur conſtituere aliud ab homine, aut eſſe aliquid, quod cum homine in numero componat, quia homo eſſentialiter dicit humanitatem, defectu cuius homo non eſt denominatiuum ab humanitate. Per quod patet ad ſecundum argumentum: quando autem dicitur formam denominantem debere eſſe quid accidentale, nomine accidentis intelligimus, quicquid nõ eſt de eſſentia ſubiecti, etiam ſi materialiter & entitatiue habeat rationem ſubſtantiæ.

Notandum eſt tertio. Quatuor eſſe denominatiuorũ cõditiones. Prima, quod inter denominans & denominatiuũ, ſit aliqua conuenientia in re ſignificata, defectu cuius *ſtudioſus* non eſt denominatiuũ ab ſtudio, quia ſtudium ſignificat ſolicitudinem, ſtudioſus vero, virtute præditum. Secunda conditio eſt, quod etiam in re ſignificata ſaltim quoad modum ſignificandi, ſit aliqua diuerſitas; fortitudo enim ſigni-

nificat ſolam formam, fortis autem quod eſt denominatiuum, ſignificat illam, connotādo ſubiectum. Tertia conditio eſt, quod in nomine ſit aliqua conuenientia & ſimilitudo, id eſt, quòd in principio nominū conueniant denominans & denominatiuum, defectu cuius, ſtudioſus non eſt denominatiuū a virtute, quia licet ex parte rei ſignificatæ conuenientiam habeant requiſitam, in voce tamen nullo modo conueniunt. Quarta deniq; conditio eſt, quòd etiam in voce, aliquomodo differant, ideſt in cadentia, aut terminatione vocis, defectu cuius hoc nomen *Muſica* pro muliere Muſica, non eſt denominatiuum a Muſica, pro arte Muſicæ. Ex quibus poſſent diuidi denominatiua, alia voce tantum, vt ſtudium, & ſtudioſus, alia re tantum, vt virtus, & ſtudioſus, alia vero voce, & re ſimul, vt fortis & fortitudo, alia deniq; re quidem complete, voce vero aliqualiter & incomplete, vt mulier, Muſica, ab arte muſica, cōueniunt enim in nomine quoad tertiam conditionem, licet quia nulla eſt in nomine differentia, a veris deficere videantur denominatiuis. Sed certe hæc adeo partialis, & accidentalis differentia, non videtur ſufficiens, vt hæc vltima, verè denominatiua non ſint, præcipue, quia Muſica adiūcta mulieri, nomen adiectiuū eſt, quo ſufficienter, quoad formale nominis ſignificatiui diſtinguitur a Muſica arte, ſed hæc parui momenti ſunt.

Ex dictis ſequitur: denominatiua media eſſe, inter vniuoca & æquiuoca; vniuoca enim habent idem nomen, & eandē rationem, adhuc eodem modo ſignificatam; æquiuoca idē nomen, non eandem rationē, denominatiua vero, non habent eandem rationem adeo perfectè; ſicut vniuoca cum diuerſo modo illam ſignificent, fortis ſcilicet connotando ſubiectum, fortitudo autem dicēdo nudam formam. Nomen etiam habent nec prorſus idē, nec prorſus diuerſum: vnde media ſuo modo dici poſſunt, inter vniuoca, & ęquiuoca. Verum eſt, quod ſi loquamur de denominatiuis reſpectu ſubiectorum quę denominantur, vt de hoc denominatiuo albo, reſpectu Petri & Pauli, poſſunt habere optime rationem vniuocorum, vt recte probat argumentum primum: ad quod quatenus poteſt eſſe cōtra Ariſt. Reſpondetur primo, denominatiua diſtinxiſſe ab vniuocis vt hæc quæ illis ſunt peculiaria prout denominatiua ſunt explicaret: ſunt enim ad

minus

minus diuerſæ rationes forma les in vniuoco denominatiuo, & vniuocum eſſe, & denominatiuum eſſe. Reſpondetur ſecundo, quod de vniuocatione dupliciter loqui poſſumus, vel large, & ſic quæcunq; prędicãtur nomine & ratione, ſiue pręd icentur eſſentialiter, ſiue accidẽtaliter, ſunt vniuoca, & hoc modo denominatiua vniuoci rationem poſſunt participare: ſi vero ſermo ſit de vniuocatione proprie & in rigore, vt de ea loquitur hic Ariſt. illa tñ tum prædicãtur vniuoce, quæ prædicantur eſſentialiter, qua ratione aſſeruit Ariſtot. cap. de ſubſtantia, quantum & quale non dici vniuoce de inferioribus ſubſtantiæ, quod probat particula illa in definitione vniuocorum, *ratio ſubſtantiæ eadem* ideſt eſſentia aut conceptus quidditatiuus, & hoc modo recte diſtinxit Ariſto. vniuoca a denominatiuis.

Ad ſecundum & eius confirmationem, patet ex dictis.

Ad tertiũ Reſpondetur, concedendo antecedens, negãdo tamen conſequentiam, potuit enim recte in plurali definire, pręcipue, quia Analoga, & vniuoca in plurali definita erant, vt ſic idem ſtilus ſeruaretur. Deinde loquebatur de terminis communibus pluribus inferioribus. Vnde cum denominatiua inferiora etiã ſint, hoc verbi gratia album & illud, ea in plurali definiuit, quia ſolũ reſpectu eorum in plurali, poteſt eſſe communis ratio denominandi.

Dices. Quare Ariſt. Analoga prætermiſsit? Reſpondetur, quia medium quoddam ſunt inter vniuoca, & ęquiuoca, quorum definitio ex definitione æquiuocorum, & vniuocorum ab Ariſt. aſsignata, facile poteſt colligi, vt iam explico. Sunt enim plura de Analogia ſcitu digna, eaq; difficillima, neceſſario explicanda. Reſponderi ſecũdo poteſt, Analoga magis accedere ad æquiuoca & excludi etiam a Prædicamento ſicut illa, ac proinde quãtũ ad hoc (de quo pręcipue mẽs erat Ariſtotelis) ſub æquiuocis cõpræhenduntur. Eadem enim eſt Analogorũ ratio, vt in prædicamento non collocentur.

†

* *

*

DIS-

DISPVTATIO XI.

De Analogia in communi, vbi etiam de Analogia entis.

DE Analogia ad Metaphiſicum agere ſpectat, quatenus in ente vniuerſaliſsimo, quod proprium eius obiectum eſt, reperiri poteſt, ſed ad Logicum etiam pertinet, de natura & ratione analogię tractatio, vt ex ea cognoſcatur, analoga eſſe à prædicamento excludenda, & à Syllogiſmis, alijs ve argumentationibus, quæ in ſolis terminis vniuocis commode fieri poſſunt. Duplex auté diſtingui ſolet æquiuocum, (quod & Boecius & Ammonius adnotarunt) aliud eſt æquiuocum à caſu, de quo nos non nihil ſupra tetigimus, aliud eſt æquiuocum à cõſilio: æquiuoca à caſu dicuntur ea, quando nulla habita ratione vnius rei ad alteram, idem vtriq; nomen imponitur, qua ratione hoc nomẽ Gallus ſignificat hominem natione Gallum, & animal etiam. Canis ſimiliter picem, ſtellam, & animal: æquiuoca vero à conſilio ita dicta ſunt, quia habito aliquali reſpectu vnius ad aliud, cõſiderataq; proportione, ſeu analogia, hoc enim illa ſignificat, (vt ſtatim latius) vtrumq; eodem nomine nũcupatur, quamuis in re per illud nomẽ ſignificata, non habeant omnimodam conuenientiã, qua ratione homo & pratum viride ridere dicuntur, ille, quia vere ridet, riſuq, hilaritatem oſtendit, immo colore & pulchritudine ſolet ridentis vultus eſſe perfuſus, hoc autem, pratum ſcilicet, quia in ſua viriditate, & pulchritudine homini quodammodo in riſu, & lætitia aſsimilatur; Hæc ergo æquiuoca à conſilio analoga dicuntur, quia conſiliũ imponendi illis idem nomẽ ex proportione, ſimilitudine, aut reſpectu, ſeu analogia, quam inter ſe dicunt, ortũ habuit. De his ergo in hac diſputatione diſſerendum eſt.

QVÆSTIO. I.

Quid ſit Analogum, quid Analogia, & quotuplex.

INquiro in titulo quæſtionis, quid ſit Analogum, & quid Analogia, quoniam diuerſa ſunt, & vtrumq; ad intelligendam rationem analogatorum explicare oportet. Aliud eſt nomen analogum, V.g. hoc nomen riſus, (vt in analogia prati ridentis, & hominis iam tacta, exemplificemus,) aliud illa plura analogata hoc nomine ſignificata, & in illo quaſi incluſſa, ſcilicet pratum viride, & homo ridẽs, aliud deniq; conuenientia ipſa, ſeu ſimilitudo analogica, inter analogata reperta, quę illa quaſi analogat, & denominat; eſt aliud ſicut eſt forma illa, in qua conueniunt duo alba, aliud autem cõuenientia illa & ſimilitudo à qua ſimilia denominantur. Dicam autem ſtatim quid ſit analogum, ſi prius quid ſit analogia explicuero. Analogia ergo, Cicerone interprete, in libro de vniuerſitate, *Proportio dicitur*, quam acceptionem refert Budæus in commentarijs linguæ Grçcæ, & illam vſurpat Gelius, lib. 2. noctium Aticarum cap. 15. Eraſmus in annotationibus ſuper epiſtolam ad Romanos, Euclides lib. 5. elementorum ſect. 4. Et Quintilianus lib. 1. de inſtitutione, cap. 6. & 10. Vnde illa propriè dicentur analoga, quæ ſecundum proportionem idem ſunt, & analogia dicetur illa proportio, & ſimilitudo, ſecundum quam idem ſunt, ſiue illa ſit proportio vnius ad aliud, ſiue proportio duarum proportionum. Vt in analogis proportionalitatis reperitur; de quibus infra. Iſtud autem proportionis, ſeu analogiæ nomen, extenditur iam à Doctoribus ad ſignificandam quamlibet habitudinem & proportionem inter ſe, vel ad aliquod tertium, ſic homo dicitur analogicè de viuo & picto, pictus enim & viuus vnum habitudine ſunt, quia homo pictus per ordinem & habitudinem ad viuũ dicitur homo. Alij etiam analogiæ nomen in latinum tranferentes, *conuenientiam*, tranſ-

Digitized by Google

transferunt, *& comparationem.*

Ex quo facile erit definire quid ſit analogum in communi: eſt enim nomen quoddam commune pluribus, ſub ratione vna, ſecundum quid, non ſimpliciter, vna inquam, proportione, habitudine, aut comparatione tantum. Analogata autem ea dicuntur, quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ ſecundum illud nomen, neq; omnino eadem, neq; omnino diuerſa, vt animal, V.g. Medicina, & ſaliua, analoga ſunt, quia habent nomen commune, ſcilicet ſanum, animal enim ſanũ dicimus, Medicinam ſanam, & ſanam etiam ſaliuam, ratio tamẽ ſanitatis importata per nomen ſanum, aliquo modo eſt eadem, quia reperitur in omnibus his analogatis, & aliquo modo diuerſa, quia diuerſa ratione, animal, Medicina, & ſaliua, dicuntur ſana, animal enim dicitur, habens ſanitatem, Medicina, cauſans ſanitatem, ſaliua vero, illam ſignificans. Ex hac analogiæ definitione, ſequitur primo. Analoga eſſe media inter vniuoca, & æquiuoca, magis tamen ad æquiuocationem accedere, etenim quatenus ratio illa nomine analogo importata, eſt eadem, tendit ad vniuocationem, quatenus vero illa idẽtitas eſt(vt ita dicam) partita, *dicitur enim partim eſt eadem*, ab vniuocatione recedit, magiſq; per diuerſitatem quam includit æquiuocationi aſsimilatur. Ratio eſt, quia identitas & vniuocatio habet rationem boni, vnde eſt conditio requiſita, ad ea quæ in prædicamento collocanda ſunt, & ad terminos ex quibus commode argumentationes conficiendæ ſunt: diuerſitas vero ei oppoſita habet rationem mali, quia ergo bonum ex integra cauſa, malum ex quocumq; defectu, diuerſitas analogorum, quæ omnimodam identitatem partitur, & & tollit, habet rationem mali, diſtat ergo magis ab vniuocis, quam ab æquiuocis, in quibus eſt rationum omnimoda diuerſitas, ad quæ proinde tanquam ad maius malum comparatur, magis autem diſtant inter ſe malum & bonum, quam minus & maius malum.

Sequitur ſecundo, analogum vt tale ſit, duo ſemper ad minus analogata poſtulare, & nomen commune, rationemq; vt in illis eadẽ ſimul eſt & diuerſa, neceſſario ſignificare, quorũ quouis ablato,

 tollitur,

tollitur omnino ratio analogi, quod maxime notandũ eſt, pro his quæ dicemus quęſt. 4. Hoc autem probatur primo, quia ideo definiuntur analoga in numero plurali, ideo nomen commune dicitur, communitas autẽ non eſt niſi reſpectu plurium, vnde nomen analogum debet eſſe nomen *quorum*, ideſt pluriũ. Dicitur enim, quorum nomẽ eſt cõmune. Probatur ſecundo, quia nomen analogum eſt nomen cõparationis, & proportionis, quę ad minus duo extrema requirunt. Tertio, quia analogũ dicit rationem eſſe partim eãdem, identitas autem partita non poteſt eſſe in eodem reſpectu ſui, quia idem non eſt ſibi idem, partita & diuerſa identitate.

Ex quo fit tertio, vt idem nomen analogum. V. g. ſanũ, immo idem nomen æquiuocum. V. g. Canis, ſi reſpectu vnius tantum extremi, animalis ſcilicet comparentur, non habeant rationem neq; analogi, neque æquiuoci, potius accedant ad vniuocum, hæc enim prædicatio, animal eſt ſanum, vniuoca potius & quinti prædicabilis eſt. Vt ergo hoc nomen aut hæc prædicatio analogetur, ſanitas ſumenda eſt, vt proportione, & attributione dicit, tam ſanum formaliter, quam cauſaliter, & ſignificatiue, ſaltim confuſſe hæc omnia ſignificans, de quo latius infra.

His ſic(, quoad analogiam in communi) conſtitutis, vt ſecunda pars quæſtionis explicetur, ſcilicet quotuplex ſit. Notandum eſt ex Caietano, in opuſculo de Analogia nominum, capit. 1. 2. & 3. Analoga eſſe in triplici differentia; inæqualitatis quędam; alia proportionis, ſeu attributionis, & alia proportionalitatis. Proportio autem, & proportionalitas in hoc differunt, quod proportio eſt habitudo vnius ad alterum, aut plurium ad vnum, vt habitudo quam dicit homo pictus, ad hominem viuum, aut Medicina & ſaliua ad ſanitatem animalis. Proportionalitas autem, eſt proportio, aut habitudo proportionum, vt cum dicimus ita ſe habent quatuor ad *duo*, ſicut ſex ad tria, vel ita ſe habet Nero ad ſuas actiones, ſicut Leo ad crudelitatem. De his autem analogis tam proportionis quam proportionalitatis, ſigillatim ſtatim dicendum eſt, nunc quæ ſint analoga inæqualitatis explicemus.

Analoga ergo inæqualitatis ſunt illa, quorũ nomen eſt com-

commune,ratio vero ſignificata per nomen licet vt ſic ſit eadem ſimpliciter in inferioribus, illam tamen inæqualiter participant ratione differentiarum contrahentiũ:qua ratione ſpecies cuius vis generis dicuntur analoga inæqualitatis,quia licet animalitas, V.g. importata per nomen animalis,æqualiter ſit in homine, & in equo,vt hoc nomine ſignificatur,perfectius tamẽ reperitur in homine ratione principalioris differentiæ: vnde dicimus hominẽ eſſe perfectius animal equo, dicitur autem hęc analogia Phyſica, non Logica,quia apud Logicum, qui tantum rationem vnam abſtractam, & communem præcipue conſiderat, non ſunt mẽbra illa inæqualia, quia in ratione communi animalis,homo & equus non habent inæqualitatem.Phyſica vero dicũtur, quia illa inæqualitas qua homo perfectius animal dicitur, ratione differẽtię,ſcilicet rationalitatis, non conuenit animali niſi quatenus Phyſice in homine cum rationalitate identificatur, & ideo vocat ea S. Thom. analoga ſecundum eſſe:per ly,*eſſe*, exiſtentiam intelligens., quia in indiuiduis exiſtentibus hominis, & equi vere hęc inęqualitas reperit. De qua inęqualitatis analogia interpretãdus eſt Ariſt.7. Phyſicorum vbi ait:Omne genus eſſe æquiuocum, quia ſpecies ſub illo contentæ ſunt ſicut numeri, qui numquam poſſunt eſſe æquales &.7. Meth. tex.31. ſub genere aſſerit ęquiuocationes(ideſt ſpecies ratione differentiarum inæquales) contineri. Hanc autem analogiam conſtat à vera vniuocatione non recedere, vt pote, quæ in genere, & ſpeciebus, quæ omnino vniuoca ſunt reperitur, quia illa inæqualitas differentiarum,non ſignificatur illo nomine communi & generico in quo ſpecies conueniunt, vnde ratio importata per illud nomen omnino eſt eadem in inferioribus.

Dices. An hæc analogia inæqualitatis, ſicut reperitur in ſpeciebus cuiuſcumq;generis, (quęlibet enim ſpecies vt dicebamus neceſſario ſunt inęquales,& ſicut numeri)ſic etiã reperiatur in indiuiduis cuiuſcumq; ſpeciei. Reſpondetur, quod licet in aliquibus reperiri poſsit, non tamen hæc inæqualitas debet in omnibus neceſſario reperiri:conſtat enim dari poſſe duas albedines,aut duos calores eiuſdem intenſionis & perfectionis, in quibus licet ſit diſtinctio numerica, non tamen inæqualitas in perfectione.

QVÆSTIO. II.

De Analogis Proportionis ſeu attributionis.

ANaloga hæc attributionis ab Ariſtot. Alex. Porph. & alijs antiquis, non dicuntur analoga, ſed æquiuoca, vt ex. 4. Meth. text. 2. clare patet, cum enim hæc analoga nullã rationem communem habeãt omnibus analogatis, vt infra dicendum eſt, ſed in illis nomen tantum ſit cõmune, æquiuoca videntur, potius quam analoga eſſe dicenda, vſus vero iam recepit, vt ratione cuiuſdam proportionis, quæ in illis reperitur, in qua à mere æquiuocis diſtinguuntur, analoga dicantur. Poſſunt autem, vt colligitur ex Ariſt. 1. Eticorum cap. 6. & D. Tho. ibidem lectione. 7. cũ Caietan. Opuſc. de nominum analogia cap. 2. ſic definiri. Analoga attributionis ſeu proportionis ſunt, quorum nomẽ eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ eadem eſt, ſecundum terminum, & diuerſa ſecundum habitudinem ad illum: ſic dicitur ſanum analogum proportionis, quia de pulſo & Medicina dicitur, ſecundum proportionem quam habent cum ſanitate animalis, in quantum pulſus eſt ſignum ſanitatis, Medicina vero cauſa, & licet de animali etiã dicatur, quia de hoc dicitur tãquã de analogato pręcipuo, in ordine ad quod alia minus præcipua analogata habitudinẽ dicunt, & ratione cuius ratio ſani eis attribuitur, dicũtur analoga attributionis. Explico magis in his analogatis, animal, V. g pulſus, & Medicina, reſpectu ſani, alterum nempe *Animal* præcipuum eſt, in quo ratio ſani vere, & formaliter reperitur intrinſice, in alijs vero ſolum extrinſeca denominatione, ab hac intrinſeca ſanitate animalis deſumpta: quia ergo id quod alicui intrinſecum non eſt, poteſt dici *ei* ab extrinſeco tribui, & vtrumq; vnico verbo compręhendendo, ei attribui. Hæc analogata minus præcipua dicuntur attributionis, quaſi paſsiue, id eſt, quibus ratio formalis ſani, quę in illis propriè non eſt, attribuitur à ratione formali ſanitatis, quę eſt in animali, animal autem dicitur ſecundum hanc explicationem, analogũ

Digitized by Google

attributionis actiuè, ratio enim ſanitatis, quę in illo vere reperitur, dat alijs analogatis, vt ratione proportionis ad illam, dicantur ſana. Vel alio modo, ratio attributionis tribuatur nomini analogo, ipſumq; per ſe, & veluti immediate tribuat rationem ſuo nomine importatam analogato præcipuo, nempe animali, ſecundario autem & per ordiné ad illud, alijs analogatis minus præcipuis.

Ex quo ſequitur, prima & præcipua cōditio horum analogatorum, ſcilicet vt ſignificatum formale, aut ratio importata per nomen analogũ, formaliter, ſolum reperiatur in primo analogato, in alijs vero, vel extrinſeca tātum denominatione, (vt patet in exéplo adducto de ſano reſpectu animalis, pulſus & Medicinæ) vel ſaltim per habitudinem, & ordinem ad hoc præcipuum analogatum. Cōſtat enim ens eſſe analogum hac analogia proportionis, reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, & tamen ratio entis non reperitur extrinſeca tantũ denominatione in accidenti, licet vt inferius, & minus præcipuum analogatũ eſt, illam nō participet, niſi in ordine ad ſubſtātiam. Dicitur etiam ens, hoc genere analogiæ Analogum, reſpectu Dei & creaturarum, creaturæ auté licet entitatem habeant participatam à Deo, & ideo dependentem ab illo, illam tamen habent intrinſice.

Dices. Quando ens eſt analogũ, analogia proportionis reſpectu ſubſtantię & accidétis, ſignificat entitaté per ſe, quæ ratio ſolum reperitur formaliter in ſubſtantia, in accidenti vero per extrinſecam tantum denominationem, habet enim quantitas dici ens per ſe extrinſice; in ratione menſurę, quia eſt menſura entis per ſe, ſicut Medicina dicitur ſana, quia eſt effectiua ſanitatis. Contra, quia ſi analogum eſt ens per ſe, ergo analogum eſt ſubſtātia, ſed ſubſtātia eſt analogatũ, ergo analogũ, & analogatũ coincidũt. Deinde, ſubſtātia nō eſt nomé commune ſubſtantiæ & accidéti, ergo nō eſt analogum, analogũ enim eſt commune nomen analogatorum, vnde nunquam dicitur quantitas ens per ſe, aut ſubſtantia, pulſus autem, ſanus aliquando nominatur, & Hiſpane, ſicut de homine ſano dicitur, (*bueno eſta*) ſic de pulſu dici ſolet, (*bueno eſta eſte pulſo*.) Deinde etiam ſi ſecundum hanc eius tranſcendentiam, reperiatur analogum intrinſice in omnibus analogatis, ſaluatur

 ſufficien-

ufficienter diſtinctio inter analoga proportionis, & proportionalitatis, quia illa eſt proportio tantum (vt inquit Ariſt.) *ab vno vel ad vnū*, ab vno (inquam,) ad aliud vnum, vel à pluribus ad vnum. Vnde nō requirit hæc analogia quatuor terminos, analogia autē proportionalitatis, eſt proportio proportionum, quatuor terminos requirens, vt ſtatim explicabimus: immo in analogis proportionalitatis, nō ſemper reperitur ratio analogi intrinſice & propriè in omnibus analogatis, vt patet de riſu reſpectu hominis & prati, pratū enim non dicitur propriè & intrinſice ridens. Quod dixerim propter Authores aliquos alias doctiſsimos exiſtimantes, hanc analogiam proportionis poſtulare neceſſario, vt ratio importata per nomen, ſolum in præcipuo analogato reperiatur intrinſice, hocq; differre ab analogia proportionalitatis, quod illa poſtulet rationem analogi intrinſice in omnibus ſuis analogatis: quod non habet analogia proportionis. Hoc (inquam) nec verū eſt, neq; adæquata & omnino da ratio diſtinctionis, ab analogia proportionis, cum ex alijs capitibus ſatis diſtinguantur analogia proportionis, & proportionalitatis, ac proinde ad conſtitutionem differentiæ inter has duas analogias non neceſſarium.

Secunda proprietas horum analogatorum, quę oritur ex præcedenti eſt, quod minus principalia analogata definiri non poſsint ſine ordine ad primum. Sic D. Tho. primo cōtra gentes cap. 32. & 1. par. quæſt. 16. art. 6. & probatur, quia cū ratio ſignificata nomine analogo, non conueniat analogatis minus præcipuis, niſi in ordine ad primum analogatum, explicari non poterit eorum ratio, neq; concipi, ſine ordine ad illud. Quod ſi obijcias. Sequi ex hoc quod minus pręcipua analogata, ſint relatiua: (Hæc enim eſt natura relatiuorum, vt vnum non poſsit definiri ſine ordine ad alterum,) quæ ſequela falſa videtur, cum plura poſsint eſſe analogata ſecundaria, quæ ſint ſubſtantiæ. Reſpōdetur. Quod licet ſecūdum rationes peculiares, *ſibi* proprias, ſint entia abſoluta hæc ſecundaria analogata, vt tamen ſubſtant conceptui analogi, talia ſunt per habitudinē & relationem ad primū, quæ relatio non eſt realis, ſed ſolū rationis: ſicut enim per rationem analogantur vt ſupra dixi, ſic per rationem formaliter vt analogata referuntur, vel ſi quis eſt, inter res quæ analogantur.

Digitized by Google

gantur à parte rei reſpectus, vt inter pulſum, & ſanitatem, (habet enim naturaliter pulſus illam indicare) hæc erit relatio ſecundum dici, vel ſi ſecũdum eſſe, nihil contra nos: poteſt enim optime ſubſtãtia media relatione referri. Exẽplis etiam probatur hæc proprietas, pulſus enim & Medicina per ordinem ad ſanitatẽ animalis definiuntur: Medicina eſt ars cauſans ſanitatem, & pulſus, eſt motus arteriæ ſanitatem indicans, aut eius effectum. Accidens etiam definitur, eſt ens quod habet eſſe in alio, ſcilicet in ſubſtantia.

Tertia demum proprietas eſt, quod hæc analogata ſignificari nõ poſsint, vnico cõceptu, ſed pluribus, tot ſcilicet, quot fuerint analogata. Ratio eſt, quia cum quodlibet analogatum, diuerſam immo ſæpe diuerſæ rationis habitudinem habeat ad primum, quodlibet diuerſo conceptu, ſuã habitudinem ſignificabit, & adminus diuerſo cõceptu ab eo, quo pręcipuum illud analogatum ſignificatur, ac proinde erunt plures conceptus. Circa quam proprietatem, duo ſunt aduertẽda. Primum hoc verum eſſe de cõceptu diſtincto, ſcilicet, non poſſe vnico conceptu diſtincto repræſentari, de hoc enim nullus dubitat, cõceptus enim ſani vt ſic, certum eſt ſolum diſtincte repræſentare animal habens ſanitatem, confuſſe vero, ſunt qui aſſerant, alia omnia analogata dicere, de quo quæſt. 5. dicendum eſt. Vnde ratione huius diſtinctę repreſentationis, qua primum analogatum, vel ſolum repreſentatur vt in ſano reſpectu animalis, vel primario dicitur, vt in ente reſpectu ſubſtantiæ, dici ſolet: Analogũ per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato. Secundũ eſt, hanc proprietatem plurium cõceptuum, præcipue applicari his analogatis, quia hac analogia attributionis, præcipue dicuntur analoga, ea in quibus ratio ſignificata non reperitur intrinſice in omnibus, ſed in minus præcipuis analogatis per extrinſecam tantum denominationem: vt de ſano reſpectu animalis, Medicinæ, aut pulſus, dictum eſt, reſpectu quorum hæc proprietas abſolute eſt vera: quia ręſpectu eorum in quibus intrinſice ratio analogi reperitur, res eſt difficilis explicanda quæſt. 5.

Notandum deniq; eſt, hæc analoga diuidi ab Ammonio, Simplicio, & Boecio, & ab omnibus fere recentioribus, ſecũdum quatuor genera cauſarũ, nam aliqua ſunt analoga ad vnum finem, vt pulſus & Medicina:

dicina ad ſanitatem animalis, ad quam veluti ad finem ordinãtur. Quædã ſunt analoga ad vnũ efficiens, vt medicũ quod de libris, inſtrumentis & homine dicitur, eſt enim homo medicus, inſtrumenta medica, & libri ſimiliter, quæ omnia ab vna Medicina, tanquã ab vna arte deriuãtur. Alia eſt analogia in genere cauſæ materialis, vt in ente, reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, accidens enim ordinatur ad ſubſtantiã, tanquam ad ſubiectum, & cauſam materialẽ ſui. Alia deniq; eſt analogia in genere cauſæ formalis, vt ea, quæ reperitur inter hominem viuum, & pictũ, eſt enim viuus quaſi forma & exemplar picti. Non eſt autem immorandum, an inter hęc, verę & proprię cauſalitates reperiantur, ſufficit quaſi reductiue, & per ordinem ad quatuor cauſarũ genera, poſſe analoga attributionis diſtingui.

Obijcies. Ens abſolute ſumptum non ſtat pro famoſiori ſignificato, ſcilicet pro Deo, falſum ergo eſt analogum per ſe ſumptum ſtare pro famoſiori. Reſpondetur primo, illã cõditionem ſemper eſſe verã in analogis, quorum vnum tantũ intrinſice participat rationẽ analogi, nõ vero in illis in quibus intrinſice reperitur in omnibus: ens autem intrinſice, reperitur in Deo, & creaturis. Reſpondetur ſecũdo, quod cũ ens ſit etiam analogũ reſpectu ſubſtantię, & accidẽtis, & omnium rerum, quas tranſcẽdit, non poteſt ſtatim intelligi de Deo, quia non dum ipſo nomine explicatur, de qua entis analogia ſit ſermo: ſi autem alio nomine non ita communi loquamur, V.g. *qui eſt*, aut alio ſimili, pro Deo ſupponit ſtatim, ſecundum illud *qui eſt miſsit me ad vos*.

Solet in hac quæſtione alia attributionis analogia enumerari, illa ſcilicet, qua plura dicunt habitudinẽ ad formã aliquam vel rem extrinſecã, nullo modo contentã ſub nomine ipſo analogo. Hoc genere analogię dici ſolent accidẽtia cõuenire analogice in accidẽti, quia ſub ratione accidẽtis omnia dicunt habitudinẽ ad ſubſtantiam, quæ extrinſeca eſt, & ſub accidentis nomine nõ cõtinetur. In quo analogiæ genere nõ eſt aliquod principalius analogatum, per quod definiãtur, ſed omnia per illud extrinſecum, ad quod ordinãtur, definienda ſunt, propter habitudinem quam dicunt ad illud.

Hoc tamẽ analogiæ genus, verę vniuocationi exiſtimo nõ repugnare: poſſunt enim plura vniuoca hanc analogiæ participare

Digitized by Google

cipare rationem, quia habitudo ad aliquid extrinſecum ſi ex ęquo omnibus cōueniat, & non vni propter aliud, non tollit veram vniuocationem, & licet dicere habitudinem ad aliquid extrinſecū, quid imperfectum ſit; ſi in hac imperfectione ex ęquo conueniunt, vniuoca erunt, quia modus cōueniendi eſt perfectiſsimus. Explico exemplis, omnes ſubſtantiales formæ dicunt eſſentialē ordinem ad materiam, qui ordo cum ſit partis, imperfectū, quid eſt, & tamen vniuoce cōueniunt in ratione formæ ſubſtantialis: omnes item vitales actus dicunt ordinem ad potentiam, & tamen in ratione actus vitalis vniuoce conueniunt. Vnde ſi in accidētibus non eſſet alia ratio analogiæ, præter iſtum ordinem ad ſubſtantiam, non negarem illis rationē vniuocationis, cui obſtare videtur ratio tranſcēdentiæ, accidens enim tranſcendit rationes particulares ſuorum inferiorum, de quo in ſequētibus. Et hęc de hac quęſtione.

QVÆSTIO III.

De Analogis Proportionalitatis.

ANaloga proportionalitatis poſſunt definiri ex mēte Ariſt. 1. Ethicorū cap. 6. & 1. Rethoricorum cap. 24. ſicut definiuntur à Caietano de nominum analogia cap. 3. ſic. Analoga proportionalitatis ſunt *quorum nomen eſt commune, ratio vero ſignificata per nomē, eſt proportionaliter eadē*, ſcilicet ſimilis in habitudine, & proportione. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt primo, ea dici proportionaliter eadem, quæ identitatem, vel ſimilitudinem habent immediate in ipſa proportione, nō vero immediate in naturis habētibus proportionē, vtriſque. V. g. analogū proportionalitatis eſt reſpectu riſus hominis, & viriditatis prati, non quia hęc duo identitatē vel ſimilitudinē habeant inter ſe, (ſunt enim valde diuerſa, prati viriditas, & hominis riſus) ſed quia identitatē habent in ipſa proportione, ſicut enim ſe habet homo ad ſuū riſum, dās ſignum lętitię, ita etiā viriditas ad pratum. Vnde hæc analogia nihil aliud eſt, quā proportio proportionū, ex quo fit hanc analogiam ad minus verſari inter quatuor terminos, quia cum ſit proportio proportionum, poſtulat duas proportiones ad minus, & qualibet proportio duos terminos.

No-

Notandũ ſecũdo eſt, hęc analoga proportionalitatis cõmu niter diuidi in analoga proportionalitatis Metataphorica, & propria. Metaphorica dicuntur, quando nomen principaliter impoſitum eſt ad ſignificandum vnũ analogatum, & poſtea transfertur per Metaphoram ad ſignificãdum aliud, propter imperfectam ſimilitudinem in proportione, quam illud dicit ad alterum, vt ridere, analogum eſt Metaphoricum reſpectu hominis, & prati, quia ridere tranſlatitie ſolum dicitur de prato, & hoc propter imperfectam proportionem quam habet cum riſu oſtendente lętitiam, vt iam explicui. Pes etiã, hoc genere analogiæ dicitur de pede hominis, & montis, quia ſicut ſe habet pes animalis ad animal, ſic pes montis ad mõtem, illius enim molem quaſi ſuſtinet. Notat autem S. Tho. 1. p. quæſt. 13. in hac analogia proportionalitatis Metaphoricæ, reperiri etiam analogiã attributionis, quatenus nomẽ analogum de Metaphorico dicitur, propter ſimilitudinem quam habet ad proprium, de quo dicitur principaliter & quaſi intrinſice, de Metaphorico vero minus principaliter, & quaſi extrinſeca tantum denominatione. Dixi quaſi extrinſeca denominatione quia ridere ſeu lætitiam oſtendere, quod dicitur propriè de homine, & Metaphorice de prato, non ſolum reperitur formaliter in homine, ſed etiam reperitur formaliter in prato, licet ſecundum Metaphoram. Vnde etiam in recto, pratus dicitur ridens, ſicut homo. In quo differunt hęc analoga proportionalitatis ab analogis attributionis, quod in illis ſemper ratio ſignificata per nomẽ analogum, reperitur formaliter in vtroq; analogato, ſaltim in ſenſu dicto: in analogis autem attributionis reperiri non poteſt, immo ſi reperiretur eſſet per extrinſecã denominationem in minus præcipuis analogatis, ita vt in recto illis nõ conueniat, vt Medicinę, quæ nõ dicitur habens ſanĩtatẽ, ſed cauſans ſanitatem, pulſus item ſanitatem oſtendens &c. Alia ſunt analoga proportionalitatis propria, quæ ſic ſunt proportionalitate vnum, vt ratio ſignificata nomine analogo propriè reperiatur in ſingulis, & cuilibet conuenit propter ſimilem proportionẽ, quam dicit ad ſuum terminũ: ſicut Principium analogicè dicitur de corde reſpectu hominis, de fundamento reſpectu domus, & de puncto reſpectu lineæ, in quibus ratio principij,

pij, ſignificata nomine analogo, intrinſice reperitur, cuilibet autem conuenit propter ſimilem proportionem, quam dicit ad ſuum terminum, quia ſicut ſe habet cor ad vitam hominis, ſic punctum ad lineam, quia eſt principium eius & fundamentum ad domum, ab illo enim incipit domus conſtrui & ædificari.

Sed graue dubiũ eſt. An analogia proportionalitatis, ſe ſola & nude ſumpta, ſufficiat efficere nomẽ analogum, ſit inquam verè, & propriè analogia. Eſt enim prima ſententia doctiſsimorum recentiorum quam defendit Franciſcus Suarez, tom. 2. ſuæ Metaphyſicæ diſput. 28. ſect. 3. nu. 11. aſſerentium non eſſe verè & propriè analogiam, niſi ratione attributionis, quam aliquando includit. Et videtur expreſſa S. Tho. 1. p. q. 13. art. 6. vbi ita ait. In omnibus nominibus, quæ de pluribus analogicè dicuntur, neceſſe eſt, quod omnia dicantur per reſpectum ad vnum, & ideo illud vnum oportet quod ponatur in definitione, vbi verba illa, *in omnibus nominibus*, ſonant vniuerſalitatem, ita vt omnis analogia, per reſpectũ ad vnum dicatur, quæ eſt analogia attributionis, præcipue, quia addit proprietatẽ illius ſuperius explicatam, ſcilicet quòd per ordinem ad præcipuũ analogatũ, defin atur alia minus præcipua. Sic etiam docet primo contra gentes cap. 34. Videtur etiam ſententia Ariſt. 5. lib. Meth. cap. 1. vbi enumerans principia diuerſæ rationis, inquit. Omnibus igitur principijs commune eſt eſſe primum, vnde aliquid, aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur, vbi hoc quod eſt eſſe *primum*, quaſi rationem communem & genericam conſtituit, reliqua vero, id in quo differunt, explicuit. Quis autem dicat, hoc quod eſt eſſe *primum*, non eſſe eandem rationem, ſine diuerſitate reſpectu principiorum? ſed principium, vt vidimus, cõſtituitur tanquam analogum proportionalitatis, ergo vel hæc analogia vniuocatio eſt, vel S. Thom. & Ariſt. contraditur. Sed ratione probatur vrgenter ſic. Proportionalitas ex ſe indifferens eſt, vt reperiri poſſit, tam inter vniuoca quam inter æquiuoca, quam inter analoga attributionis, nec per hoc aut vniuocationem tollit, aut æquiuocationem, aut analogiam proportionis, ergo non habet conſtituere analogiam aliquam. Antecedens probatur, quia proportionalitas reperiri poteſt inter

ter ſpecies eiuſdē generis, vt inter hominem & equum, de quibus vera eſt hæc proportionalitas, quod ſicut ſe habet homo ad ſuum eſſe rationale, ſic equus ad ſuum eſſe inhibile, idem de cane cæleſti, & marino, quia ſicut ſe habet cæleſtis ad ſuum eſſe, ſic marinus & terreſtris ad ſuum; idem de prato viridi, & homine, quæ diximus attributione analogari, quia ſicut ſe habet riſus ad hominem, ita viriditas ad pratum. Probatur ſecūdo idē antecedens. Quia ſic ſe habere vnum ad ſuum eſſe, ſicut aliud ad ſuum, non efficit ea magis vel minus diuerſa in appręhenſione intellectus, quam ſi hanc proportionalitatē nō haberet, ergo etiam ſi hęc proportionalitas nomine ſignificetur, nō cōſtituet nomē analogū. Patet conſequentia, quia res ſignificantur per voces, vt appræhenduntur ab intellectu. Probatur antecedens, quia hæc proportionalitas æqualiter reperitur inter res omnino diuerſas, ac inter res eiuſdē rationis, nec propter hanc proportionalitatem appræhēſam, æquiuoca, deſinunt eſſe æquiuoca, aut vniuoca, amittunt vniuocationem nec tollit rationem omnino eandē, nec tollit etiam æquiuocationē, quia non tollit rationē omnino diuerſam, ergo impoſsibile eſt, quod idem nomen reſpectu eorundem ſignificatorum ſimul ſit analogū, & æquiuocum, aut vniuocum, at vt vidimus hæc proportionalitas non tollit vniuocationē, aut æquiuocationem, ergo nō facit analogiam.

Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium, de facto nullam dari analogiam proportionalitatis, ex eo quod proportionalitas non ſignificatur nomine quod appellant analogū proportionalitatis, ſi vero daretur (inquiunt) nomē illud ſignificans, eſſet vere nomen analogum. Primum probant, quia Principium aut Rector, quæ dicuntur analoga proportionalitatis, non ſignificant illam proportionē proportionum, quod ſicut ſe habet cor ad vitam hominis, ſic fundamentum ad domum, & quod ſicut ſe habet Rector ad regimē ciuitatis medijs legibus, ſic Rector nauis ad nauē medio clauo: ridiculum enim videtur aſſerere, quod hoc nomen principium, totam hanc ſignificet proportionalitatē. Quibus ſi obijcias: nomen riſus ſignificare hanc proportionalitatem. Reſpondent, nō ſignificari, niſi vt metaphoricè per ſimilitudinē, & attributionē prato viridi tribuitur.

Digitized by Google

Et ſi vrgeas, hanc ſimilitudinē eſſe in particulari, cōſiſtēs in hoc, quod ſicut ſe habet homo ridens, oſtendēs hilaritatē, ſic pratum media viridita te, oſtendēs lætitiam. Reſponderi poteſt, hęc duo in re ſignificata non differre, ſiue per proportionem, ſiue per proportionalitatē explicetur, ac proinde nō debere conſtituere diuerſam analogiā, ſed ſolum attributionis, quæ neceſſario concedenda eſt. Deinde hāc proportionalitatem, vt illa duplicatione proportionū explicatur, qua ratione in riſu reſpectu hominis & prati, ſolū per intellectum diſtinguitur; non eſt vero ſimile nomine riſus, vt communiter ſumitur, explicari, probabiliuſq; eſt illam analogiam ſignificatione ſimplicis proportionis illo nomine denotari.

Secūda pars, quod ſcilicet, ſi daretur nomen ſignificans hanc proportionalitatē, eſſet analogum, probatur; quia proportionalitas eſt proportio proportionū, ergo ſi proportio terminorū abſolutè dat ſimilitudinem analogā, facitq; rationē partim eandē, partim diuerſam, proportio proportionū etiā faciet ſimilitudinē; & diuerſitatē, & qua ratione proportio eſt inter plura, trahet pluralitatem, qua vero eſt proportio, trahet ſimilitudinē, & identitatē analogā, quæ vt nomen ipſum analogiæ ſonat, eſt idētitas proportionis. Dices. Proportio non trahit ſimilitudinem, niſi inter ea quæ proportionantur, ſed proportionalitas non eſt proportio terminorū, ſed proportionū, ergo termini nō proportionātur, ſed termini ſunt analogata, non proportiones, cor ſcilicet, punctū, & fundamentū, in ratione principij; ergo hæc proportionalitas nō facit hos terminos analogari. Reſpōdetur, quod ſi proportiones proportionātur immediate, mediate proportionātur termini, hocq; ſufficit ad analogiam proportionalitatis. Vel ſecundo, proportiones eſſe rationes, quibus proportionantur, quæ vero proportionantur, *vt quod*, eſſe terminos, medijs illis. Probatur deniq; hæc ſententia, ex communi aſſenſu & doctrina omniū Philoſophorum, præcipue quia deſumpta eſt ex Ariſt. vt vidimus initio huius quęſt. & eſt aperta ſentētia S. Tho. de veritate q. 2. ar. 11.

Vterque iſte dicendi modus probabilis quidē eſt, oportet tamen ad veritatis explicationē nonnulla, pręter ea quæ dicta ſunt, adnotare. Igitur notandum eſt primo, poſſe aliqua etiam vt diſtincta referri, eſt

eſt enim in rebus relatio diſtinctionis, ſicut etiam relatio identitatis, aut vnitatis, relatio autem diſtinctionis, licet vt dicit, *ad*, & vt relatio eſt, videatur relata quaſi vnire; vere tamen nullam cauſat vnitatem, ſed potius eam arguit diſtinctionẽ, quæ verè eſt inter illa, ſicq; relatio quoad denominationem, & rem, naturam relatiuorum conſequitur, ita vt ſi referantur, tanquam diſtincta, ſit relatio diſtinctionis, ſi vero relatiua ſuerint eadem, aut ſimilia, ſit relatio ſimilitudinis, aut identitatis: ſic licet proportio nomine videatur vnire, ſicut relatio, ſi tamen relinquat in rè & ſignificatione res diſtinctas, cauſabit analogiam, quæ poſtulat cum diuerſitate, idẽtitatem.

Notandũ ſecundo eſt, quod cum eſſe, aut ratio eſſendi, ſit omnino tranſcendens, nõ tollit ea quæ diuerſa ſunt, diuerſa eſſe, alias nihil eſſet diuerſum, cum ratio eſſendi omnia tranſcendat, ſed res in ſuo eſſe quà tale eſt, relinquit. Ex quo fit, rem cum ſuo eſſe non poſſe propriè ad inuicẽ comparari, nec rem & ſuum eſſe duos terminos cenſeri, nihil enim eſt magis idem, quam idem ſibi, vnde nõ recte dicitur proportionem eſſe inter hominẽ, V. g. & ſuum eſſe, proportio enim poſtulat duos terminos, inter quos ſit proportio trahens neceſſario diuerſitatem eorum quæ proportionantur. Fit etiam, quòd ratione huius tranſcendentiæ, aut comparationis rei cum ſuo eſſe, non reſultet in ordine ad comparationem cum alia re, proportio, aut habitudo aliqua, quã res ipſæ ſecundum ſe conſideratæ non habebant. Explico. Si canis terreſtris, marinus & cæleſtis ſecundum ſe proportionem non habent, per hoc, quod dicatur, ſicut ſe habet canis cæleſtis ad ſuum eſſe, ita terreſtris ad ſuum, nulla proportionis reſultat habitudo inter canes illos, quia prædicta proportionalitas illos non extrahit ab eſſe ſuo, neq; aliquam proportionem vnius eſſe, cum alio explicat; aliàs poſſet hæc proportionalitas inter res omnino improportionatas reperiri, V. g. inter lineam curuam, & rectam, vt ſi dicas, ſicut ſe habet linea curua ad curuitatem, ſic linea recta ad rectitudinem, immo poſſet eſſe proportio inter bonum, & malum, quia ſicut ſe habet bonum ad ſuum eſſe poſitiuum, ſic malum ad ſuum eſſe priuatiuum, oportet igitur (quod maxime notandum eſt) proportionalitatem, non

eſſe voce ſolum explicatā his vocibus, *ſicut ſe habet hoc ad eſſe ſuum, ſic illud ad ſuum*, ſed quod inter eſſe rerum proportionatarum ſit proportio, & ſimilitudo, (vt ſic dicam) affirmatiua, & identificans, quæ reſpondeat ſuo modo relationi idētitatis, & ſimilitudinis, nō vero proportio diſtinctionis tantum, quæ reſpondeat relationi diſtinctionis aut ſimilitudinis, ideſt, quæ tantum denotat res illas eſſe diſtinctas, etiam ſi relatione comparētur. Ex quo etiā fit, quod ſi proportio fuerit inter res eiuſdem rationis, vt eiuſdem rationis ſunt, vt inter hominē, & animal, & inter equum & animal ſimiliter, dicaturq;, ſicut ſe habet animal ad hominem, ita ſe habet animal ad equum, hęc proportio faciet vniuocationē: ſimiliter, ſi Rector dicatur de hoc & de illo rectore ciuitatis, quia inter hos eſt omnimoda in ratione gubernandi cōuenientia. Idē dicēdum de his, quæ ſunt omnino diuerſæ rationis, vt in exemplo canis, vidimus; vt ergo ſimilitudo inter proportiones cauſet analogiam, requirūtur duo. Primum, quod non ſit omnimoda in proportionibus ſimilitudo, ſed adiūcta etiam in illa ratione aliqua diuerſitas, vt conſtat in Rectore reſpectu gubernationis nauis, medio clauo, equi medijs habenis, & gubernatoris ciuitatis, medijs legibus; inter quos vt patet, aliqua eſt conuenientia cum diuerſitate. Requiritur Secundo: quod illa cum diuerſitate ſimilitudo ſignificetur per nomen, ita ſcilicet quod ſit impoſitū nomen ad ſignificandum talem rē præciſſe propter proportionalem iſtam ſimilitudinē, quā habet aliquid cum alio, quod eodē nomine vocatur.

Notandum eſt tertio. De facto, ſemper inter ea, quæ ſic proportionalitate analogantur, alterum extremorū propter peculiarem aliquam rationem proprietatis, aut dignitatis, quam dicit ſupra alios terminos ſecum proportionalitate analogatos, poſſe appellari analogatum præcipuum, in ordine ad quod, cætera minus præcipua, videntur rationem nomine analogo importatā participare, ſicut in hac analogia Rectoris, Rectoris enim nomen, & ratio, primario & præcipue Rectori conuenit ciuitatis, tum, quia regimen Politicum nobilius eſt; tū, quia regere, officium Prudentiæ eſt, Prudentia autem proprius & perfectius in Politico regimine, ac ciuitatis gubernatione reperitur. Idē de

principio,reſpectu cordis,inſtantis durationis, fundamenti,& puncti; in quibus licet reperiatur ratio principij,illius acceptio,& ſignificatio, primario videtur impoſita principio durationis, iuxta illud Geneſ.1.In principio creauit Deus, cælum &c. Idemq; proportionaliter reperietur in omnibus, licet abſolute ad analogiam proportionalitatis hoc non ſit neceſſarium.

His ſic conſtitutis dicendũ eſt primo. Vere dari analogiã aliquam proportionalitatis. Hoc aſſerimus cum ſecunda ſententia, & cum Philoſophis omnibus, qui ſemper hanc proportionalitatis analogiam agnouerũt, de qua ſæpe Ariſt. & S.Tho. loquuti ſunt. Probatur ratione ibi adducta, cui addimus, non omnia quæ proportionalitate dicuntur, eſſe ſemper eiuſdem omnino rationis,aut omnino diuerſę,ſed partim eiuſdem,partim diuerſæ, vt in exemplis adductis cõſtat, at ea quorum nomen eſt commune, ratio vero partim eadem,partim diuerſa, analoga ſunt,ergo:Confirmo, quia diuerſo modo dicitur nomen gubernatoris, de hoc & de illo gubernatore ciuitatis,ac de gubernatore nauis, ciuitatis, & equi, de illis enim dicitur omnimoda ratione, de his autem ratione partim eadẽ,proportionalitate ſcilicet,partim vero diuerſa;ergo dicitur analogice.

Dico ſecundo. Niſi cũ inter Philoſophos de hac agitur analogia,non videtur nomẽ aliquod impoſitũ ad proportionalitatẽ quatuor terminorum explicandam. Explicatur, & probatur ſimul, quia apud nos cũ diſputamus de analogia proportionalitatis,& exẽplificamus in principio reſpectu cordis,durationis,aut pũcti, & in Rectore,reſpectu gubernatoris ciuitatis,equi, aut nauis,nomẽ principij, aut Rectoris,hãc proportionalitatẽ ſignificat:cõmuniter vero immo etiã apud nos ipſos, dum huius analogiæ tractationis nõ recordemur, principiũ nõ videtur impoſitũ, ad ſignificãdã hãc proportionalitatẽ, inter cor,inſtans durationis, & punctũ,neq; Rector ad ſignificãdam proportionalitatem inter Rectorẽ ciuitatis, equi, aut nauis,quare amplectenda videtur omnino poſterior ſententia.

Ad argumẽta prioris ſentẽtię Reſpondetur.S.Tho.loqui in illo loco de analogia attributionis,loquebatur enim de nominibus quę dicũt deDeo, & creaturis, quę nomina analogia dicuntur attributionis, non proportionalitatis,vel ſi proportionalitatis vt in nominibus

nibus

nibus metaphoricis, qua ratione Deus propter fortitudinẽ dicitur Leo, hęc proportionalitas (vt de riſu dicebamus) imbibitã habet analogiã proportionis, ratione cuius multomelius explicatur diuerſitas, quã poſtulat nomẽ analogũ, quia in analogis proportionalitatis (quę propria appellamus,) difficile eſt hãc cũ identitate diuerſitatẽ explicare, ex hoc enim quod ratio analogi intrinſice reperiatur in omnibus, videtur neceſſario cõcedendus cõceptus cõmunis abſtractus, quo ſemel cõceſſo, difficile eſt analoga ab vniuocis ſeparare, ideo ergo S.Tho. analogię proportionis meminit, qua hæc nomina Deo & creaturis impoſita de illis dicuntur, verba autẽ illa in omnibus quę analogice dicũtur, non de omnimoda vniuerſalitate, ſed de ea quę illi ad ſolutionem quęſtionis neceſſaria erat, ſunt intelligenda. Secũdo reſpõderi poteſt, quod loquebatur de nominibus ſecundũ cõmunẽ impoſitionẽ, ſecundũ quã vt diximus. 2. cõcluſione, nomina nõ ſunt impoſita, ad ſignificandã proportionalitatẽ quatuor terminorum, & ita ſenſus eſt, in omnibus quę in ſpecta cõmuni impoſitione analogice dicũtur &c. Cũ enim loqueretur de nominibus cõmuniter imterpoſitis, quę Deo & creaturis tribuũtur, de analogia & acceptione nominũ, ſecundũ hominũ impoſitionem loqui debebat. Ad Ariſt. R. ibi nõ ſolũ explicaſſe id quod cõmune erat principijs, ſed id quo hęc cũmunitas diuerſificabatur. Vel ſecũdo, tantũ voluiſſe poſſe dari conceptũ cõmunẽ analogi, quod nõ eſt cõtra rationẽ analogię, de quo ſtatim. Vel tertio iuxta doctrinã ſecũdę cõcluſionis, nomen principij nõ eſſe impoſitũ ad ſignificandã hãc proportionalitatẽ in cõmuni acceptione, ac proinde potuiſſe Ariſt. loqui de principio, nõ formaliter vt analogũ eſt, ſed iuxta cõmunẽ acceptionẽ. Ad rationẽ facile R. proportionalitatẽ illã adeo vniuerſalẽ, & tranſcendẽtẽ, ſcilicet ſicut ſe habet homo ad ſuum eſſe, ſic equus ad ſuũ, nõ facere hanc analogiã, nec variare rerũ naturas, aut eſſe earũ, de qua cõcedimꝰ nõ tollere vniuocationẽ, aut ęquiuocationẽ, ſimiliter nõ quãcũque proportionẽ, aut relationẽ diſtinctionis eſſe proportionẽ, aut proportionalitatẽ analogã, ſed ea, quæ ſimilitudinẽ cũ diuerſitate trahit, & hãc cũ diuerſitate ſimilitudinẽ, ſignificat nomẽ analogũ. Addo: eaſdã res vt diuerſis nominibꝰ, & rationibꝰ ſignificatas, poſſe eſſe vniuocas, & analogas, immo ęquiuocas, & vniuocas, vt cõſ-

Digitized by Google

tatin cane terreſtri & marino, qui vt ſignificãtur hoc nomine animal, ſunt vniuoca, & vt ſignificantur nomine canis æquiuoca, & eodem nomine Rectoris, poſſunt ſignificari Rectores nauis, ciuitatis, & equi, præciſſe ſecundum id in quo conueniunt, & tunc non erunt analogata, analogarentur tamen, ſi eodem nomine ſignificaretur ſimul cum diuerſitate conuenientia, nomẽ etiam entis iuxta diuerſam ſignificationẽ poteſt eſſe vniuocum, & analogum, vt infra dicendum eſt. Falſo ergo aſſerebat Prior ſententia, nõ poſſe idem nomen & reſpectu eorundem ſignificare vniuoce aut analogice. Poteſt quidem, licet diuerſo modo ſignificet, quãdo vniuocũ, aut quãdo analogũ eſt. Nec video aliquid aliud circa hęc proportionalitatis analoga explicandum. Cætera enim ſi quę ſunt, ex dictis facile haberi, & intelligi poſſunt.

QVÆSTIO IIII.

Utrum ſola tranſcendentia Analogiam cauſare queat.

TRrãſcẽdẽs appellamus illud, quod quantumuis abſtrahatur ab inferioribus ſemper eius ratio in vltimis differentijs manet incluſa, V. g. ratio entis tranſcendens eſt reſpectu hominis, quia quantumcumq; abſtrahatur ab homine, adhuc tamẽ incluſa manet in rationali, quod non habet cõceptus animalis qui nõ eſt tranſcendens, non enim in formali conceptu rationalis clauditur. Sunt autẽ hæc trãſcendentia alia vniuerſaliſsima, & vt ſic dicã, in omni genere, vt ens & paſsiones eius, quæ cuiusuis generis res trãſcendunt: alia ſunt minus vniuerſalia, & in aliquo genere tantum, vt ſubſtantia abſtrahẽdo à completa, & incõpleta, vt ſolum dicit rationem eſſendi per ſe, tranſcendit quidem omnes ſubſtantias, & earũ differentias, quod etiã de accidenti reſpectu omniũ accidẽdentium verum eſt. Inquirimus ergo, an hæc ratio tranſcendens ex vi ſolum huius tranſcendẽtiæ, & incluſionis, in vltimis etiã differẽtijs inferiorum, nullo conſiderato ordine, aut dependẽtia inter inferiora ipſa, cauſet analogiam, an vero præter tranſcendentiam ordo aliquis aut dependentia inter inferiora ipſa requiratur. Hæc autem dependentia in hoc conſiſtit, quod

quod ratio illa ſuperior tranſcendens ex vi ſua, prius deſcẽdat, & participetur ab vno ex inferioribus, & dependenter ab illo participetur à reliquis, qua ratione cõceptus entis reſpectu Dei & creaturæ analogus eſt, quia ratio entis primo, per ſe, & quaſi complete, competit Deo, & veluti per illum deſcendit ad creaturas, quibus nõ competit, niſi cum habitudine, & dependentia ab eo, & idem de ente reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis: deſcendit enim primario, & quaſi per ſe, ad ens per ſe, ad accidens autem cum habitudine & dependentia ad ſubſtantiam in ordine, ad quam accidens ens eſt, ideoq; dicitur entis ens.

Quod autem ad hanc analogiam dependẽtiæ facit, maxime eſt, quod ipſum ens quãtumuis abſtractè & confuſſè conceptum, ex vi ſua poſtulat hunc ordinem, & hanc inæqualitatem deſcendẽdi ad inferiora, etenim cum imbibatur in rationibus differentialibus per ſe, & in alio, & illa differentia perſeitatis, & inhærentiæ exerceatur intra latitudinem entis, ens quantũuis in communi, ſemper poſtulat hanc deſcendendi ad inferiora inæqualitatem, ideoq; analogum eſt. In quo maxime differt ab vniuocis, nam vniuocum ex ſe ita eſt indifferens vt æqualiter, & ſine vllo ordine vel habitudine vnius ad alterum, ad inferiora deſcẽdat, inæqualitaſq; perfectionis inter ſpecies proueniẽns tantum ex differentijs, non exercetur ſecundum latitudinem rationis genericæ, quæ differẽtias illas non tranſcendit, ac proinde non prouenit ex ipſa cõmuni ratione generica, quę ex ſe non poſtulat. V. g. in ratione animalis, prius & abſolute, eſſe in vna ſpecie, & per habitudinem ad illam in alijs, equus enim non eſt animal per ordinem & habitudinem ad hominem, ſed vere abſolute, & vt ad ſe, & æqualiter animal deſcendit ad hominẽ, & equum, licet ratione differentiarum, quas animal non tranſcendit, ſit inæqualitas in his ſpeciebus: quod maxime notandum eſt, vt intelligatur differentia inter tranſcẽdẽs, & vniuocum, ne iterum eadẽ repetere ſit neceſſe.

Quando igitur tranſcendẽtia, & dependentia coniunguntur, vt in ente reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, certum eſt dari analogiã quæ ad analogiam attributionis, ratione illius dependentię accidentis à ſubſtantia pertinere poteſt. Dubium ergo manet, V.

præciſſa omni dependẽtia, ſolum ratio tranſcendentię analogiam cauſet. V.g. ens reſpectu Petri & Pauli, inter quos ad inuicem non eſt dependẽtia, aut ens reſpectu hominis, & equi, inter quos etiam dependentia non eſt.

Sunt qui aſſerant, rationem tranſcendentiæ tantum, analogiã cauſare non poſſe. Poteſtq; probari vrgenter primo ſic, ex eo quod ratio aliqua ſit tranſcendẽs, nõ ſequitur quod in illa conueniant & differant formaliter inferiora, ſed hoc requiritur ad analogiam, ergo analogia non ſequitur ex tranſcendentia. Maior probatur, quia ex tranſcendentia licet ſequatur incluſio in differentijs, poteſt tamen fieri, quod aliqua differant ſecundum ſuas differentias, non vero ſecundum rationem incluſam in illis; vnde hic Syllogiſmus non valet, differẽtiæ differunt ſe totis, ipſa tota ſunt entia, ergo differunt vt entia, quia quamuis vt differunt, includant ens, non tamen differunt formaliter in ipſo ente, potius conueniunt in hoc, quod vtraq; differẽtia eſt ens. Secundo, ratio tranſcendens V.g. entis ſimplex eſt, ſed impoſsibile eſt, vt in eodem conceptu ſimplici ſit conueniencia, & diſconuenientia, (ſimplicitas enim has adeo diuerſas & oppoſitas rationes recipere nequit,) ergo impoſsibilis eſt Analogia, quæ ex tranſcendentia proueniat. Tertio, ſecluſa dependentia, tranſcendentia cauſat maiorem conuenientiam, quam eam quam ſpecies habebãt in genere, ergo cauſat maiorem vniuocationem, ergo nullo modo analogiã: antecedens probo, quia ſpecies in genere ſolum habebant vnitatẽ in ratione communi, V.g. animalis, & diſcõuenientiam omnimodam in differentijs, ſed ratio tranſcẽdens non aufert hanc conuenientiam in animali, ſed præter hanc trahit aliam, nempe conuenientiam aliquam differentiarum in ente, cauſat ergo maiorem vniuocationem, ergo nõ analogiam. Quarto. Ratio intellectiui eſt genus reſpectu omnium Angelorũ, & tamẽ eſt trãſcendẽs, quia in differentia cuiuslibet *ſpeciei* Angelicæ includitur intellectiuũ, ergo tranſcendentia nõ tollit vniuocationẽ, ergo non cauſat analogiam.

His tamen non obſtantibus: Oppoſita ſentẽtia eſt omnino vera, quod ſcilicet ſola tranſcendentia rationis aliquomodo communis, & ſuperioris, ſecluſa quacũq; alia dependentia ſufficiens cauſa ſit analogiæ.

Digitized by Google

analogiæ. Concluſio eſt cōtra aliquos recentiores, eſt tamē Ariſt. 7. Meth. tex. 10. & D. Th. 10. Meth. lect. 1. & de veritate q. 2. art. 11. tenet etiam Ferrara. 1. contra gentes cap. 23. vbi oſtendit cōtradictionem eſſe, quod ens ſit vniuocum ſi eſt tranſcendens. Baccon etiā in 1. diſt. 15. ens (ait) non eſt vniuocum, quia tranſcendit differentias, eſtq; communis. Probatur ratione primo ſic, tunc ratio aliqua ſuperior vere eſt analoga, quando inferiora in illa aliquomodo differunt, & aliquomodo conueniunt (, hæc enim eſt definitio analogiæ,) ſed ex hoc præciſſe quod ratio aliqua ſit tranſcēdens, ſequitur quod in illa cōueniant, & differant aliquomodo inferiora, ergo talis ratio eſt analoga. Minor probatur, quia ex eo quod ratio illa eſt, tranſcēdēs, participari debet à quolibet inferiori, & ratio illa prędicari de illo, homo enim eſt ens, & equus etiā ens eſt conueniunt ergo aliquomodo in illa ratione inferiora. Quod autem etiam differant probo, quia eo ipſo quod ratio illa clauditur in differentijs, eſt diuerſitas etiā in illa, tum quia deſcendit ad inferiora, per differentias illā imbibentes & trahentes, ergo quæ differunt in participatione differentiarum, differunt etiam in participatione rationis tranſcendentis clauſæ formaliter in differentijs; tū, quia eſt inintelligibile inferiora entis differre in aliquo quod formaliter eſt ens, & non differre formaliter in ratione entis. Secūdo argumentor, ratio trāſcendēs nō tollit, quod inferiora differant ſe totis, vt conſtat in generibus generaliſsimis, & in differentijs vltimis, ergo cum claudant intrinſice ens, differunt in ente, aliàs non differrent ſe totis, ergo in eadem ratione entis & conueniunt, quatenus eſt ratio ſuperior in aliquo conceptu communi de illis prædicabili, & differunt etiam in eadem ratione per tranſcendentiam: quod ſi differentiæ ſe totis differunt, & in ratione entis, facient indiuidua, aut ſpecies quibus coniunguntur, in hac ratione tranſcēdenti differre, dant enim ſe ipſas illis eo modo quo ſunt. Vnde ſpecies etiam ipſæ ratione differentiarum quaſi totaliter differunt, id eſt in tota ratione differentiali, in quo ſenſu dici poſſent differentialiter ſe totis differre. Confirmatur; quia ſi differentiæ in ente conueniunt, & non differunt, oportet differant per alias differentias, de quibus erit

Digitized by Google

idem argumentum, ex vi cuius oportebit turſus dari alias differentias per quas differãt, & ſic in infinitum. Tertio, ſi rationi animalis reſpectu ſuarũ ſpecierum ſolum adderetur tranſcendentia, eſſet analoga, ergo tranſcẽdẽtia cauſat analogiam. Antecedẽs probatur, ratio animalis nunc ideo eſt vniuoca homini & equò, quia quamuis diuerſo modo participetur ab illis, hoc non eſt ratione animalis, ſed ſolum differentiæ contrahentis, ſed ſi ratio animalis eſſet tranſcẽdens, illa maior perfectio & diuerſitas exerceretur in ratione animalis, ergo eſſet analoga propter ſolam tranſcendentiam: maior conceditur ab omnibus. Minor probatur. Quia ſi ratio animalis clauderetur in differẽtijs, tota ratio rationalis eſſet ratio animalis, ſicut propter tranſcendentiam entis tota ratio rationalis eſt ratio entis, ergo quæcumq; diuerſitas exercetur ratione differentiæ, exercetur ratione animalis, quę omnino eſſet idem cum ipſa differentia.

Quarto, tranſcendentia cũ dependẽtia cauſat analogiã, vt vidimus initio quæſtionis, ergo & tranſcendentia ſolũ. Probo conſequentiam, quia dependentia non cauſat analogiam, niſi quia exercetur in ratione communi, & tranſcendẽti, V.g. entis tranſcẽdentis modos eſſendi, *per ſe*, & *in alio*: ſed in tranſcendentiæ ſine dependentia exercetur etiam diuerſitas differentiarum vltimarum, ergo licet non cauſet analogiam attributionis, ſicut cauſat in ſubſtantia & accidente, ratione dependentiæ coniunctæ, cauſabit tamen analogiam aliam ratione diuerſitatis differentiarum. Confirmatur, quia accidens & ens eſt analogũ reſpectu nouem Prædicamentorum, & tamen nulla alia poteſt aſsignari ratio niſi tranſcendentia, nam Prædicamenta accidentium non dependent ad inuicem, quantitas enim non pendet à qualitate neq; è contra, cum in Angelo & homine ſeparatæ inueniantur, ergo ſola ratio tranſcendentiæ cauſat analogiam.

Ad argumenta in oppoſitũ Reſpondetur, ad primum negatur maior, & ad probationem Reſpondetur, quod ratione incluſsionis eſſentialis entis in differentijs, exercetur diuerſitas in ratione illa communi entis, & ideo in ratione illa etiam eſt diuerſitas. Vnde, ſi ſumatur ens pro totali ratione conueniendi & diſcõueniendi ſimul, qua ratione

eſt

Digitized by Google

eſt analogum, verum eſt ratione entis differentias differre, quia in tota illa latitudine eſt ratio differendi. Addo, quod licet inferiora, vt ſignificātur nomine entis, poſsint nō differre ratione cōceptus aliquo modo communis, in ipſa tamen ratione entis nō poſſunt non differre, quia in illa exercetur diuerſitas differentiarū: nec mirum eſt, (cum ratio analogi partim ſit eadem partim diuerſa) quod conceptu aliquo veluti cōmuni quaſi partialiter explicetur identitas, in conceptu autem totali diuerſitas exerceatur. Addo, quod ſicut hæc eſt bona conſequentia, inferiora entis conueniunt in aliquo quod formaliter eſt ens, ergo conueniunt in ente: ergo ſimiliter verum erit, differunt formaliter in eo quod eſt ens, ergo differunt in ente.

Ad ſecundum Reſpōdetur, quod conceptus entis eſt ſimplicisſimus tranſcēdētaliter, quia cū nullo facit cōpoſitionem, & ex ſe dicit rationē ſimplicisſimam, nempe habere eſſe: quia tamen ratione trāſcendentiæ eſſentialiter clauditur in ratione differendi, & conueniendi, poteſt in illo eſſe conuenientia, & diſconuenientia, quę expreſſe non oriatur ex expreſſa ratione entis, ſed ex rationibus peculiaribus, quibus entitas illa trāſcēdens accommodatur. Explico, ens ſecundum ſua eſſentialia non dicit *eſſe per ſe*, & *in alio*, aliàs in quocumq; reperiretur ens, reperirētur hæ rationes, & modi entis, ſed modos hos tranſcendit (vt ſic dicam) in actu exercito ratione peculiarium entium, quæ cum ſecū dum omnes ſuas formalitates entia ſint, entis rationem imbibunt. Dicitur ergo conceptus entis ſimplicisſimus primo, quia ſecundum ſua eſſentialia ſolum dicit habere eſſe, quod eſt quid ſimplicisſimū. Secundo dicitur ſimplicisſimus, quia compoſitio non ſumitur in inferioribus ex ratione entis, ſed ex rationibus peculiaribus, & in hoc ſenſu admittimus eſſe ſimplicisſimū: quia tamen non ſolum eſt ſimplicisſimus, ſed tranſcendens, qua ratione tranſcendētię (vt ſic dicam) in actu exercito habet eſſentialiter includi in omnibus, poſſunt omnia in illa ratione exercere conueniētiam, & differentiam, quod ſufficit ad rationem Analogi. Secundo Reſpōdetur, de inferioribus entis dupliciter poſſe loqui, vel quoad id quod dicunt explicitè, & ſic ſubſtātia ſolum dicit eſſe per ſe, accidens eſſe in alio, quare ſecundum

dum ſuum formaliſsimum & explicitum conceptum, vt explicitus eſt, non dicunt rationem entis, quamuis illam includant: vnde falſa eſt iſta propoſitio, conceptus ſubſtantiæ formaliſsimus, eſt conceptus entis, hæc tamen vera, conceptus ſubſtantiæ claudit rationẽ entis; vnde vt ſic inferiora entis, explicite ſolum differunt per differentias, non conueniunt, quia cum differant ſuis differentijs, & illæ explicite non dicant ens, non differunt explicite in ratione entis: ſi vero conſiderẽtur ſecundum id, quod dicunt implicite vt ſic quidem, conueniunt implicite in ratione entis, & differũt explicite per ſuas differẽtias, hoc tamen non eſt ſecundum eandem formaliſsimam rationem conuenire, & differre: ſicut licet attributa diuina ſe includant eſſentialiter propter infinitatem, differunt tamen penes implicitum, & explicitũ. Vnde ſapiẽtia diuina includit quidẽ bonitatem, explicite tamẽ tantũ dicit ſapiẽtiam: ſic licet cõceptus cuiuslibet inferioris entis claudat in ſe ens, non tamen explicite dicit rationem entis, vnde ſecundum eandem formaliſsimam rationẽ non conueniunt & differũt in ſenſu dicto. Vel tertio Reſpõdetur & melius, quod quando conceptus ſimpliciſsimus ratione tranſcendentiæ eſt eminenter plures, poteſt ęquiualere pluribus, vt pluribus, & quia conceptus entis, licet ſimpliciſsimus, eſt tamen eminenter plures, poteſt æquiualere pluribus, vt pluribus, ac proinde in eius ratione communiſsima conuenientia aliqua & differentia exerceri: ſicut eſſentia diuina ratione infinitatis & eminentis continentiæ creaturarum, dicimus, pluribus vt pluribus æquiualere, & in illa ſimpliciſsima entitate diſtinguimus ſapientiã à iuſtitia, & iuſtitiã à miſericordia, oririq; intelligimus ab illa ſecũdũ diuerſas rationes, diuerſos effectus, vt punitionem à iuſtitia, & gratuitam donationem à miſericordia.

Ad tertium Reſpondetur, potius eſſe pro nobis, quatenus in illo conceditur, quod in ipſis rationibus in quibus inferiora differũt, conueniãt, conuenire autem inferiora in ratione communi etiam ſecundum differẽtias, licet poſſit dici maior conuenientia extenſiua, eſt tamen minor conuenientia intenſiua, quia habet anexam diſconuenientiam: vnde ſi rationi animalis adderetur tranſcẽdentia reſpectu hominis & equi extenſiue,

ſiue, diceretur maior conuenientia in ratione animalis, non vero intenſiue, quia antea ſic conueniebant in ratione animalis vt non differrent, modo ſic conueniunt vt differant.

Ad quartum Reſpondetur, quod ſicut in ſubſtantia diſtinguimus ſubſtantiam completam, quæ eſt genus, & ſubſtantiam tranſcendentem, quæ abſtrahit à completa, & incompleta, & genus non eſt, ſic in Angelis diſtinguimus intellectiuum completum, quod eſt genus, & hoc non tranſcendit differentiam, & intellectiuum tranſcẽdẽs, quod clauditur in differẽtijs, & hoc nõ eſt genus.

QVÆSTIO. V.

Vtrũ ab Analogatis abſtrahibilis ſit vna ratio cõmunis.

PRO explicatione quęſtionis Notãdum eſt primo, id quod ſuperius diximus, cõceptum eſſe duplicem, obiectiuum & formalem Formalis eſt actus intellectus, aut imago expręſſa per illum, in qua repreſentatur obiectũ. Obiectiuus autem eſt res ipſa formaliter repręſentata per conceptum formalem, de quibus ſatis ſupradictum eſt: poteſt ergo quæſtio procedere tam de conceptu obiectiuo quam formali. Vtrũ ſcilicet cõceptus quem formamus, audito nomine analogo. V.g. ens, ſit vnus, & an ratio entis repreſentata per talem conceptum cõmunis ſit omnibus inferioribus entis, ita vt entis nomine vna cõmunis ratio repreſentetur, vel an potius immediate per ipſũ ens ſignificẽtur omnia inferiora analoga. Et quidẽ cũ vnitas cõceptus formalis ſumatur ex vnitate conceptus obiectiui ꝑ illũ repræſentati, ſicut vnitas imaginis vt ſic ex vnitate rei repręſentatę, ſi ſtatuerimus poſſe dari vnũ conceptũ obiectiuũ analogi, aut vna ratio communis abſtracta ab inferioribus, quæ vt ſic ab intellectu cognoſcatur, dabitur etiã vnicus cõceptus formalis. Quęſtio ergo procedet de vnitate cõceptus obiectiui, ex qua quid de cõceptu formali dicendum ſit, facile conſtabit.

Secundo Notandum eſt, nos poſſe loqui de analogis, in quibus ratio nomine analogo ſignificata, vni tantum conuenit propriè, & intrinſice, reliquis autem extrinſeca tantũ denominatione, vel de illis

in

Digitized by Google

in quibus ratio nomine analogo ſignificata intrinſice & propriè reperitur in omnibus vt ratio entis, quę propriè & intrinſice reperitur in ſubſtantia, & accidenti, & vniuerſaliter in omnibus entibus inferioribus, quæ ratione tranſcendentiæ analogātur in illo.

Tertio. Notandum eſt, nos non loqui de conceptu quem appellant vocis ſignificantis (concipitur enim etiam vox ipſa vna) ſed de conceptu rei ſignificatæ. De primo enim certum eſt quod ſit vnus, quia nomen analogum eſt vna vox ſimplex, de qua diximus non multiplicari in ratione vocis ſignificantis, etiam ſi multiplicentur ſignificata, quia eſt veluti compoſitum quoddam accidentale, poſtulans ad ſui multiplicationem, non ſolum multiplicationem formarum (vt patet in artifice habente plures artes) ſed etiam ſubiectorum: vnde quamuis multiplicetur formale, nempe ſignificatio, non multiplicatur accidentale compoſitum vocis ſignificantis, quia materiale illius (vox ſcilicet, & nomen) vnum eſt.

Dico ergo primo. Ab analogatis in quibus ratio ſignificata nomine analogo non reperitur intrinſice in omnibus, ſed in vno tantum, in alijs vero per extrinſecam denominationem, non eſt abſtrahibilis vna ratio cōmunis omnibus, neq; dabilis vnus conceptus obiectiuus rei ſignificatę nomine analogo: ſed nomē hoc proxime ſignificat rationes particulares & diuerſas analogatorum, aliquo modo attributione ſimiles. Ita Caietanus Opuſculo de analogia nominum cap. 5. Sotus hic q. 5. art. 2. Fonſeca. 4. Meth. cap. 2. q. 1. ſect. 6. Franciſcus Suarez tom. 1. Meth. diſp. 2. ſect. 1. in fine, & communiter recentiores. Probatur, quia in iſtis analogatis forma tantum eſt intrinſice in vno, & in alijs extrinſeca denominatione, ſed formæ, & extrinſicæ denominationi non eſt dabilis vna ratio communis, quia forma eſt aliquid reale, extrinſeca autē denominatio ſolum fundamētaliter ens rationis, ergo ab illis non eſt abſtrahibilis vna communis ratio. Secūdo, quia vel conceptus qui abſtrahitur eſt formæ intrinſicæ, & ſic nō erit communis omnibus analogatis, quia talis forma non reperitur in illis intrinſice; vel eſt denominationis extrinſicę, & ſic non conueniet principali analogato, non eſt autē vtriuſq; vt probatum eſt, ergo nō eſt abſtrahibilis ratio vna communis. Tertio, in his analogis

logis nomẽ analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato, ergo ſignum eſt non poſſe abſtrahi ab his analogatis aliquid illis commune, quia ſi hoc eſſet poſsibile, pro hoc cõmuni ſupponeret analogũ abſolute ſumptum. Quarto, quia ab alijs analogatis intrinſice includentibus rationem analogi, ſi formaliter in ratione analogi, & analogatorum loquamur, non eſt abſtrahibilis ratio vna communis, vt dicemus, multo ergo minus abſtrahibilis erit in his, quibus ratio importata nomine analogo intrinſice nõ reperitur.

Sed obijcies, hæc analoga quantumuis imperfecta, analoga ſunt, non æquiuoca, ergo non habent ſolam vocem cõmunem, (hoc enim tãtum eſt æquiuocorum) ergo habẽt aliquid commune, non ſolum in voce, ſed in re ſignificata per illam: at quęcumq; ratio communis poteſt abſtrahi à particularibus, ergo datur conceptus abſtrahibilis & vnus horum analogatorum. Reſpõdetur, diſtinguendo de ratione cõmuni, ratio enim cõmunis duplex eſt, alia communis abſolute, & ſimpliciter, alia vero ſecũdũ quid & proportione ſolũ ad vnũ tertium, cum quo in eſſe naturæ res quæ illud reſpiciunt, non conueniũt. Prima ratio communis, abſtrahibilis eſt à particularibus rationibus vt in vniuocis, poſterior vero nullo modo, tũ quia illa communitas ſecundum quid, nihil eſt præter attributionem conuenientẽ inferioribus ſecundum particulares rationes, quia ſecũdum illas proportionantur, & ideo non eſt intelligibilis illa communitas ſine incluſione particularium illarum rationum. Tum ſecundo, quia hæc proportio non eſt proportio in communi, ſed talis, vt ſit proportio per denominationem ad formam intrinſice repertã in principali analogato, à quo differunt omnino ſecundum naturam, vnde ſemper in illa communitate ſecundum quid includitur illa diuerſitas denominationis, & intrinſicę formę. Tum tertio, quia cõmunitas, aut identitas analogorum, dicit intrinſice & eſſentialiter diuerſitatem, (eſt enim identitas partita, magis accedẽs vt ſupra diximus ad æquiuocationẽ) vnde eſt omnino contra rationem analogi vt ſic, vnitas, communitas, aut identitas ſine diuerſitate; hoc autem ipſo quod eſt diuerſitas, tollitur vera & propria vnitas, quæ habet rationem boni, ac proinde ex integra

tegra cauſa reſultat, ratione ergo eius identitatis partitæ, & cum diuerſitate admixtę, dicuntur analoga differre ab æquiuocis, non quia detur ratio abſolute communis illis, ſed quia detur ratio partim eadem, partim diuerſa, quæ ſiue poſsit dici cōmunis & vna propriè, ſiue non, ad diſtinctionem analogorum ab æquiuocis, parum attinet.

Maior eſt difficultas de alijs analogis, in quibus omnibus ratio ſignificata nomine analogo formaliter & intrinſice reperitur, & grauior multo reſpectu eorum analogatorū, quæ talia ſunt, non ratione dependentiæ, ſed ſolum ratione tranſcendentiæ, de quibus quæſtione præcedenti. Peculiaris autem difficultas quę in illis reperitur, in diſcurſu quęſtionis expendenda eſt.

Prima igitur ſententia aſſerit. Non dari vnum cōceptum obiectiuū ſimpliciter abſtractum ab his analogatis. Hanc docet Capreolus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 1. & apud ipſum Aureolus. Deza Hiſpalenſis in primo diſtinct. 2. quæſt. 1. Caiet. in opuſc. de ente & eſſentia cap. 1. quæſt. 2. & tract. de nominum Analogia cap. 5. & 6. Sonzinas. 4. Meth. quæſt. 2. Pereira. 2. lib. Phyſicorū cap. 2. in fine. Flandria. 4. Meth. quæſt. 5. artic. 6. Fonſeca. 4. item Meth. cap. 2. quæſt. 2. Pater Gabriel Vazquez 1. p. diſp. 22. cap. 5. & diſp. 114. cap. 2. Herbeus quodlib. 2. q. 7. & ex Recentioribus plures. Videtur eſſe ſententia S. Thomæ. 1. part. quęſt. 13. art. 5. vbi ſic ait. Neque enim in his quæ analogice dicuntur, eſt vna ratio ſicut in vniuocis, nec totaliter diuerſa ſicut in æquiuocis, ſed nomen quod ſic multipliciter dicitur ſignificat diuerſas proportiones in ordine ad vnum. Vbi duo notanda ſunt, quæ maxime fauent huic ſententiæ. Primum, *nomē quod multipliciter dicitur*, ſecūdum, *ſignificat diuerſas proportiones*, has autem ſignificare nequit, niſi diuerſa illa quæ tales habēt proportiones ſimul ſignificet, & hæc ſunt analogata, ergo. Ariſtoteles etiam. 4. Meth. cap. 2. aſſerit, quod ens multipliciter dicitur (ecce eadē verba D. Thomę) & quod dicitur ad vnum, vbi ly, *ad*, quod non poteſt reperiri niſi inter duo, arguet etiam in ſuo conceptu ens multa includere. Sed ratione probatur vrgēter. Primo quaſi à priori, analoga ſunt quorum nomen eſt commune, ratio vero ſubſtantiæ per nomen importata aut nomine ſignificata, nec omnino eadem, nec omnino diuerſa,

Digitized by Google

ſa, ſed ratio ſubſtantiæ nomine analogo ſignificata, eſt conceptus obiectiuus, ergo iſte non eſt omnino idem, nec omnino diuerſus, ſed diuerſus ſimpliciter, & idem ſecundũ quid, ergo nõ eſt abſtrahibilis ab analogatis, inter quæ attributio & diuerſitas reperitur: implicat enim, & eſt repugnãtia in terminis, quod ſit conceptus analogi, & ſit vnus, quia analogia intrinſice includit vel plures rationes habentes inter ſe proportionem, vel plures habitudines ad vnã formam, ratione quarum conceptus obiectiuus nominis analogi non poteſt eſſe vnus.

Secundo, ſi ab analogatis abſtrahibilis eſt conceptus communis vnus, ſequitur eſſe vnum vnitate vniuocorum. Probatur ſequela, quia ſi datur conceptus ille vnus, conuenient omnia entia in vna ratione formali entis, quæ per nomen ens immediate ſignificetur, ergo vt ſic ſicut habent vnum conceptum obiectiuũ, habebunt vnam & eandem definitionem, ergo erunt vniuoca. Patet conſequentia, quia habebunt nomen commune, & rationem ſubſtantiæ, quæ idem eſt quod definitio, eandem, hæc eſt autem definitio vniuocorum, ergo.

Tertio & confirmatur præcedens, quia ſi conceptus, V. g. entis abſtrahitur à particularibus, ſequitur poſſe cognoſci rationem illam communem non conſideratis modis, V. g. *per ſe*, aut *in alio*, neq; conſiderato ordine ad illos, nam eo ipſo quod conſideretur ordo ad illos, iam eſſet comparatio, non abſtractio, ſed nullam poteſt habere diuerſitatem ratio entis (loquamur de illa vt analoga eſt ad decem prædicamenta, ſine modis aut ſine ordine ad illos,) ergo ſi ab eis abſtrahatur, erit conceptus omnino vnus & idem ſine vlla diuerſitate, ergo vniuocus. Confirmatur Secundo. Si conceptus entis præſcinditur à ſubſtantia & accidenti, ergo diſtinguitur ratione ab illis, ſed quæ diſtinguuntur, vt ſic diſtincta, non ſe includũt, potius ſe excludunt, quia diſtinctio dicit vnum non eſſe aliud, ergo conceptus entis vt ſic præciſſus à modis intrinſecis, neq; eos poteſt includere, neq; in eis includi. Sed hoc in primis eſt cõtra rationẽ trãſcendentiæ, & quia modi illi, ſi nõ includant ens erunt nihil. Deinde faciet hæc non incluſio vniuocationem, vt pote faciens rationem, quæ in differentijs non includitur, ſicut animal, & cuius participatio ſi inæqualis, ſolum erit

ratione

ratione differentiæ, quod eſt proprium vniuocorum.

Vt ſoluant hæc argumenta Authores oppoſiti, aſſerunt duo. Primum eſt, quod licet ens non includat actu modos, vt dicit cõceptum abſtractũ, & in hoc conueniat cũ vniuoco: differt tamen ab illo, quod vniuocũ æqualiter deſcendit ad inferiora, neq; ad vnam ſpeciem mediante altera, aut per habitudinem ad illam, ratio vero entis, aut analogi per ſe & eſſentialiter poſtulat hunc ordinem deſcendendi inæqualiter ad inferiora, ſcilicet ſecundum attributionem vnius, vel multorũ ad vnum. Sed hæc ſolutio, licet probabilis ſatis ſit reſpectu analogatorum, analogia cauſata non ſolum ex tranſcendẽtia, ſed ex dependentia vt in ſubſtantia, & accidenti, inter quæ eſt ille naturalis ordo; in analogia tamen, quæ ſolũ oritur ex tranſcendentia, vt in ente reſpectu Petri & Pauli, nullam habet ſpeciem probabilitatis, etenim in his nullus eſt ordo ille dependentię, nec maior ratio eſt in ente quare inæqualiter deſcendat, & per prius in vno quam in alio ſit. Sed in quacumq; analogia etiam accidentis & ſubſtantię, hæc ſolutio falſa eſt, quia ens non poteſt illum ordinem inæqualitatis poſtulare, niſi vt includit modos illos eſſendi *per ſe*, & *in alio*: illa enim inæqualitas aut ordo prioris & poſterioris omnino ſumitur à perſeitate & inhærentia, à quibus ſi abſtrahatur, abſtrahitur etiam à prædicta inæqualitate, & ordine, ſed per te ratio entis abſtrahitur à modis his, abſtrahit ergo ab hac etiam inæqualitate, ac per conſequens vniuocum eſt. Secundo dicunt, quod licet analogum in abſtractione ſit vnum, eſt tamen plures in comparatione, quia in comparatione reſpicit analogata, in quibus eſt diuerſus modus participandi, & illa inæqualitas, aut ordo, vt per vnum deſcendat ad alia: vel ſi ſolum ſit analogia tranſcẽdentię, ſic cõparatur ad analogata vt imbibatur in vltimis differentijs, ac proinde vt ſic non poteſt concipi ratio entis vt vna, ſed vt diuerſa. Contra quam ſolutionẽ argumentatur hæc ſententia ſic. Repugnat conceptum in abſtractione eſſe vnum, & non in comparatione, quia cõceptus ſic abſtractus, eſt conceptus qui comparatur, eſt ergo conceptus idem, & non alius. Deinde, conceptus qui comparatur eſt ratione diſtinctus ab his ad quæ comparatur, ſed quæ ſunt ratione diſtincta, nõ ſe in-

ſe includunt ad inuicem, ergo cóceptus tam abſtractus quã comparatus ſi ſemel in abſtractione ſupponatur vnus, erit vniuocus.

Quarto Principaliter argumentor pro hac ſententia, ſi cóceptus obiectiuus entis eſt vnus, ergo eſt præciſſus & abſtractus ab inferioribus, & determinatis rationibus entiũ, conſequens eſt impoſsibile, ergo & antecedens. Sequela patet, quia ſi conceptus entis eſt vnus, ergo non includit determinatos modos entium actu & formaliter, quia illi intrinſice opponuntur, & diſtinctionem efficiunt. Sed probatur minor, quia ſi ens vt ſic, præſcinditur à determinatis rationibus entium, ergo vt ad eas contrahatur, ſeu determinetur, aliquid ei addi neceſſe eſt, ergo vel id quod additur, eſt ens, vel nihil, ſi nihil quomodo poteſt ens determinare, & propriam aliquam rationem entis conſtituere? Si vero eſt ens, ergo non poteſt ens vt ſic ab eo præſcindi, quia ens non poteſt præſcindi ab ente, & ad minus non poteſt non includi in quouis ente, quod autem ab alio præſcinditur, non includitur in illo.

Secunda ſententia eſt, dari neceſſario in his Analogis cóceptum obiectiuũ abſtractũ, & ſimpliciter vnũ. Hanc ſentẽtiam tenet Scotus in 1. diſt. 3. q. 1. & in 2. diſt. 3. q. 3. & 6. Capreolus pro contraria ſententia citatus eam non docet, ſed hanc in 1. diſt. 2. q. 1. Iabellus. 4. Meth. q. 1. Magiſter Sotus hic q. 1. Auicena. 1. Meth. cap. 5. Alex. 4. Meth. text. 7. Franciſcus Suarez. 1. tomo Meth. ſect. 1. & 2. Non diſſentit Fonſeca. 4. Meth. cap. 2. q. 2. ſect. 3. Plurimum fauet D. Tho. de veritate q. 1. art. 1. & de potẽtia q. 7. art. 7. apertius 1. part. q. 5. art. 3. Ad primum. Vbi ait, ſubſtantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens, applicando ens ad aliquã quidditatem, ſeu naturam, ſed cõtractio, aut applicatio non poteſt intelligi ſine vnitate, communitate, & abſtractione conceptus obiectiui, datur ergo hæc vnitas & abſtractio conceptus obiectiui entis. Eodẽ modo fauet huic ſententiæ Ariſt. 4. Meth. text. 7. Vbi inquit, Metaphyſicam conſiderare ens, in quantum ens, ſub quo alia genera continentur: vbi D. Thom. ait, primam Philoſophiam conſiderare ens cõmune. Ex quo duo ſumuntur pro hac ſententia. Primũ, ens in quãtum ens, eſſe obiectum Metaphyſicæ, ac per conſequens dare vnitatem illi, quã

Digitized by Google

niſi ratio illa vna ſit dare non poteſt. Secũdum eſt illud, *ſub quo alia genera continentur*, vbi videtur expręſſe concedi ratio quædam communis diſtincta & abſtracta ab alijs generibus. Ratione probatur. Primo, bene poteſt intelligi eſſentia alicuius, ſine eo quod non eſt illi eſſentiale, & intrinſecum, ſed de eſſentia entis vt ſic, nullo modo ſunt inferiora, poteſt ergo optime ratio entis ſine illis conceptu præciſſo cognoſci. Maior patet. Probatur minor: quia ſi partes ſubiectiuæ & potentiales vt ſunt ſubſtantia & accidens, eſſent de eſſentia ſui ſuperioris, cum quodlibet inferius eſſentialiter includat totam rationem ſuperioris, ipſa inferiora ſe mutuo eſſentialiter includerent, ac per conſequens ſicut ſubſtantia in ſua formali ratione eſſentialiter claudit ens, ſic etiam eſſentialiter clauderet accidẽs, quod implicat.

Secundo, ſi conceptus entis, non eſt vnus, erunt ergo plures. Quot ergo? non enim eſt maior ratio de duobus quam de tribus, vel quolibet alio numero, quia ſi multiplicantur hi conceptus, multiplicari neceſſe eſt iuxta aliquam diuerſitatem rerum vel entitatum, ſub latitudine entis compręhenſarum, hæ autẽ entitates in infinitum poſſũt multiplicari, & ſecundum diuerſas rationes diſtingui, ita non eſt vlla ratio cur ſiſtendũ ſit in duabus potius quam in tribus. Reſpondebis, ſignificare primario. V. g. ſubſtãtiam, & per attributionem ad illã omnia accidẽtia. Sed contra primo, quia licet hoc probabile ſit in Analogia, quę trahit ſecum dependentiam, in illa quæ præciſſe ex tranſcendentia oritur, non eſt aliquid vnũ in ordine ad quod, aut per cuius attributionem cætera ſignificentur, ſi ergo hac Analogia tranſcendentię ſe extendit ad omnia etiam indiuidua, oportebit vt hæc omnia ſecundum proprias & peculiares rationes, fere infinitis & pluri ficatis conceptibus concipiãtur, ac proinde quod huic voci *ens*, infiniti fere reſpondeãt conceptus, etiam ſub hac voce *entis* vt ſic, quod & abſurdum, & ridiculum eſt. Secundo, quia experientia conſtat nos vere concipere hoc quod eſt habere eſſe, ſine hoc quod vllo modo veniat in memoriam ſubſtantia aut accidens, & de hoc conceptu ſic communi nos Philoſophari, paſsiones oſtendere, ad eum fieri vltimam reſolutionem cæterorum, per alios conceptus

concipi

concipi tale, vel tale ens: per hunc autē præſcindimus omnem compoſitionem, & determinationem, & ideo appellatur ſimplicisſimus & conceptus ex ſe primus, qui ab homine formatur, vnde neceſſario debet eſſe abſtractus, & vnus. Quæ omnia tradit S. Thom. quæſt. 1. de veritate art. 1. & 1. part. q. 14. art. 6. dicit, quod ſi Deus tantum cognoſceret alia à ſe, in quātum ſunt entia, tantum cognoſceret in communi & imperfecte: vnde concludit non tantum ea cognoſcere ſecundum quod communicant in ratione entis, ſed etiam ſecundum quod vnum ab alio diſtinguitur, ſentit ergo conceptum entis vt ſic, eſſe communem, & vnum abſtrahentem à determinatis rationibus entium. Tertio contra hanc ſolutionem argumentor, quia conceptus. V. g. ſubſtantiæ vt primum analogatum, eſt conceptus entis per ſe, vt ad illum ordinantur, & per attributionem dicuntur accidentia (hoc enim habet vt primum analogatum eſt,) ſed hic conceptus per te eſt conceptus entis vt analogum eſt ſubſtantiæ & accidenti, ergo conceptus Analogi & conceptus primi analogati coincidunt. Hoc autem eſt falſum, tum quia conceptus entis non eſt conceptus ſubſtantiæ, tum quia in his analogatis ratio Analogi reperitur intrinſice, conceptus autem ſubſtantiæ non reperitur intrinſice in accidētibus, etiam vt primum analogatū eſt, alias omnia eſſent prima, quia omnia eſſent ſubſtantiæ.

Tertio principaliter argumentor pro hac ſententia, ſi in conceptu illo analogo, verbi gratia entis, intrant analogata, V. g. accidens & ſubſtātia, vel intrant copulatim, vel diſiunctim, non diſiunctim (vt omnes contra Sonzinatē fatentur:) tum quia debent intrare vt proportionātur, non eſt autem proportio in diſiunctione, ſed in copulatione relationis & habitudinis vnius ad aliud: tum Secundo, quia conceptus ſubſtantiæ, aut accidentis eſſet totus conceptus entis, & qui cognoſceret accidens tantum, totam rationem entis cognoſceret, qui enim cognoſcit accidens, cognoſcit accidens vel ſubſtantiam, quod vt patet abſurdum eſt: intrant ergo copulatim. Sed hoc etiam eſt impoſsibile, faceret enim hæc prædicatio, ſubſtantia eſt ens, hunc ſenſum, ſubſtantia eſt ſubſtantia & accidens quod vt patet falſum eſt, nec oportet

Digitized by Google

tet in impugnandis ſolutionibus immorari, ex dictis enim impugnatæ manent, præcipue ex his, quæ contra ſolutionem ſecundæ rationis dicta ſunt late.

Quarto. Si propter aliquã rationem ens non poſſet concipi ſine ſuis inferioribus, maxime, quia imbibitur in ſuis differentijs vltimis, hæc enim ratio tranſcendentiæ eſt, quæ magis obſtat vnitati conceptus, quia tranſcendit plura, vt plura, etiam ſi nullum ordinẽ, aut depẽdẽtiam, (quod ſonat aliquid vnitatis,) habeãt, ſed hęc ratio tranſcendentiæ non obſtat vnitati conceptus abſtracti, eſt igitur dabilis cõceptus vnus. Minor probatur, quia ens includi in differentijs vt quid illis eſſentiale, ſolum arguit ipſa inferiora non poſſe concipi ſine ente in illis incluſo, non vero arguit quod ens non poſsit cõcipi ſine inferioribus. Tum quia inferiora non ſunt de eſſentia entis, vt probatum eſt. Tum ſecundo, quia hoc ipſo quod dicitur ens includi in illis, ratio entis eſt ratio ſuperior, inferiora autem non ſunt de eſſentia rationis ſuperioris, licet ratio ſuperior ſit de eſſentia inferiorum; & ideo quamuis genus includatur in ſpeciebus, & ſit de eſſentia earum, recte poteſt intelligi conceptu formali, & præciſſo, non intellectis ſpeciebus, ergo ſimiliter etiam ſi ens ſit de eſſentia differentiarum, recte poteſt intelligi conceptu formali & præciſſo ſine conceptu differentiarum.

Quinto. In accidenti & ſubſtantia eſt entitas, & vtrumq; habet eſſe, vtrumq; enim non eſt nihil, conueniunt ergo in hoc quod eſt nõ eſſe nihil, poteſt ergo hoc in quo conueniunt præciſſe cõſiderari, nec videtur poſſe de hoc communi conceptu entis dubitari; quare recte docuit Suarez facilius poſſe dubitari de Analogia entis, quam de hoc conceptu communi illius.

Certe inter has duas ſententias, (adeo ſunt probabiles, & probatæ) difficile eſt ferre iudicium, quęlibet enim earum videtur omnino vera, immo vtramq; exiſtimo veram eſſe, ſi recte intelligatur, & fortaſſe quęſtionem tãtum eſſe de nomine, & in re nõ poſſe vlla ratione has duas ſententias diſſentire, quod vt oſtendam.

Notandũ eſt 1. Analogiam, quã diximus conuenire rebus per intellectũ, neceſſario dicere proportionẽ, habitudinẽ, aut relationem, hoc enim & nomen ipſum ſonat, & definitio, ſimiliter in qua dicitur rationem

tionem analogatorum eſſe eã dem , proportione ſcilicet. Hinc eſt, quod quia proportio & relatio non poteſt eſſe ſine analogatis , non definiatur in ſingulari analogum,ſed analogata in plurali . Hinc Ariſt.5. Meth. cap.6. ait, illa eſſe vnum ſecundum analogiam , quæcumq; ſe habent vt ad aliud,ita enim vertit Beſarion , Græca vero ad literam habent,*vt aliud* , *ad aliud*:ille autem reſpectus, *ad* , neceſſario trahit diuerſitatem, attributio enim & ſimilitudo,non eſt eiuſdẽ ad ſe. Ex quo ſequitur ,quod quacumq; ratione aut modo præſcindatur hæc cõmunitas attributionis , aut hæc proportio & diuerſitas analogatorum , tollatur omnino Analogia:ſicut in relatione ablato relatiuo,aut termino,tollitur ſtatim relatio,præſcinditur enim tunc aliquid, quod eſt de eſſentia rei,& ſine quo talis quidditas aut ratio, conſiſtere nequit.Ex quo.

Secũdo Notandũ eſt. Quod ratio aliqua , quæ ſi comparetur ad plura,vt participant illam per attributionem, & pro portionem , eſt analoga , ſi ſine hac comparatione propor tionali & ad plura,conſideretur,non erit analoga , nec denominabitur à ſecunda inten tione Analogiæ;eſt enim Analogia formaliter ſecunda intẽtio , quia conuenit rebus per intellectum, quæ ſicut de ſecũda intentione vniuerſali diximus , conſiſtit non quidem in abſtractione,ſed in comparatione , analogum enim vt ſic, comparatur ad multa , vt rationem partim eandẽ partim diuerſam participant . Itaq; conuenit Analogia cum vniuocatione vniuerſali , quod vtraq;eſt per comparationem ad vniuocata , aut analogata: differt, quod ratio quæ cõparatur in vniuocis eſt omnino eadem, in Analogis autẽ partim eadẽ partim vero diuerſa. Vt autem hæc differentia vniuocorum & analogorum explicetur.

Notandum eſt Tertio. Rationem tranſcendentem,cum ſit de eſſentia inferiorum,ſi ſemel comparetur ad illa,debere neceſſario comparari, vt illam inferiora participant , & quia illa participant inferiora non ſolum vt cumq;ſecundum rationem eſſendi,ſed ſecundũ differentias vltimas , ſecundũ quas ſunt primo diuerſæ , non poteſt ratio entis ad inferiora deſcendere , aut participari adæquate, & ſecundum omnẽ rationẽ participabilitatis,niſi illam cũ diuerſitate participent:quia ſicut ſecundum differentias non poſſunt non eſſe

diuerſa,ſic entitatem tranſcē-dētē illas, non poſſunt non vt diuerſam participare, & quia in hoc quod eſt habere eſſe cō ueniunt, & ipſa ratio eſſendi imbibitur in ipſis vt differūt, participant rationem eſſendi partim eandem,partim diuer ſam. Dixi ſi adæquate partici-pent, quia comparatione, vt ſic dicam inadęquata, vt ens ſcilicet,ſecundum modum ſig nificādi,ſignificat ad modum totius,& cōcreti,dicitq; *quod*, ſeu habens eſſe, non tranſcen-dit modos entis, qui in hoc ſenſu non dicuntur entia, neq; enim dicitur, *in alio*, eſt ens, ſed *in alio*, eſt modus entis: ſi (inquā) hac inadæquata com paratione referatur ad inferio ra, poterit habere rationem vniuoci, & hoc modo non lo-quimur: vniuocum autem li-cet comparatione adæquata & totali,comparetur ad infe-riora,quia illa ratio. V.g. quā dicit animal non tranſcendit differentias, ratione quarum inferiora plura ſunt, ideo eſt omnino vna in illis,& illa quā do vniuntur in animali,omni-no vniūtur; & in hoc ſenſu ve riſsima eſt ſententia illa quæ aſſerebat,analogum in com-paratione neceſſario eſſe plu-res,etiam ſi vnum ſit in abſtra ctione. Sed vt hæc etiā vnitas in abſtractine intelligatur.

Notandum eſt quarto. Ali-quam rationem poſſe dici ab ſtractam dupliciter: Primo,ne gatiue (ideſt) ad huc non con-tractam: Secundo poſitiue (ideſt) poſitiua actione, aut re prçſentatione ellicita,& quaſi ſeparata ab inferioribus, in quibus antea contracta repe-riebatur. Prior abſtractio nul-lum ordinem dicit ad inferio ra, neque reſpectum, *ad*, ne-que reſpectum, *a*, ideſt, neque ad multa eſt, quia hoc perti-net ad comparationem, ne-que à multis eſt, quia hoc for-maliſsime præſupponit con-tractionem, & vnionem duo-rum, à quorum vno alterum ſeparatur, quod pertinet ad abſtractionem poſitiuam ſe-cundo modo ſumptam. Diffe-runt etiam, quod hęc poſitiua & ſecunda abſtractio ſi vera & adæquata ſit, illius rationis quam ellicit, nihil debet in ſubiecto relinquere, ſed il-lam & quicquid illius eſt *in* inferioribus, intellectiua ab-ſtractionis vi educere, relicta quauis alia ratione, quæ in inferioribus reperiatur: ſic abſtrahitur ratio animalis ab homine,& equo, quia quæuis ratio animalitatis & ad illam ſpectans, vt ratio viuentis & ſenſibilis, abſtractione edu-citur, relicta ſolum formalita-te rationalis, quam adhuc in

ſpeciebus

Digitized by Google

ſpeciebus animalitas nō tranſcendebat. Quo abſtractionis genere ſi ens ab inferioribus abſtrahatur, neceſſario ex illis debet educi quicquid in illis habet rationem entis, etiam rationes differentiales vt entia ſunt, quę debent in abſtractione ellici, & illam intrare, ſolumq; poteſt ex illis remanere conceptus expræſſus, qui vt expręſſus, non eſt idem, quod conceptus expręſſus entis, & in hac etiam abſtractione formaliſsime differunt & vniuocum, & analogum. Prior autem abſtractio, ſeu non contractio, aut conſideratio rei non contractæ, tantum poſtulat, vt concipiatur in re, illud quod ex ſe nullo habito reſpectu ad inferiora illi conuenit; in qua abſtractione non oportet includi rationes differentiales vllo modo actu, quia hæc actualis incluſio non conuenit rationi abſtractæ, niſi ratione contractionis ad inferiora, quam non ſupponimus, potius enim intelligimus non contractum: in quo eſt maxima differētia ab abſtractione, ſupponens iam contractionem (loquor formaliter de re vt ſic cognita) quia cum per contractionem, ſeu extenſionem, verbi gratia entis ad inferiora, iam ſit differentia illa cōtrahens, actu *ens differentia*, ſi per abſtractionem ellicitur actualis ratio entis, etiam in ente ellicito, ellicitur ratio illa differentialis, licet non ſub conceptu expræſſo: in ente vero non contracto ſolum intelligebatur includi in potentia non in actu. Poteſt etiam & alia intelligi differentia inter has abſtractiones, quod in prima (ſcilicet in non contractione) ratio entis intelligitur veluti fons, & origo rationum particularium, ad quas vt illis det eſſe, quaſi deſcendit, & deſcendendo contrahitur. In ſecunda vero (poſitiua ſcilicet abſtractione) ratio abſtracta videtur ſumere ſuum eſſe ab inferioribus in quibus erat, ab illis enim intellectus educit eſſe quod abſtrahit, & ita in prima conſideratione entis non contracti, entia peculiaria ſolum continentur in potentia, quia ante contractionem actualem, nondum intelligitur ens actu deſcendiſſe ad dandum illis eſſe. In ſecunda vero conſideratione, quia nulla eſt ratio in inferioribus quæ non ſit actu ens, & quicquid

Digitized by Google

actu eſt ens, poſitiua hac abſtractione concipitur, ideo in ente ſic poſitiue abſtracto, includuntur differentiæ, vt actu entia, (ſumpto ente tranſcendentaliter) ſolumq; remanent ſeparatæ ſecundum conceptũ exprẹſſum formaliſsime, quod maxime notandum eſt.

Facilis ergo eſt ex dictis deciſsio huius quẹſtionis, quia ſi loquamur de analogo reduplicatiue formaliter, vt analogum eſt, ſubeſtq; ſecundæ intẽtioni Analogiæ, non habet vnum conceptum obiectiuũ. Hoc patet ex primo notabili, etenim vt ſic, neceſſario dicit proportionem, relationem, & habitudinem inter diuerſa, & ſic, rationẽ ſimpliciter diuerſam, & vnam ſecundum quid, ſic nomen eius debet eſſe, *nomen quorum*, analoga enim ſunt, quorum nomen eſt commune, ſic identitas debet eſſe partita, ſic debet dicere diuerſitatem, hæc enim omnia ſunt de ratione Analogiæ, ſic minimum cui poteſt cõparari debent eſſe duo; & ideo ſemper analoga in plurali definiuntur, & de Analogi conceptu hoc modo interpretanda eſt prima ſentẽtia Ariſt. & S. Tho. Quod ſi aliquid cõtra noſtras concluſiones ex adductis pro illa remanſerit, in fine quẹſtionis ſoluetur.

Dico ſecundo. Si loquamur de abſtractione poſitiua, qua ens educitur ex ſuis inferioribus adæquata, & totali, nõ poteſt dari vnus conceptus obiectiuus abſtractus, niſi ſolũ ſecũdum exprẹſiſsimum conceptum. Probatur, quia hac abſtractione non abſtrahit ens à rationibus vltimis differentialibus, ſed illas continet actu, licet non ſecundum cõceptum exprẹſſum earum, ſed incluſio vltimarum differentiarum eſt incluſio neceſſario trahens diuerſitatem, vt ſatis oſtenſum eſt, tam hac, quam præcedenti quæſtione, ergo conceptus obiectiuus has includens, non poterit eſſe vnus, ſed quia illas non includit ſecundum cõceptum exprẹſſum earũ: ideo ſi loquamur de cõceptibus formaliſsime, vt exprẹſsis, hẹc ratio abſtrahẽs poteſt eſſe vna, quia quod obſtabat vnitati, erat incluſio rationum inferiorum, ergo ſi hæ rationes *in exprẹſsione* excluduntur, manebit vnitas. Hẹc etiam ſecunda concluſio fauet primẹ ſententiæ, in abſtractione enim adhuc non concedimus conceptum vnum, recteq; explicat diſtinctionem Analogi ab vniuoco. Sed notandum, quod in hac abſtractione non intelligitur nomen complete, & in actu analogum, ſed (vt ſic dicã) analo-

analogabile proximè, quia cũ Analogia fiat per cõparationem, & in abſtractione non comparetur, nondum actu denominatur à ſecunda intẽtione Analogiæ, quia tamẽ vt ſic abſtractum, eſt proximè comparabile, & nulla alia comparatione niſi Analogię, dicitur analogabile proximè.

Dico tertio. Si loquamur de abſtractione negatiua, ſeu de ente vt non contracto, poteſt dari cõceptus obiectiuus ſimpliciter vnus. Hoc probant ſatis argumenta adducta pro ſecunda ſententia, qua ratione loquutus eſt S. Thom. 1. part. q. 5. dicens, ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem contrahere ens, & applicare ad aliquam quidditatem particularem, ergo non contractũ neq; erat quantitas, nec qualitas &c. A Priori probatur: quia ens in hac abſtractione nõ includit inferiora actu (vt oſtendimus) ſed in potentia tantũ, ſed tota ratio quæ tollit vnitatem, ſunt differentiæ & modi inferiorum, ergo cum hæc nõ includat actu, actu erit ens vnum, ſolum in potentia plures. Et confirmatur à ſimili, quia ſicut genus etiam ſi in potentia contineat inferiora, eſt vere vnum, quia actu ab illis abſtrahit, ſic licet ens in potẽtia contineat inferiora, erit actu vnum, quia actu ab illis abſtrahit.

Dico quarto. Si loquamur de abſtractione poſitiua inadæquata tamen, & incompleta, dari poteſt abſtractus conceptus obiectiuus entis vere vnus. Probatur, quia hac abſtractione inadæquata poteſt concipi id quod eſt ens, vt ens eſt, quod eſt habens eſſe, & prout diſtinguitur à modis entis, qua ratione, *in alio*, non dicitur ens, ſed modus entis, ſed tota ratio quare cõceptus entis vnus eſſe non poteſt, eſt incluſio rationum particularium, ergo cũ hac abſtractione inadęquata hæ rationes particulares, & modi entis præſcindi poſſint, poterit dari in abſtractione conceptus obiectiuus vere vnus.

Ex his facile poteſt reſponderi argumentis vtriuſq; ſentẽtiæ, quatenus aliquid contra aliquam harum cõcluſionum videntur concludere. Ad authoritatem S. Thom. & Ariſt. vbi dicitur analogũ dici multipliciter & ſignificare diuerſas proportiones, Reſpondetur, loqui de analogo reduplicatiue, & formaliter iuxta doctrinam primæ & ſecundæ concluſionis. Ratio enim prima nihil aliud probat. Ad ſecundum Reſpondetur, iã nos explicaſſe differentiam analogorum,

gorum,& vniuocorum, quod vniuoca etiam abſtractione completa & totali,dicunt rationem omnino eandem, in qua non includuntur actu peculiares rationes inferiorum, & ita in comparatione ſimiliter poteſt eſſe vna omnino: in ente vero abſtracto, poſitiue & adæquate includuntur actu rationes differentiales, & ita non poteſt ad inferiora cõparari niſi vt ratio diuerſa. Dices. Saltim ratio entis vt non contracta,eſt vna,ergo poteſt comparari ad inferiora, vt vna & eadem, ergo vt vniuoca. Reſpondetur, hoc ipſo quod ad inferiora comparatur, inferiora conſiderari vt actu entia, ac proinde rationem illam entis comparari cũ tranſcendentia, & incluſione in differentijs,ac proinde nullo modo vt ratio vniuoca,eſt enim ratio entis etiam vt non contracta ſic contrahibilis,vt ad rationes & modos quibus contrahitur, neceſſario ſe extendat. Vnde quia per comparationem iam tollitur abſtractio negatiua, tollitur etiam vnitas quæ ſolum enti in illa non contractione conſiderato poterat conuenire, in quo ſenſu,recte vt diximus loquuntur,qui aſſerunt rationem entis in abſtractione eſſe vnam, ſemper autem in comparatione plures.

Ad tertium Reſpondetur, quod ſi loquamur de abſtraſtractione negatiua, fatemur poſſe cognoſci rationem entis non conſideratis modis, aut rationibus particularibus: ſi vero loquamur de abſtractione poſitiua & adæquata,non poteſt ab illis præſcindi niſi tantum penes expręſſionem, ex hoc autem non ſequitur conceptum entis ſic eſſe vnum, vt ſit vniuocus, de quo ſatis dictum eſt. Ad ſecundam confirmationem Reſpõdetur,conceptũ entis,vt præciſſum à ſuis inferioribus, vel per abſtractionem negatiuã inferiora non includens, vel abſtractione poſitiua illa non dicens ſecundum expręſsionem,eo modo quo illa non includit,ab illis diſtingui. Hoc autem non eſt contra rationẽ tranſcendentię,quæ ſolum poſtulat in omnibus quæ actu ſunt entia, includi, non vero in illis quæ ſolum intelligũtur eſſe in potentia,& in illis quæ actu ſunt,non oportet includi ſecundum expręſsionem formaliſsime,ſed ſecundum rem, expręſſa enim ratio differentiæ, V.g. rationalis,non eſt expręſſa ratio entis.

Ad quartum argumentum iam diximus, quomodo conceptus entis ſit vnus in non con-

Digitized by Google

contractione,& hoc modo nõ includit determinatos modos entiũ:vnde poteſt cõtrahi p illos,ſictamẽvt eoipſo,ea ſolũ quę erãt in potẽtia in ente,iã ſint actu entia,& actu ẽs in illis.Si autem loquamur de abſtractione poſitiua adæquata,hoc modo ſicut nõ includit ſecundum expræſsionẽ determinatos modos entium, ſic ſolũ penes implicitum,& explicitum intelligitur contrahibile,& determinabile:itaq, hæc contractio , ſeu determinatio ad inferiora,non eſt intelligenda per modum cõpoſitionis,ſed per modum expræſsionis conceptionis alicuius rationis entitatiuę, cõtentę ſub ente.Quod recte expliciuit.S. Tho.q.1.de veritate art.1.dicens , quod primo intellectus concipit quaſi notiſsimum, & in quo omnes conceptiones reſoluit,eſt ens, vnde oportet quod omnes aliæ cõceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens, cui nihil poteſt addi quaſi extranea natura,per modum quo differẽtia additur generi,ſed ſecundum hoc aliqua dicuntur addere ſupra ens, in quantum exprimũt ipſius modum, qui nomine entis non exprimitur. Videatur Pater Suarez , primo tomo Meth.diſp.2.ſect.6.

Ad argumenta ſecundę ſententiæ Reſpondetur.Authoritatẽ. S. Tho. probare tertiam concluſionẽ,& Ariſt.ſimiliter: fatemur enim poſſe cõſiderari ens,in quantũ ens,& hoc vel abſtractione negatiua,vel abſtractione poſitiua inadæquata , vel abſtractione poſitiua adęquata,quatenus in illa modi & rationes particulares entiũ non exprimũtur.Prima ratio recte probat tertiã,& quartam concluſionẽ,ſimiliter argumentũ ſecundũ.Quãdo autẽ ens conſideratur formaliter,vt analogũ, tot erũt cõceptus,quot fuerint cõcepta analogata , hæc autẽ ſemper ſunt determinata. Ad 3.R.In conceptu ẽtis formaliſsimi,vt analogi,intrare analogata, vt copulatim proportionantur.Ex hoc autẽ non ſequitur , quod quando dicitur ſubſtantia eſt ens,ſit ſenſus, ſubſtãtia eſt ſubſtantia & accidẽs : tũ, quia cõmuniter ens nõ prędicatur de ſubſtantia ,niſi ſecundũ quod ens diſtinguimus à modo entis,ſenſuſq;eſt,ſubſtãtia eſt aliquid habens eſſe, in quo ſenſu dicimus,*per ſe*,aut *in alio*,non eſſe entia ſed modos entis.Tũ ſecundo , quia quotieſcumq; ratio entis prædicatur , aut comparatur ad vnum tantum, amittit rationem analogi,nec ad vnum tantum , vt analogum comparari poteſt.

Diximus

Diximus enim ſupra minimũ ad quod poteſt cõparari analogum debere eſſe duo analogata, tunc autem illa prædicatio non erit prædicatio actu Analogi, ſed rationis cuiuſdã, quę ſpecificatiue loquẽdo poteſt eſſe analoga, ſi ad ſubſtantiam & accidens ſimul comparetur, & referatur. Dices. Vniuocum vniuerſale etiã poſtulat duo, ad quæ comparetur, quia vniuerſale eſt vnum in multis, & quando prædicatur de vno tantum, prędicatur vniuoce, ergo etiam analogũ, quando prædicatur de vno tã tum, poterit prædicari Analogicè Reſpõdetur primo, diſparem eſſe rationem, quia cũ ratio vniuoca ſit abſolute eadem, poteſt eſſe eadem, & in pluribus, & in vno: ratio vero Analogi, quia vt ſic poſtulat eſſe vna cum diuerſitate, & eadem proportione tantum, nõ poteſt proportio, aut diuerſitas reſpectu vnius exerceri, aut intelligi. Reſpondetur ſecundo, prædicari Analogice (vt ſic dicam) partialiter, quatenus eſt ratio quædam reſpectu ſubſtantiæ, & reſpectu accidentis analogabilis. Addo, poſſe optime facere hunc ſenſum, ſubſtantia eſt ens, ideſt ratio illa quam per ſe & ex ſuis eſſentialibus dicit ens, quam abſtractione negatiua concipimus, hæc (inquã) ratio vna eſſentialiter in ſubſtantia includitur.

Ad quartum Reſpondetur. Multum fauere tertiæ concluſioni, quatenus autem poteſt obſtare ſecundæ Reſpõdetur. Quod quia ſuppoſita contractione, iam differentiæ intelliguntur actu entia, non poteſt adæquate abſtrahi ratio entitatis actualis, niſi etiam differentiæ, & modi particulares, ſaltim cõceptu confuſſo in ratione abſtracti includantur: diſparitas autem, quæ reperitur inter genus & hoc tranſcẽdens ſatis eſt repetita.

Quintum argumentum etiam eſt pro tertia concluſione, vel ſi obſtat ſecundæ, eodẽ modo ſoluendum eſt. Ex his manet etiam explicata quęſtio. Vtrum analogatis ſub nomine analogo correſpondeãt plures conceptus. Et hæc de hac quæſtione.

QVAES-

QVÆSTIO. VLTIMA.

De Analogia entis, tam reſpectu entis rationis, quam realis, quam Dei, & creaturarum, quam denique; ſubſtantiæ, & accidentis.

VT melius ea quę dicenda ſunt intelligantur, explicare oportet, an ens in rebus omnibus eſſentialiter includatur, ex hoc enim præcipue eius Analogia penſanda eſt, ſed de hoc dictum eſt ſatis, & certe ipſum quod inquiritur ſe ſoluit, ſi enim res & ens idem ſunt, quærere an ens includatur in rebus, eſt quærere, an ens eſſentialiter includatur in entibus, quid autem clarius quam dicere, ens eſſentialiter eſt ens, quod non intelligo de ente, vt dicit exiſtentiam, ſic enim ſoli Deo eſſentiale eſt exiſtere: & ideo capite de accidenti dixi, hãc eſſe accidentalem prædicationem, creatura exiſtit: licet enim exiſtentia nõ ſit accidẽs prædicamentale, eſt tamen accidens prædicabile (vt dixi.) De ente autem vt dicit eſſentiam, ſeu habens eſſentiam, facillimo negotio probatur adhuc contra Scotum, aſſerentẽ in vltimis differentijs non includi eſſentialiter ens, neq; in modis intrinſecis entis, V. g. *eſſe per ſe*, aut *in alio*, contra quē argumentor ſic. Quia differentiæ iſtę vltimę, V. g. rationale, & iſti etiam modi entis, vel ſunt ens, vel nihil, hoc ſecũdum dici non poteſt, quia aliàs homo per nihil conſtitueretur, & ſubſtantia quæ conſtituitur per *eſſe per ſe*, ſimiliter eſſet tale ens per nihil, quod eſt abſurdum, ergo ſunt entia, ergo includunt eſſentialiter ens. Dices, nego conſequentiam; quia ex eo quod ſint entia, non ſequitur quod ſint eſſentialiter entia: ſicut ex hoc quod homo ſit albus, non ſequitur quod homo eſſentialiter ſit albus. Contra inquiro, quę ſit eſſentia illarum differẽtiarum, & modorũ, an ſit ens vel nihil, vt ſupra.

Sed vt ſoluatis plurima argumenta notate. Tranſcendẽtiam non propriè facere compoſitionem cum aliquo, neq; propriè conuenientiam inter duo,

duo,quia etiam primo diuerſa ſunt entia, & tamen ſe totis differunt,omnia etiam ſimplicia habent compoſitionem tranſcendentalem, vnde ſi poteſt eſſe ſimplicitas & primo diuerſitas,cum compoſitione tranſcendentali, vere non eſt propria compoſitio:ratio eſt, quia ſi includitur eſſentialiter in omnibus rebus, non poteſt cum eis componere, cum componentia aliquomodo debeāt eſſe diuerſa, vt ſæpe dixi.

Ex quo infero primo. Ens prædicari in quid de omnibus rebus,non quidem generice,aut ſpecifice, ſed tranſcendentaliter. Infero ſecundo, quod ſi paſsiones & proprietates entis. V.g.vnum, bonū, &c.addant aliquid poſitiuū, ens includitur eſſentialiter in illis, ſi vero aliquid negatiuū, non item,ſed de hoc alibi:neque enim eſt inconueniens quod ſubiectum prædicetur eſſentialiter de paſsione, V.g. vnum eſt ens, vt aliqui putarunt,quia ſubiectum tranſcēdens eſt, ac proinde non ita limitatur alijs regulis, vt etiam in ſimili aliàs de tranſcendentia dictum eſt.

DVBIVM PRIMVM.

Quomodo dicatur Ens de ente reali & rationis.

DICO ens dicitur de ente reali & rationis Analogia attributionis, & aliquomodo Analogia proportionalitatis, ſecundum diuerſas rationes. Explicatur & probatur concluſio & primo, quod dicatur Analogia attributionis probatur. Ens vt ſignificat vere ens (hoc enim modo debet ſumi in hac attributionis Analogia) tantū reperitur in vno mēbro, ſcilicet in ente reali propriè & intrinſice,in alio ſcilicet ente rationis,non niſi extrinſice & in ordine ad ens reale, quod probant ea omnia,quę in diſputatione de ente rationis dicta ſunt. Poteſt hoc etiā confirmari authoritate Ariſt. 4. Meth. cap. 1. in principio. S. Tho. & fere omniū expoſitorū, quos longū eſſet recēſere. Quod autē ſit analogum proportionalitatis ſaltim imperfecte, probatur, ſi ens ſumatur pro eo quod habet eſſe propriè, vel impropriè, eo modo quo poteſt hoc pręſcindi, & quo poteſt ens ſignificare proportionem inter proportiones has, quod ſicut ſe habet ens reale ad ſuas paſsiones quæ de eo demonſtrātur,ita ens rationis ad ſuas, & ſicut ens reale ſe ha-

bet

Digitized by Google

bet ad cognoſci per ſe, ita ens rationis ad cognoſci ad modũ entis, quatenus(inquã)tã paſſiones, quã prędicatio, & cognitio intelliguntur entibus rationis conuenire ad modũ entium realium, & cum aliqua ſimilitudine ad illa, eſt aliqua proportionalitas, ergo intelligitur aliqua ratio Analogiæ.

Sed inſurgit Sonzinas, inter ens reale, & rationis maior eſt diſtantia, quã inter Deum, & creaturas, cũ Deus & creatura entia realia ſint, ſed ens reſpectu Dei & creaturarũ eſt analogum, ergo reſpectu entis realis & rationis erit æquiuocũ. Reſpondetur primo, poſſe negari maiorẽ, nõ enim diſtãt in infinitum ens reale, & rationis vt ſic, quia ens rationis nõ eſt pure nihil, ſed quaſi mediũ inter ens reale & nihil, & ita nõ diſtat infinite ab ente reali, ſed tantum in perfectione, qua ens reale, illud ſuperat, entis autẽ realis vt ſic, perfectio finita eſt: Deus autem infinite ſuperat in perfectione creaturas. Sed Reſpondetur ſecũdo, & concedamus infinite differre, non ſequitur eſſe æquiuocum, ſi illa quæ infinite diſtãt habeant inter ſe aliquam proportionem, aut proportionalitatem, vt de Deo & creaturis dicemus.

DVBIVM SECVNDVM.

Utrum ens Analogice dicatur de Deo, & creaturis.

PRima in hoc dubio ſentẽtia eſt, ens dici vniuoce de Deo & creaturis. Sic Scotus in 1. diſt. 3. q. 1. & 3. & diſt. 8. q. 2. Ant. And. 4. Meth. q. 1. Trombeta q. 2. Benetus. 1. lib. ſuę Meth. c. 6. & Nominales, OKã, Gabriel, & Gregorius, & alius Gabriel Zerbi. 4. Meth. q. 2. Sed certe nõ video in hac opinione argumentum alicuius momẽti, omnia enim quæ multiplicant, vt quod per entitatem creaturarũ deuenimus in cognitionem Dei, & ꝙ Deus cognoſcitur in hac vita per ſpeciẽ entis creati, ſaluãtur optime cũ Analogia, cũ analogata aliqualẽ dicant ſimilitudinem, & ens rationis etiã per ſpeciẽ entis rei cũ quo Analogice conuenit, cognoſcatur: differentia eſt, quod ens rationis illud habet ex defectu entitatis, Deus autem ex perfectione, & infinitate.

Solũ video poſſe obijci pro his, ꝙ illa natura quę eſt mẽſura entitatis & veritatis aliorũ, debet eſſe Synonima, vniuoca, & eiuſdẽ rationis cũ menſuratis,

ſuratis, teſte Ariſt. 2. Meth. cap. 1. Sed Deus eſt menſura entitatis & veritatis rerũ omnium, cum ſit ſumme ens, & ſumme vnus; ergo conuenit vniuoce cum alijs rebus creatis.

Secundo etiam ex Ariſt. 2. Meth. text. 4. dicente, quod in omnibus generibus eſt dare vnum primum, quod ſit cauſa vniuoca cæterorum, vt in genere calidorum ignis, ſed in genere entium Primum ens quod eſt cauſa cæterorum eſt Deus, ergo eſt cauſa vniuoca, ens igitur de Deo & creaturis dicetur vniuoce.

Alia ſententia huic ex oppoſito oppoſita, eſt eiuſdem Rabbi Moyſis, relati à D. Th. q. 7. de potentia artic. 7. quem deinde ſequutus eſt Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 2. q. 1. aſſerunt iſti: ens æquiuoce de Deo & creaturis enunciari. In hac etiam ſententia non video alicuius ponderis argumentum, tantum poteſt obijci, quod inter Deum & creaturas nulla eſt proportio, cũ Deus ſit infinitum ens, Creaturæ vero finitæ ſint, at inter analogata, aliqua debet eſſe proportio, ergo. Et poteſt cõfirmari ex illo Iſaiæ capit. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint ante te*, ergo quaſi nihil, ergo non proportionantur Deo, ac proinde nec analogantur cũ illo. Veritas tamẽ in hac parte, media haud dubiè via procedit, vnde inter ſententias quæ ſibi & veritati opponuntur, hanc tenebit deciſsio noſtra.

Dico ergo primo. Ens analogum eſt ad Deum & creaturas analogia attributionis. Eſt expreſſa S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 5. Ad quartum, & primo contra gentes cap. 34. Ferrara ibidem. Fonſeca. 4. Meth. cap. 2. Oña hic q. 2. artic. 3. Maſ. q. 2. ſectionis primę Ante prędicamentorũ. Probatẽ primo. Illud nomen dicitur Analogia attributionis, quod abſolute prolatum ſtat pro famoſiori ſignificato, & cuius ratio in vno reperitur proprijſsime, & perfectiſsime, in alijs autem per ordinem ad illud, ſed hoc nomẽ *Ens*, ſeu *qui eſt*, abſolute prolatũ. ſtat pro ſolo Deo, *Ego ſum qui ſum*, *qui eſt miſsit me ad vos*. Deus etiam tantũ eſt ens à ſe, & ſolum qui vere eſt, qui in ſe eſt, & à quo cætera omnia ſuum eſſe participant, & dependent, ergo &c. Vnde nomen *Tetragamaton*, *Ieoua*, ſcilicet, vt dicũt Abulenſis & Lipomanus, idẽ ſignificat quod *qui ſum*, & hoc nomen per antonomaſiam dictum eſt ita vt ſignificet qui eſt per eſſentiã, atq; à ſe ipſo, ac proinde neq;

eſſe

Digitized by Google

eſſe cæpit, neq. deſinet, & neq; eſt in eo vlla limitatio, ſed eſſe æternum totum ſimul, fons & origo totius eſſe, vnite atq; eminenter in ſe continens (de quo gaudeo:) quod nomē ita explicat diuinam eſſentiam, vt nullū aliud eam melius & intimius nobis manifeſtet (teſte Molina. 1. p. col. 437.) Exiſtimo autem huic probationi quodammodo iniuriam irrogari, ſi in huius confirmationē aliam addamus. Dici ſolet cōmuniter, quod etiam ens poteſt eſſe analogum proportionalitatis reſpectu Dei & creaturarum, ſi ſumatur quatenus ſignificat proportionalitatē quandam, in qua conueniunt Deus & creaturæ, quia ſicut ſe habet Deus ad ſuum eſſe, ita & Creatura ad ſuum, quia ſicut Deus eſt ens per ſuum eſſe quod habet, ita & creatura eſt ens per ſuum eſſe quod habet, licet hoc habeat participatum & dependens (vt dixi:) ſed hæc proportionalitas quæ ſolum ſumitur penes comparationem eiuſdem rei ad ſuū eſſe, non conſtituit analogiam (vt dixi) tum quia propriè nō inueniuntur quatuor termini, tum ſecundo, quia hæc proportionalitas adeo communis, etiam in vniuocis & analogis reperitur. Pro Analogia autem vt ſic, adde his omnibus, quod ex cognitione vnius æquiuoci vt ſic, id eſt, vt ſignificatur omnino diuerſe (ita enim nomine ſignificātur æquiuoco) non poſſumus deuenire in alterius cognitionem, nam quis ex natura canis cæleſtis, canis domeſtici percipiet naturam? at ex cognitione creaturarum, in cognitionem Dei Optimi maximi deuenimus, ſecundū illud ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Et Sapient. 13. *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit cognoſcibiliter horum Creator videri*. Vnde D. Auguſt. lib. 7. confeſſ. *& audiui* (inquit,) *ſicut auditur in corde, & non erat prorſus vnde dubitarem, faciliuſq; dubitarem, viuere me, quam nō eſſe veritatem, quæ per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciūtur*, Deus ergo & creatura nō dicuntur æquiuoce ens.

Ad argumenta Scoti adducta Reſpondetur. Ad primū, Ariſtot. intelligendum eſſe de mēſura, nō infinita, ſed quādo finita eſt proportionata menſurato, vt explicuit S. Thom. 1. part. quæſt. 13. artic. 5. ad tertium, qualis non eſt Deus reſpectu creaturarum.

Ad ſecundum Reſpondetur. Primo quod nomine vniuoci comprehendit ibi etiam

analoga, quæ cum ſint media inter vniuoca & æquiuoca, aliquando nomine æquiuoci, vt patet in exemplo de homine viuo, & picto, quod in æquiuocis adduxit Ariſt. aliquando etiam nomine vniuoci ſignificantur. Vel ſecundo Reſpondetur, loqui Ariſt. de cauſis ſecundis, non vero de primis, qualis eſt Deus.

Ad argumentum alterius ſecundæ ſẽtẽtiæ Reſpondetur, aliam eſſe proportionem Logicam, aliam autem Phyſicã, ſeu determinatã, qualis eſt inter vnum & duo, duplum, & quadruplum: proportio vero Logica eſt, ad quam non requiritur quod ea quæ proportionantur ſint in genere finito, vel infinito, ſed quod habeant aliquam ſimilitudinẽ, qualis inuenitur inter Deum, & creaturas. Et de proportione phyſica intelligendus eſt S. Thom. de veritate quæſt. 1. art. 22. vbi aſſerit non eſſe proportionem inter Deũ & creaturas. Quod autem additur ex Iſaia, vel de proportione phyſica intelligendum eſt, vel certe ly, *quaſi*, nõ excludit oñino aliqualem ſimilitudinẽ, & attributionẽ, quã inter Deũ & creaturas vidimus reperiri.

DVBIVM TERTIVM.

Quomodo ens creatum dicatur de ſubſtantia & accidenti.

QVod alij quærere ſolent, quomodo dicatur de decem prędicamentis; ſed idem eſt, quia primum ſubſtãtia, alia autem nouem ſunt accidentia. Eędem ſunt quæ in præcedenti, in hac quæſtione ſententiæ, ſed quod nõ ſit vniuocum iam probaui ſupra, & oſtẽdi analogiam, quæ oritur ex tranſcendentia, cum vniuocatione pugnare. Quod autẽ non ſit æquiuocum probatur primo, quia vt modo tetigi, ęquiuocũ nõ deſeruit ad cognitionẽ alteriꝰ vt ſic, ſed Ariſt. 1. de anima cap. 1. Accidentia docet maxime conferre ad cognitionem ſubſtantiæ, ergo non ſunt æquiuoca. Secundo, authoritate eiuſdem Ariſt. qui varijs in locis hoc profiteť, ſic habet Quarto Meth. cap. 2. & lib. 7. cap. 4. & lib. 11. cap. 7. & de bono, quod eſt entis proprietas, idẽ aſſerit primo Ethi

chorum

Digitized by Google

chorũ cap. 6. Tertio, quia vt dixi, ens quod eſt cõmune ſubſtantiæ & accidenti, eſt obiectũ Metaphyſicæ, ergo non eſt æquiuocũ, quia de ęquiuocis vt ſic, non poteſt eſſe ſcientia. Quarto, quia accidẽs dicitur ens per attributionẽ ad ſubſtantiam, vnde dicitur entis ens, quod nõ cõuenit æquiuocis. Addo deniq; in ęquiuocis nullum ordinem prioris, & poſterioris reperiri, qui tamen intercedit inter eas reſpectu ſubſtantiæ, & accidẽtis, prius enim de ſubſtantia dicitur, poſterius vero de accidentibus: ex quo etiã patet non eſſe vniuocum, quia vniuocum non dicitur per prius de vno vniuocato, ſed ęque de omnibus. Manet ergo iã neceſſaria concluſio quod dicatur de illis analogice, quod à ſufficienti enumeratione conſtat, & ex rationibus eiſdẽ adductis, cõſtabitq; magis ex adducẽdis.

Controuerſia autẽ eſt: ſuppoſito quod dicatur Analogice, quo Analogiæ gaudeat genere. Senſit enim Aegidius. 4. Meth. q. 4. & in 1. diſt. 8. q. 1. art. 2. tantum eſſe hanc analogiam attributionis, quia eſt (inquit) tam minima entitas accidentium, vt ab ea nõ poſſint accidentia, entia dici, ſed ab attributione illorum, ad ſubſtãtiã. Ex veteribus autem nõnulli (vt teſtatur Herbeus) quod lib. 2. q. 7. aſſeruere, ens in ordine ad ſubſtãtiam quãtitatẽ, & qualitatẽ, vtraq; analogia eſſe analogũ, in ordine vero ad relationẽ, & alia ſex prędicamenta, Analogia tantũ attributionis, & nullo modo proportionalitatis. Dico tamẽ, Ens reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, Analogia dicitur attributionis, & tranſcendẽtiæ, illa autem proportionalitas quod ſicut ſe habet ſubſtãtia ad ſuũ eſſe per ſe, ſic accidens ad ſuum eſſe in alio, iam ſæpe mihi ſuſpecta eſt propter rationes dictas, quia nec quatuor terminos propriè cõtinet, nec illa tollit vniuocationẽ, aut æquiuocationẽ, ac proinde nõ eſt propriè Analogia. Quod ergo dicatur Analogia attributionis, patet, quia hoc genere Analogię aliquid analogũ eſt reſpectu eorum, quę ita inter ſe dicũtur, vt vnũ dicatur tale per ordinẽ & habitudinẽ ad aliud, ſed accidẽtia ab Ariſt. per ordinẽ, attributionẽ, & habitudinẽ ad ſubſtantiã, entia dicũtur, vnde nõ appellantur abſolute ab illo entia, ſed entis entia, Analogia ergo attributionis analogãtur. 2. Quia analogum in vno mẽbro, propius, perfectius, & principalius reperitur, quia tãtũ ſubſtãtia eſt ens per

per ſe, accidens autem affectio entis per ſe. Adde, quod ſi definiatur vt tale per ſubſtantiam, tanquam per præcipuũ analogatum definiri debet: quod autem dicatur Analogia tranſcendentia facile conſtat, quia ratio communiſsimi entis tranſcendit modos eſſendi *per ſe & in alio*, qui ſunt conſtitutiui ſubſtantiæ, & accidentium.

Sed contra obijcies primo. Pleraq; accidentia non definiuntur per ſubiectum, aut ſubſtantiã, ergo non ſunt attributionis Analoga hæc duo: conſequentia tenet ex regulis ſupra adductis, antecedens probatur, quia quando definitur albedo, V.g. non definitur per ſubiectum, ſed per genus, dicimus enim, albedo eſt color diſgregatiuus viſus. Adde, quod Mathematici definiunt quantitatem ſine ſubſtantia, definiunt enim circulum eſſe figuram planam, ſeu rotundã, vna linea comprehenſam, in cuius medio punctum eſt, à quo omnes lineæ quę vſq; ad circumferentiã duci poſſunt, ſunt ęquales. Reſpondetur, nõ debere ſemper accidens definiri per ſubiectum explicite, maxime ſi in abſtracto definiatur, quia vt ſic concipitur ad modum ſubſtantiæ per ſe exiſtentis; quando autem definitur in concreto, etiam ſi per genus definiatur, definitur per genus in concreto, quod ſubiectum connotat, (vt dixi in cap. de genere:) immo quãdo definitur in abſtracto, implicite definitur per ſubiectũ, quia color quod eſt genus albedinis, eſt actus corporis luminati. Adde etiã, quod Mathematici agunt de quantitate ad modum per ſe ſtantis, & abſtractæ à ſubſtantia, & etiã illam definiunt per ſubiectũ implicite, quia figura per quã definitur circulus, etiam ſubiectatur in ſubſtantia, & eſt actus accidentalis eius: quantitas autem, cum vicẽ habeat ſubſtãtię reſpectu aliorum accidentium, (eſt enim immediatum ſubiectum eorum) poteſt facilius ad modum ſubſtãtiæ concipi, & appręhendi. Reſpondetur Secundo, quod non ſemper ratio analogati quomodocũq; ſumpta, debet definiri per analogatum præcipuũ, niſi quando formaliter definitur vt minus principale analogatũ, abſolute enim ratio illa poterit ſecundum aliã conſiderationem alio etiam modo definiri.

Sed obijcies Secũdo. Obiectũ alicuius potẽtię dat illi vnitatẽ, ſed ens eſt obiectũ intellectus, ergo debet eſſe vnũ vniuoce, quia intellectus potẽtia

vniuoca

vniuoca eſt. Reſpõdetur, quod ſi loquamur de vnitate numerica, hanc ſumit potentia à ſubiecto, in quo eſt, ſi autẽ de ſpecifica, nõ ſumitur ab obiecto materiali, aut ab obiecto, *quod*, quale eſt ens, ſed ab obiecto formali & *quo*, ſeu ab illo formaliter vt intelligibile, quod eſt abſtractio obiecti, aut entis, à phantaſmatibus medio lumine intellectus agẽtis, quæ cum ſit eiuſdem rationis, etiam obiectum vt ſic eſt vnum ſpecie, ſicut & potentia intellectiua hominis: vnde in obiecto, *quod* non requiritur tanta vnitas ſicut in potentia, cum viſus ſit vna potentia ſpecie, color autem, qui eſt eius obiectũ, ſit vnũ genere, quod ſi ſumatur præciſſe vt viſibile, vnum etiam ſpecie eſt, ſicut potentia, ſed de hoc latius in libris de anima.

Sed pro cõpleta huius tractationis de Analogiæ notitia, tantum inquirendum reſtat, quomodo ſubſtantia de ſubſtantia completa & incõpleta dicatur, & qua etiam ratione accidens de nouem prędicamentis accidentium enũcietur. Cui reſpondeo, analogice dici. Vtrumq;: probatur facile, quia omne ens creatũ, vel eſt ſubſtantia vel accidẽs, ergo modi illi per quos diuiditur ſubſtantia, in completã & incompletam ſunt ſubſtantia vel accidens, non accidẽs, quia accidens nequit conſtituere ſubſtantiam, ſunt ergo ſubſtantia, ac per conſequens ſubſtantia iam intrinſice, & quaſi tranſcendẽtaliter includitur in illis, quod vero repugnat vniuoco. Idem argumentum fieri poterit de accidenti, quia cum diuiditur in nouem prædicamenta accidẽtium, modi per quos diuiditur, ſeu differentiæ conſtitutiuę accidentium illorum, vel ſunt ſubſtantia vel accidens, non primum, quia accidens non conſtituitur in eſſe talis per ſubſtantiam, ſeu per differentiam quæ ſit ſubſtãtia, ſunt ergo accidens, ergo diuiſſum quod eſt accidens intrinſice includitur in vltimis differentijs & modis diuidentibus. Sed hinc oritur graue dubiũ, quia licet accidens in tota ſua latitudine non ſit vniuocum, accidens tamen completũ ad nouem prædicamẽtia accidẽtium, vniuocum eſſe poterit, ac per conſequens iam nouẽ prædicamentis aliquid commune vniuocum datur, quod eſt contra communem omnium Philoſophorum ſententiam aſſerentium, prædicamẽta eſſe primo diuerſa, & non tantum nouem, ſed nec duobus adhuc prædicamẽtis poſ-

ſe aliquid dari commune vniuocum.

Quod autem vniuocum ſit, probatur primo. Accidens cõpletum, vt ſic non tranſcendit modos aut differentias conſtitutiuas inferiorum, quæ licet accidentia ſint, non tamen accidentia completa, quod eſt diuerſum, ſed propter hãc rationem accidens in communi erat analogum, hac ergo in accidente completo deficiente ratione, Analogia deficiet, & adueniet vniuocatio. Secũdo à ſimili; quia licet ſubſtantia in cõmuni analogice dicatur de ſubſtantia completa, & incompleta, at ſubſtantia cõpleta vt ſic, vniuoce dicitur de ſubſtantijs completis, cum ſic ſit generaliſsimum ſubſtãtiæ, ac per conſequens genus, ac proinde rurſus vniuocum, ergo ſimiliter licet accidẽs in communi analogum ſit, accidens tamen completum vniuocum erit. Ita tenuit Sotus hoc loco. q. 1. ad. 1. immo & Alij, & certe probabiliter, poſſet enim dici quod commune axioma quod aſſerit, duobus prædicamentis nihil dari cõmune vniuocum, de prædicamento ſubſtantiæ, & de alio quaſi prædicamento accidentis, in quo nouem ipſa includuntur, intelligendum eſt, & eodem modo poteſt explicari, primo diuerſitas prædicamentorum.

Ne tamen à communi ſententia recedamus. Iudico accidens adhuc completum, nõ eſſe commune vniuoce nouẽ accidentibus prædicamentalibus. Ratio eſt, quia *eſſe in alio*, quæ eſt ratio, & natura accidentis, eſt quid imperfectũ & dependens, eſt (inquam) ratio imperfectionis & dependentiæ, & ideo quo magis aliquod accidens imperfectum eſt, eo proprius & perfectius rationẽ illam participat, quia eius perfectio eſt ens imperfectum, & ita nulla ratio in communi accidentis dari poteſt, quæ ſit extra eſſentiã differentiarũ, & graduũ imperfectorum accidentiũ, aut quæ illis minus propriè conueniat: completio ergo aut perfectio accidẽtis ſi quę eſt, hæc ex rationibus particularibus accidentium, quantitatis ſcilicet, qualitatis & aliorũ prouenit, quia ſi ab illis pręſcindatur accidentis ratio, nullã entis cõpleti aut perfecti rationẽ habet, propter quã repugnet imperfectioribus, & illis quę incompleta accidẽtia vocãtur, quia in illis etiã reperitur ratio eſſendi *in alio*. Per quod patet ad primũ argumentũ, quia accidens nõ habet rationẽ aliquam completã, & perfectam ſecun-

cundũ ſe, quæ rationibus particularibus conuenire nõ poſſit, ſicut ſubſtantia, quia cũ eſſentia eius ſit *eſſe per ſe*, quod perfectionem dicit, & indepẽdentiam, poteſt abſtrahi ratio communis, quæ ſolum conueniat perfectioribus ſubſtantijs abſtrahendo à differẽtijs: in accidenti autem ſi aliquod eſt complementum vt dixi ab iſtis ſumitur. Per quod etiam patet ad ſecundum. Et hæc de hac quæſtione.

BREVIS DISPVTATIO.

De his quæ ponuntur aut excluduntur a Prædicamentis.

AD completam Ante prędicamentorum notitiam, ſolũ ſup eſt explicãdũ, quę in prædicamentis conſtituãtur, aut quæ excludantur ab illis. Pro cuius rei explicatione Præmitto primo. Huiuſmodi prædicamenta, quæ ſunt prædicabilium ordinationes, claritatis gratia fuiſſe inuenta, vt facile quiſq; prędicata ſuperiora alicuius rei differentiã & genꝰ eius, perquę res ipſa definiẽda eſt, inueniret. Prępmitto Secundo, tripliciter poſſe aliquid ad prędicamentum pertinere, primo directe ſeu in recta linea & per ſe, ſecundo indirecte, ſeu ad latus: Tertio tãdem reductiue. Reductiue ponũtur ea quæ aliquomodo pertinẽt ad id, quod ponitur per ſe, qua ratione partes integrãtes & entia Phiſice incõpleta reductiue ponũtur in prædicamẽto totius, quod cõmuniter cenſent Doctores, & indicat Porphirius, qui capite de ſpecie, prædicamẽtũ ſubſtãtię ex ſolis prædicatis cõpletis coordinauit. Ratio autẽ huius ſcilicet, quod tantũ ponãtur reductiue, & non per ſe eſt, quia in his prædicamẽtis per ſe ponũtur entia cõpleta, igitur entia incõpleta ꝑ ſe nullo modo poni poſſunt, conſequẽtia probatur, quia ſi ponerẽtur entia incõpleta per ſe, cõpletis & incõpletis daret cõmune aliquid vniuocũ, ſcilicet genus generaliſsimũ, ꝙ reſpectu eorũ quæ ponũtur per ſe, vniuocum eſt, hoc autẽ eſt impoſsibile, ergo &c. Minor probaur, quoniam entia incompleta ſecundum totum ſuum eſſe ordinantur ad conſtitutionẽ cõpletorum,

& pro vt completa ſunt, & ſub quacumq; conſiderentur ratione, imperfectiora multo illis, ergo non poſſunt æque participare diuiſsũ, ac proinde non erit aliquid commune vniuocum, de cuius ratione eſt, quod æque participetur, licet aliquod commune analogum illis & completis dari queat. Reductiue etiam ponũtur paſsiones ſui ſubiecti, quin immo aliquo modo reducuntur accidentia communia, vt ornamentum ſubiecti, teſte Ariſt. 1. Topic. cap. 7.

Ad latus autem ponuntur differentiæ, vt patet in figura prædicamentali ſupra adducta, ideo autem ad latus ponũtur, quia ſunt conſtitutiuæ illorum quæ per ſe ponuntur, hæc autem poſitio ad latus etiam appellatur directa ab aliquibus recentioribus, licet non in recta linea prædicamẽtali, quia vt bene Ammonius prædicamenta non tantũ habent longitudinem, quam dicit recta linea, ſed etiam latitudinem, & ita quæ in eis ſunt ad latus, licet nõ ponantur in recta linea longa, (vt ita dicã) ponuntur tamen directe in latitudine, ſicut recte diceretur in arbore, id quod illius quaſi latitudinem conſtituit, per ſe in arbore contineri.

Sed quare differentia non ponatur per ſe & directe in recta linea, diuerſa ſolet ab aliquibus reddi ratio. Sunt enim qui volunt excludi à recta linea prædicamentali, quia differentiæ partes ſunt ſpecierũ, partes autem non ponuntur in recta linea, ſed totum. Et ſi obijcias, genus etiam eſſe ſpeciei partem, & tamen in recta linea collocari. Reſpondetur, genus dupliciter poſſe ſumi, vt totum, & vt pars, & ratione totius poni directe, vt pars autẽ reductiue. Sed contra, quia hæc vtraq; ratio etiam debet diſtingui in differentia, cum vniuerſalis ſit, vnde de illa etiam idem dici poſſet. Sed certe poſſet defendi hæc ſolutio, dicendo, quod differẽtiæ ſicut non ſunt vniuerſales reſpectu ſpecierum, (vt dixi,) ita non ſunt ſuperiores reſpectu earũ, ac proinde nec reſpectu earũ poſſunt habere rationem totius, præcipue autem agitur hic de illis in ordine ad ſpecies, de quibus propriè ſcientia eſt.

Alij aſſerunt & cõmuniter, excludendas eſſe, quia entia incompleta ſunt. Quod ſi obijcias, videri etiam rationem incompletam generis, cum Metaphyſicè pars ſit, ſicut differẽtia, Phyſice autem differentia dicat totam entitatem phyſicam eius de quo dicitur, (rationale

Digitized by Google

tionale enim nõ diſtinguitur realiter ab homine.) Reſpondetur, genus eſſe magis completum quam differẽtiã, quia licet ſit pars ſpeciei ſicut differentia, in ſe tamen eſt totum actuale, compoſitum ex alio genere & differentia.

Sed contra argumentor primo, quoniam hoc non eſt cõmune omnibus generibus, cũ genus generaliſsimum ſimplex ſit & incompoſitum. Secundo, quoniam genus propriè ponitur in prædicamento, ſecundum id quod habet in ordine ad ſpeciem vt ſuperius, ac per conſequens vt eſt totum potentiale, non vero vt eſt totum actuale, qua ratione ex genere & differentia componitur, vt patet etiam in genere generaliſsimo. Sed ſimiliter hoc ipſum defẽdi poſſet, dicendo, nomine entis incompleti intelligi id, quod eſt conſtitutiuum eius, quod directe ponitur in recta linea prædicamentali, reſpectu cuius non poteſt eſſe ſuperius, qua ratione differentia, ens incompletum eſt, vt patet, non vero genus.

Nihilominus tamen probabilius dici poteſt, excludi à recta linea prædicamentali primo, quoniam ea quę directe in prædicamento ponuntur debent eſſe ſub vno, & eodem genere ſupremo, & illi directe ſubijci in prædicamẽto eſſentiali, generibus autẽ, ſpeciebus, & differentijs conſtitutiuis, aut diuiſiuis nullum poteſt eſſe ſupremum genus, niſi analogum aut tranſcẽdens, vt capite de differentia, & hic ſæpe repetitum eſt: præcipue quia differentiæ vnius prędicamenti primo diuerſæ ſunt, & ſe totis (vt aiunt) differentes. Secundo. Quoniã ea quę in recta linea prædicamẽtali collocantur, debent inter ſe mutuo ordinari & diſponi, ſecundum rationem ſuperioris & inferioris ſibi eſſentialiter ſubordinatam, ſed differẽtiæ vnius prædicamenti non poſſunt ſic ordinari, cum ſuperiores de inferiorum eſſentia non ſint, vt eodem capite de differentia dictum eſt, ergo, &c.

Ex dictis fere iam colliges, conditiones quæ requirũtur, vt aliqua per ſe, & directe in prædicamento collocentur. Primo enim, iam diximus generaliſsimum debere conuenire vniuoce his, quæ in recta prædicamentali linea collocantur. Secundo etiam diximus, debere eſſe ens completum, & totale per modũ per ſe ſtantis ſignificans, quia debet eſſe genus vel ſpecies. Tertio, debet eſſe ens incomplexum,

xium, tum quia complexũ non eſt genus, aut ſpecies, tũ etiã quia entia complexa vt ſic nõ multũ deſeruiunt claritati. 4. denique, debet eſſe ens reale.

Sed magna in præſenti Dubitatio eſt. An ea quæ per ſe ponuntur in prædicamento, cócreta vel abſtracta debeãt eſſe. Et de prædicamento ſubſtantiæ, conueniunt omnes, in illo concreta per ſe poni, quia ſunt entia realia cópleta, quæ ſuſcipere poſſunt denominationem generis, aut ſpeciei, abſtracta autẽ ſolum reductiue, quia naturis abſtractis deficit ſuum complementũ ſubſtantiale, ſcilicet ſuppoſitum: tantum ergo manet Dubium de concretis accidentium, an in recta prędicamentali linea collocari debeant. Pro cuius dubij reſolutione notandum eſt. Abſtractũ accidẽtis quod ſemper eſt abſolutum, vt opponitur connotatiuo, & concretum illius quod ſemper eſt connotatiuum, non differre propriè in ſignificando, ſed in modo ſignificandi, abſtractũ enim ad modũ ſubſtantiæ ſignificat, concretũ ad modum accidentis inquale.

Dico ergo brebiter. Veriſimilius eſſe multo, quod in prędicamentis accidentium collocentur abſtracta, ſeu quod recta linea ex illis vt ſic componatur. Ratio eſſe poteſt prima, quia ratio generis, aut ſpeciei ex quibus recta linea ordinatur, conuenit abſtractis, quæ ſignificãt formas per modum ſubſtantię, & per ſe ſtantis, quod requiritur ad prædicationem in quid: albo autẽ, V. g. licet poſsit conuenire ratio quinti prędicabilis reſpectu ſubiectorũ (vt vidimus) non tamen ratio ſpeciei aut generis, niſi pro ſignificato formali, (vt ſcilicet dicit albedinem,) vſurpetur. Secunda (quia vt dixi) ordo iſte prædicabilium claritatis gratia inuentus eſt, at modus ſignificandi iſtorum connotatiuorum, obſcurus certe & difficilis eſt, (vt vidimus) non ergo ad ordinationẽ, & prędicamentalem ſeriẽ accomodatus. Tertia & explico hoc, quia ſi de totali ſignificato loquamur, tã de eo quod connotat, quã de eo quod ſignificat, ſic pertinet ad duo prædicamenta; ſi de formali tantum ſignificato, vt ſic eſt forma eadẽ, quam ſignificat abſtractũ, ac proinde vt ſic præciſſe per ſe ponetur in prædicamento accidẽtis; ſi vero de ipſo quod cõnotat ſubiectũ, in prædicamẽto ſubſtantiæ collocabitur: quia ergo ad prædicationem non tantũ attẽditur res ſignificata, ſed ſignificandi modus, quia ſemper

ſignificat

ſignificat per modũ alteri adiacẽtis, quod nõ poteſt generi aut ſpeciei cõuenire, ideo nõ poteſt in recta linea collocari.

Sed contra obijcies. 1. Ariſt. c. 4. Ante prędicamẽtorũ enumerare decẽ Prædicamẽta in concreto. R. ꝙ quãuis Argiropilus in cõcreto trãſtulit, Boecius tamẽ tranſtulit in abſtracto. Sed cõtra, quia. 1. Top. c. 7. tam ſecũdũ Boecij quã Argiropoli tranſlationẽ decẽ rerũ genera in cõcreto enumerauit. R. ibi nõ eſſe Ariſt. in rigore loquutũ, ſicut in pręſenti loquutus eſt, hic enim eſt proprius huiꝰ tractationis locus, vnde capite de quãtitate ponit lineã, & ſuperficiem, corpus, & locũ tãquã ſpecies quãtitatis, & in capite de qualitate ſcientiam & ęgritudinem, tanquã qualitatis ſpecies, quę omnia abſtracta ſunt.

Sed cõtra ſecũdo, accidẽtia ponũtur in prędicamẽto ſecũdum modũ quo prędicãtur de Prima ſubſtãtia, ſed in abſtracto nõ prędicãtur de illa, neq; enim dicit Petrus eſt albedo, ergo. R. quod quãuis Prędicamentorũ ſufficientia per hoc quod eſt prędicari de 1. ſubſtãtia colligatur, tamẽ ipſa nõ cõſtituunt prędicamẽta, niſi quatenus de ſuis inferioribus prædicantur, quod habent accidentia in abſtracto.

Sed 3. obijcies. Accidẽs in cõcreto magis ſignificat ſuã eſſẽtiã, (quia ſignificat, vt inhęret) quã in abſtracto, ergo ſic debet poni in Prędicamento, in quo res ponũtur ſecundũ ſuã eſſentiã. R. 1. quod vtroq; modo ſignificat ſecundũ ſuã eſſentiã, quia etiã includit in abſtracto ſuã aptitudinalẽ inhęrẽtiã, quę eſt eius eſſentia, licet nõ includat actualẽ, quę nõ eſt eſſentia eius, R. 2. magis ſignificat ſecundũ ſuã eſſentiã, quã habet reſpectu ſubiectorũ, de quibus dicitur accidẽtaliter, concedo: magis ſecundũ ſuam eſſentiã quã habet vt ſic reſpectu inferiorũ, de quibus dicit eſſentialiter vt gènus, aut ſpecies, & vt ponitur in prędicamento, nego.

Dubitabis, vtrũ indiuidua ponãtur in prędicamento. R. nõ poni, quia ſunt ſingularia, & nõ ſunt prędicabilia, Prędicamentũ autẽ eſt prędicabiliũ ordinatio: vel ponũtur vt Primũ ſubiectũ omniũ aliorũ prędicabilium, ſeu vt radices arboris prędicamentalis.

Hic tãdẽ queri ſolet, de ſufficientia decẽ prędicamẽtorũ, ſed de hoc cõmodius multo, explicata cuiuſuis Prędicamẽti natura, vt etiã in prędicabilibus explicuimus, differetur. Cætera capita vſq; ad 5. nulla indigẽt explicatione. Nos autẽ ad ea quæ difficiliora ſunt explicanda iam accedamus.

CAPVT

SVMMA TEXTVS.

PRima ſubſtantia, *quæ propri-prin ipaliter, & maxime dicitur, eſt quæ neque eſt in ſubiectò, nec de ſubiecto dicitur.* Aliæ ſunt ſecundæ ſubſtātiæ, V.g. ſpecies & genera, *ſub quibus primæ ſubſtantiæ continentur*: de his ergo primis ſubſtantijs, ſecundæ tanquam de ſubiecto dicũtur, quia de illis nomine & ratione dicuntur, ſunt tamen in eis tāquam in ſubiecto: vnde colligitur, deſtructis primis ſubſtantijs nihil aliorum remanebit. Subdit, ſubſtātias primas eſſe magis ſubſtantias, quia ſubijciuntur non ſolum accidentibus ſecundum inhæſionem, ſed etiam omnibus alijs ſecundis ſubſtantijs in prædicatione, omnia enim de illis prædicantur, illæ autem habent maxime rationē ſubiecti, ac proinde ſubſtantiæ, ſeu ſubſtantijs alijs: ſpecies autem eſſe magis ſubſtātias quam genera, quia propinquiores ſunt primis: ſpecierum autem inter ſe nullam magis ſubſtantiam quam aliam, ſicut etiam nec indiuidua inter ſe.

Tandem, ſex ſubſtantię proprietates enumerat. Prima eſt, quod nō ſit in ſubiecto per veram inhæſionē, ſicut accidētia. Secunda, ſecundæ ſubſtantiæ & differentia vniuoce dicũtur de primis ſubſtantijs, nomine ſcilicet & ratione, quod propriè non competit primę. Tertia, primæ ſubſtantiæ ſignificant hoc aliquid, quia ſignificant naturam ſingularē, quod denotat ly, *hoc*. Secundæ autem ſubſtantiæ ſignificant quale quid, quia ſignificant gradus ſubſtantiales eſſentiales primis, proinde habent rationē qualitatis & formæ, reſpectu eorum quibus ſunt eſſentiales. Quarta, ſubſtātiæ nihil eſt contrarium, quod etiam inquit conuenire quantitati. Quinta, ſubſtantiā non poteſt ſuſcipere magis, aut minus. Sexta denique, quod ſit contrariorum ſuſceptiua; de quibus omnibus in diſcurſu diſputationis (Deo dante) commodius quam in Annotationibus, quæ hic fieri ſolent, differemus.

DISPV-

DISPVTATIO. XII.

De hoc primo Prædicamento ſubſtantiæ.

DIuerſimode Subſtantię nomen accipitur, & alijs relictis acceptionibus, primo ſumi ſolet pro natura rei, ſiue illa accidens ſit, ſiue ſubſtantia, in qua ſignificatione ſumitur in definitione vniuocorum & analogorum, cum dicitur, *ratio vero ſubſtantiæ eſt eadem vel diuerſa.* Secundo ſumitur pro ſubſtantia prout diſtinguitur contra accidens, & vt ſic dicit rem per ſe exiſtentem, cui repugnat inhærere, aut eſſe (propriè loquendo) *in alijs* ſicut accidens, res autē per ſe exiſtens, ſubſtantia dicta eſt à ſubſiſtendo, quod proprium eſt tam ſubſtantię creatæ, quam increatæ, poteſt enim dici ſubſtantia à ſubſtando accidentibus, quæ eſt proprietas ſubſtantiæ finitæ & cōpletę, quæ accidentibus ſubſtat: & de hac vltima propriè in præſenti ſermo eſt, quia ſubſtantia alijs duobus modis ſumpta, non poteſt prædicamentum iſtud conſtituere, cū primo modo compræhendat etiam accidentia, ſecundo autem modo, tam ſubſtantiam finitam quam infinitam, quibus nihil commune vniuocū dari poteſt. Nihilominus tamen pro maiori explicatione eorum, quæ in ſequentibus dicenda ſunt, oportet agere in hac 1. quæſt. de ſubſtantia his duobus vltimis modis ſumpta, quæ ſcilicet ſit ratio conſtitutiua eius.

Sit ergo.

(?)

QVAES-

QVÆSTIO. I.

Quæ ſit ratio conſtitutiua ſubſtãtiæ in communi, & illius etiam quæ hoc conſtituit Prædicamentum.

SVppoſitis ſubſtantię acceptionibus, in capite huius diſputationis adductis, circa primũ quod inquirit quæſtio, non eſt vnanimis omniũ authorum conſenſus. Porphiriꝰ enim, Interrogationibus in caput primũ de ſubſtantia, & Deuxippus lib. 2. quæſtionũ cap. 17. putant conſiſtere rationem ſubſtantiæ ſic in communi, in hoc quod eſt *non eſſe in alio*. Poteſt probari hæc ſententia, quia ſubſtãtia eſſentialiter non eſt accidens, ergo eſſentialiter *non eſt in alio*, patet conſequentia, quia accidens eſſentialiter eſt *in alio*, ergo ſi ſubſtantia eſſentialiter nõ eſt accidens, eſſentialiter *non erit in alio*, ac proinde hæc erit eius eſſentia.

Sed hæc ſententia falſa eſt, eſſentia enim alicuius entis adeo præcipue poſitiui, ex ſe & principalis; non poteſt eſſe non ens, ſed *non eſſe in alio*, negatio eſt, ergo hæc negatio nõ eſt de eſſentia ſubſtantiæ. Reſpondebis *eſſe in alio* imperfectionem dicit, & dependentiã, ergo *non eſſe in alio*, erit nõ imperfectio & nõ depẽdẽtia, ergo erit perfectio, & indepẽtia, poterit ergo conſtituere ſubſtantiam. Contra argumentor, quia *eſſe in alio* aliquid dicit poſitiuum & reale cum dependentia aliqua (eſt enim ratio poſitiue conſtitutiua accidentis) ergo *non eſſe in alio*, negatio eſt huius poſitiui & realis, ac proinde non ens: Si autem per ly, *non eſſe in alio*, aliquam poſitiuam entitatem cũ independentia, & ſine hac imperfectione ad quam illa negatio conſequitur, intelligatur, hæc eſt ratio conſtitutiua ſubſtantię, quid autem ſit hoc poſitiuum ad quod prædicta negatio *eſſendi in alio* conſequitur, id inquirimus: & per hoc manet ſolutum argumentum factum, quia ſi nomine, *non eſſendi in alio*, intelligatur negatio, hoc nõ poteſt eſſe de eſſentia entis poſitiui, niſi conſequenter, quia conſequitur ad eſſentiam illius, ſi vero aliquid poſitiuum intelligas, hoc fatemur eſſe de eſſentia ſubſtantiæ, inquirimus autem quid ſit.

Sed

Sed ſecundo. Contra hanc ſententiā argumentor, quia in vna quaque re illud eſt pro ratione & eſſentia aſsignandum, quod primo illi competit, cū nihil prius in re ſit, quam eius eſſentia, ſed *non eſſe in alio* non competit primo ſubſtantiæ, quia entitati poſitiuę primum competit poſitiue eſſe, & quia quādo aliquid de aliquo negatur, hoc eſt propter entitatē poſitiuā quā habet, vel incapacem, vel oppoſitam illi negationi.

Eſt ergo Secundus dicendi modus Seuerini, Boecij & multorum aliorum ex Latinis, exiſtimantium rationem eius eſſe ſubijci accidentibus. Probatur primo ab Ethimologia, quia ſubſtantia à ſubſtando dicitur, id eſt, ab ſtādo ſub accidentibus, erit ergo eius eſſentia ſubijci & ſubſtare illis. Secundo. Ariſt. primas ſubſtantias appellauit magis ſubſtantias, quia magis ſubſtant, ſubijciuntur enim non ſolum accidentibus ſecundum inhęſionem, ſed etiam ſecūdis ſubſtantijs in prædicatione, ſi ergo magis ſubſtantię ſunt, quia ſubſtant magis, abſolute erūt ſubſtantiæ, quia ſubſtant.

Sed neq; hæc ſententia placet. Primo, quia hic loquimur de ſubſtantia in communi, ſubſtantiæ autem in communi non conuenit ſubſtare accidentibus, cum Deus ſubſtantia ſit, & accidentibus ſubſtare non poſsit. Secundo, quod ſubſtantiæ illæ quibus competit ſubſtare accidentibus, prius competit, *abſolute, in ſe, & ad ſe*, habere eſſe per ſe, & ratione perſeitatis ſuſtentare poteſt debilē entitatem accidentis, quæ ab illa poſtulat ſuſtentari. Vnde ratio ſubſtandi poſterior eſt ratione conſtitutiua ſubſtantiæ, & veluti illius proprietas. Tertio, quia ſi ſubſtantia cōſtitueretur per hoc quod eſt ſubſtare accidentibus formaliter, deberet ſubſtantia neceſſario per ordinem ad accidentia definiri, quod eſt falſum, potius enim accidentia per ordinem ad illam definienda ſunt, & ideo Ariſtot. illam aſſeruit eſſe definitionem priorem. Adde, ſubſtantiam eſſe præcipuum analogatum Analogiæ dependentiæ, ac proinde accidēs quod eſt minus præcipuum, definiendum eſſe per ſubſtantiā, & ab illa depēdere, non vero ſubſtantiam ab accidenti, ac proinde non conſtitui in ſuo eſſentiali eſſe per dependentiam, aut ordinationem ad accidēs, ſed per rationem eſſendi per ſe, vt iam explico. Argumenta autē huius ſententiæ nihil probant,

Digitized by Google

bant, æthimologia enim non ſemper attendenda eſt, vt recte docuit S. Tho. 1. contra gentes cap. 25. & conſtat in communi exemplo lapidis a læſione pedis ſic dicti, non tamen illam ſignificantis. Addo, ſubſtantiam proprius dici a ſubſiſtendo, ſeu exiſtẽdo per ſe, quã a ſubſtando, hoc enim quod eſt magis ſubſtare, eſt ſignum magis per ſe exiſtendi, illud enim quod per ſe magis exiſtit, magis ſubſtat, vt patet in Petro, qui & magis per ſe exiſtit, & magis ſubeſt. Vnde argumentum Ariſtotelis eſt a poſteriori, colligens quaſi per effectum, & ſignum, cauſam & rẽ ſignatam, per quod manet ſolutum ſecundum etiam argumentum. Addo, pro ſolutione ampliori & improbatione huius ſententiæ, quod ratio ſubſtantiæ in communi, vt nunc loquimur, conuenit proprie ſubſtantijs partialibus, accidentia autem ſubiectantur in toto, vt late dicendum eſt, ergo ratio ſubſtantiæ non eſt ſubſtare accidentibus.

Pro vera ergo deciſsione Notandum eſt, id quod etiam ſuperiꝰ tetigimꝰ, *eſſe per ſe*, dupliciter ſumi, vel pro eo quod eſt per ſe exiſtere, ita vt exiſtentia ſit de eſſentia huiuſmodi eſſendi per ſe. Secundo modo ſumitur *per ſe*, prout eſt quiddam modus abſolutus & poſitiuus, ad quem conſequitur negatio *eſſendi in alio*. Quidam explicant per aptitudinem ad exiſtendum, & hunc aſſerunt eſſe modum conſtitutiuum ſubſtantiæ. Sed non recte explicant ſubſtantiæ conſtitutiuum. Primo, quia conſtitutiuum ſubſtantiæ ſic in communi debet conuenire Deo, de Deo autem non proprie prædicatur aptitudo ad exiſtendum, ſicut non proprie prędicatur aptitudo ad eſſendũ, Deus autem ſicut non poteſt non eſſe, ſic etiam non poteſt non exiſtere, eſt enim exiſtentia eius eſſe. Secũdo, quia ſubſtantia in communi conuenit etiam exiſtentiæ ſubſtantiali, exiſtentia autem non eſt apta ad exiſtendum: ſimiliter ſubſtantiæ partiales vt materia nõ poſſunt exiſtere, ſed ſolum coexiſtere ad exiſtẽtiam totius, vt dicemus 1. lib. Phiſicorum, & tamen ſubſtantiæ ſunt, ergo ratio conſtitutiua ſubſtantiæ non eſt aptitudo ad exiſtendum. Eſt ergo ratio conſtitutiua ſubſtantiæ ſic in communi ratio quædam Analoga, ſcilicet *eſſe per ſe*, & ſupra ens in communi addit modum quendam poſitiuum abſtrahendo a completo, & in completo, ad

Digitized by Google

quem conſequitur illa negatio *non eſſendi in alio*. Probatur primo, quia hæc ratio eſſendi per ſe ſic in communi, poteſt conuenire etiam ſubſtantiæ diuinæ, ſubſtantijs etiam partialibus & in completis, exiſtentię ſimiliter & completis eſſentijs ſubſtantiarum ſaltim Analogice, quia ſubſtantia in tota ſua latitudine his omnibus Analoga eſt. Alij autem modi declarandi, *eſſe per ſe*, vel ſolum competit Deo, cui tantum cõuenit eſſentialiter exiſtere, id deſt quod exiſtentia ſit de eius eſſentia, vel ſolum competit ſubſtantijs creatis completis, quia hæc ſolum habent aptitudinem ad exiſtẽdum, ſi proprie loquendum eſt. Secundo probatur, quia *eſſe per ſe*, & *in alio* ſunt duo generales modi contrahentes ens in tota ſua latitudine, quã in ſubſtantiam & accidẽs diuiditur, ergo ſubſtantia & accidens per iſtos duos modos conſtituuntur, at *eſſe in alio* eſt modus conſtitutiuus accidentis, ergo *eſſe per ſe* erit ratio conſtitutiua ſubſtantiæ, eo modo ſumptũ, quo omnibus alijs præter accidentia conuenire queat, vt a nobis explicatum eſt. Tertio probatur a ſufficienti enumeratione, quia eius ratio vel eſt *eſſe per ſe*, vel *non eſſe in alio*, vel *ſubſtare accidentibus*, ſed probatum eſt has duas rationes poſteriores non eſſe conſtitutiuas ſubſtantiæ, erit ergo illa prior.

Ex quo infero, improprie loqui recentiores, qui aſſerunt eſſentiam ſubſtantiæ non eſſe actualem ſubſiſtentiam, ſed aptitudinalem; licet enim verum ſit de ratione conſtitutiua ſubſtantiæ in communi non eſſe ſubſiſtentiam actualem, quia illam in ratione illa communiſsima non dicit, & quia poteſt dari ſubſtantia actualis ſine propria ſubſiſtentia, immo ſubſtantię partiales propriam ſubſiſtentiam non poſſunt habere, nihilominus eadem ratione dici poſſet de eſſentia ſubſtantiæ, ſic in communi, nõ eſſe ſubſiſtentiam aptitudinalem, adhuc propter eaſdem rationes, quia aptitudinalẽ ſubſiſtentiam licet in ratione communiſsima non excludat, non tamen illam dicit, vt ſatis oſtendi; Deus enim non dicitur habere ſubſiſtẽtiã aptitudinalẽ, ſicut non dicitur habere eſſentiã aptitudinalẽ, ſed eſſentiã & ſubſiſtẽtiã cũ omni actualitate ſemper & naturaliter habet: exiſtẽtia ſimiliter & incõpletę ſubſtãtiæ nõ habẽt aptitudinẽ ad exiſtẽdũ per ſe (nec modo loquor de anima rationali

nali præcipue ſeparata,) ad hoc enim quod argumentum concludat parum attinet, an aliqua partialis ſubſtantia poſſit ſubſiſtere, ſufficit enim alicui partiali ſubſtantiæ poſſe conuenire rationem ſubſtantiæ ſine aptitudine ad exiſtendum per ſe, vt hæc aptitudo non ſit eſſentialis ratio ſubſtātiæ in communi.

Sed contra obijcies ly *per ſe*, tantum eſt conſtitutiuum ſubſtantiæ ratione illius quod addit ſupra ens, ſed ſupra ens nihil addit poſitiuum, ergo cōſtitutiuum ſubſtantiæ non eſt aliquid poſitiuum, ſed negatio. Minorem probo, quia ſi *per ſe* adderet poſitiuum aliquid enti, vel illud eſſet reale, vel rationis, non reale quia in quolibet reali clauditur ens, ergo ſupra illud nihil reale addit ly *per ſe*: neque rationis vt per ſe patet, loquimur enim hic de prædicamẽtis realibus quæ proinde ratione reali, & non rationis conſtitui debent. Secundo probatur eadem minor, quia ſi ly *per ſe* eſt ratio poſitiua, ſequitur quod in definitione ſubſtantiæ committatur nugatio: patet, quia ens ſemel ponitur in eius definitione cum dicitur *ſubſtantia eſt ens* & iterum cum dicimus *per ſe* quia iſte eſt modus poſitiuus includens ens, ergo. Reſpondetur facile, quod licet ens quia eſt tranſcendens, omnia contineat: nihilominus in ratione entis præciſſe, tantum ſignificat communiſsimam eſſendi rationem, quæ poteſt abſtrahi a ſubſtantia & accidenti modo ſupra explicato. Dicuntur tamen *per ſe*, & *in alio* aliquid addere poſitiuũ, quia conceptus expreſſus per ſe eſt proprius gradus ſubſtantiæ, quem non exprimebat ens, & hoc ſufficit vt hi modi & poſitiui ſint, & poſitiua entia conſtituant, quia de incluſione trāſcendentali a qua nulla differentia, aut modus fugere poteſt: parum, aut nihil ad rerum conſtitutionem attendendum eſt. Ex quo fit, non commiti nugationem, etiam ſi præter ens in definitione ponatur *per ſe* quia exprimit proprium gradum ſubſtantiæ, quem tamen ens vtſic præciſſe, non exprimebat, hoc autem haud dubie ſufficit ad vitandam nugationem, hic enim vt patet, nulla eſt inutilis repetitio; alias in omnibus deffinitionibus tot committerentur nugationes, quot ſunt verba, quia res ſignificatas per illa tranſcendit ens. Hæc de primo quod inquirebat quæſtio.

Circa ſecundum, quæ ſcilicet ſit ratio conſtitutiua generaliſsimi huius Prædicaméti, poteſt facile deciſsio colligi ex dictis, brebi illa diſputatione Antepraedicamétorum, de his quæ ponuntur aut excluduntur a Prædicamentis. Dico ergo, generaliſsimum huius prædicamenti eſſe ſubſtantiam completam, finitam, proprie per ſe exiſtentem, non ſolum ex parte rei ſignificatæ, ſed etiam ſecundum modum ſignificandi, (ideſt) quod non ſignificetur per modum alteri adiacentis. Probatur, quia nulla alia acceptio ſubſtantiæ poteſt conſtituere generaliſsimum Prædicamenti: ſi enim ſubſtantiam ſumas pro definitione, & eſſentia cuiuſcumque rei, qua ratione dicimus *quorum nomen eſt commune ratio vero ſubſtantiæ, &c.* non poteſt conſtituere peculiare Prædicamentum, quia vt ſic tam dicitur de ſubſtantia, quam de quantitate, qualitate, & alijs: ſi vero ſumatur, prout omnino diſtinguitur contra accidens, cuius conſtitutiuum nunc explicuimus, non poteſt eſſe generaliſsimum, quia ſubſtantia in tota hac latitudine prædicatur de omnibus partibus ſubſtantiæ, de modis & differentijs, quæ in recta linea non ponuntur, neque ſpecies, aut genera eſſe poſſunt, ac proinde ratio communis illis non poteſt eſſe genus generaliſsimum. Secundo, quia ſubſtantia in hac acceptione tranſcédens eſt, ergo non poteſt eſſe vniuoca, ſed Analoga, ac proinde non poteſt eſſe genus. Nec poteſt eſſe generaliſsimum ſubſtantia ſumpta formaliter pro ratione ſubſtandi accidentibus, quia vel ratio ſubſtandi ſumitur ſecunde intentionaliter & ſic non poteſt conſtituere Prædicamentum ſubſtantiæ, illius enim ratio debet eſſe realis, vel ſumitur prime intentionaliter, & ſic vel ſtat pro ſubſtantia quæ realiter a parte rei ſubſtat accidentibus, & hæc tantum eſt prima ſubſtantia, (cum a parte rei non dentur vniuerſalia) quæ non poteſt eſſe genus generaliſsimú, vel ſignificat ſubſtantiá cópletá, quæ radix eſt paſsionum, & a qua oritur tanquam proprietas, poſſe accidétibus ſubſtare, qua ratione poſſemus dicere, ſubſtare accidentibus ſumi pro radice, & hoc modo fatemur ſubſtátiá cóple tá eſſe generaliſsimú huius Prędicaméti ſicut riſibile pro radice eſt idé ꝙd rationale, túc auté cóſtitutiuú nó erit ratio ſubſtádi accidétibꝰ. Secúdo, hoc explicatur, quia poſſe illud ſuſtétare, ſupponit ré illam, quæ ſuſ-

ſubſtentat in ſe, iam completam & perfectam, vim eſſendi habere, ſupponit (inquã) rem illam iã eſſe per ſe, vt poſsint alia illi inhærere, illa ergo ratio eſſendi perſe quæ ſupponitur, illa eſt conſtitutiua huius Prędicamenti. Addo, animam rationalem poſſe ſubſtare accidentibus, immo de facto plura accidentia ſpiritualia illi inſunt, vt intellectus, voluntas, & habitus gratiæ, & tamen rationalis anima non poteſt eſſe genus, aut ſpecies, quia eſt ens incompletum, & partiale, ergo conſtitutiuum eſt ſubſtantia completa (quam diximus.) Debet autẽ proprie per ſe exiſtere etiam in modo ſignificandi, vt excludantur differentiæ quæ licet in re ſignificata ſubſtantiæ ſint, alteri parti ſubſtantiali Metaphiſicæ adiacent, & ſemper per modum adiacentis ſignificantur, ratione cuius, cum ſpecies eſſe non poſsint, neq; in recta linea poterunt collocari, ſed tantum ad latus, genus autẽ licet pars Metaphiſica ſit, eſt tamen in ſe (ſi de genere intermedio loquamur) ſpecies ſubalterna, ac proinde in genere Metaphiſico completum quid. Deinde ſemper ſignificatur per modũ per ſe, nec prædicatur in quale, ſed in quid & per modum totius de ſpeciebus, qua ratione poteſt optime pertinere ad rectam lineam. Solum deſideratur explicanda particula illa *finita*, per quam a Prædicamento excluditur ſubſtantia infinita, quam propter ſuam excedentem perfectionem, anguſta Prædicamentorum domus capere nequit. Hoc autẽ ſequenti quæſtione explicabitur.

QVÆSTIO II.

Utrum Deus optimus maximus in hac Cathegoria ſubſtantiæ contineatur.

NOminales exiſtimarunt, Deum in Prædicamento ſubſtantiæ collocari: ita Gregorius & Gabriel in 1. diſt.8.q.3. Holcot. q. 6. Ioannes Vaccon diſt.9. q.1. & videtur Ariſt. id ipſum exiſtimaſſe.4. Topicor. cap.2. loco.17.

Digitized by Google

vbi ait, Deum eſſe in genere animalis, & ſeparari ab homine per propriam differẽtiam, nẽpe immortale, ſic enim ait, *ſi differentiam vt genus aſsignauit* (ideſt non recte differentia aſsignatur pro genere) exẽplificatq; vt ſit immortale genus Dei, nam differentia eſt animalis immortale. Poteſt probari primo ex D. Auguſtin. 5. de Trinitate cap. 8. & 10. vbi dicit, quædam Prædicamenta dici proprie de Deo, ſubſtantiam ſcilicet, relationem, & actionem, alia improprie & Metaphorice, vt Situs, habere, &c & D. Damaſcen. in Elementario cap. 9. vbi dicit: *Incorporeum eſſe differentiam ſubſtantiæ, & ſub ſe continere Deum, & Angelos*, Deus ergo & Angeli in prædicamẽto ſubſtantiæ collocantur. Sed ratione probatur: ratio infinitatis addita ſubſtantiæ, non extrahit ſubſtantiam a Prædicamento, ergo etiam ſi Deus ſubſtantia infinita ſit, poterit in Prædicamento ſubſtantiæ collocari. Antecedens probo, quia infinitas addita quantitati non extrahit quantitatem a Prædicamento (fatentur enim communiter Philoſophi, quod ſi daretur linea infinita, vere pertineret ad prædicamentum quantitatis) ergo etiam ſi Deus ſubſtantia infinita ſit, ad Prædicamentum ſubſtantiæ pertinere poteſt. Secundo, menſura & menſuratum ſunt ſub eodem genere, cum ſint relata, ſed Deus eſt menſura perfectiſsima inter ſubſtantias, eſt ergo in eodem genere & Prædicamento cum illis. Tertio, hæc prædicatio Deus eſt ſubſtantia, eſt quidditatiua (de eſſentia enim Dei eſt, eſſe ſubſtantiam) ergo vel generis, vel ſpeciei, quæ ſunt prædicabilia inquid, ergo ſubſtantia prædicatur de Deo vt genus, vel ſpecies, ac per conſequens ad Prædicamentum ſubſtantiæ pertinebit. Quarto, Chriſtus eſt ſubſtantia ſimpliciter infinita, & tamen ponitur in Prædicamento ſubſtantiæ, ergo infinitas non obſtat huiuſmodi poſitioni. Maior patet, quia Chriſtus Deus eſt. Minor probatur, quia eſt vere homo vniuoce nobiſcum, ergo vere & proprie in ſpecie humana, ſed quod ſub genere & ſpecie eſt, in Prædicamento collocatur, quod eſt prædicabilium, ideſt generum coordinatio, infinitas ergo non obſtat, vt ſubſtantia in Prædicamento collocetur.

Oppoſita tamen ſententia omnino vera eſt, & ab omnibus Philoſophis & Theologis, communi calculo comprobata. Ex Philoſophis eam do-

Digitized by Google

docet Mercurius Triſmegiſt. in Epimandro cap. 1. Aberro. diſputat. 7. contra Algacelem capit. vltimo: Auicena 8. Meth. cap. 4. & cum his omnes interpretes Ariſtotelis. Ex Scholaſticis omnes, præter Nominales, cum Magiſtro in 1. diſt. 8. S. Tho. 1. lib. contra gentes cap. 24. & 25. & 1. p. q. 3. ar. 5. In ſanctis Patribus paſsim plura reperies. D. Dionifius Areopagita de Diuinis nominibus cap. 5. *Deus* (inquit) *non quoquo pacto eſt ens, ſed incircunſcripte totum eſſe pariter ambit & præambit; ſuper apprabendens* & poſt pauca, *neque in aliquo ſubſiſtentium eſt* (intellige quaſi circuncriſpte, & comprehenſiue incluſum) *neque aliquid eſt ſubſiſtentium*, ideſt ſubſiſtentium modo creato, vnde ibidem docet *Deum eſſe ſupra omnia entium genera*, & ſupra ſubſtantiam, & ideo illum ſuper ſubſtantialem appellat. D. Damaſcenus, lib. 1. de fide Orthodoxa, cap. 8. *diuinam* docet *eſſentiam omnibus eſſe ſupereminentem ſubſtantijs, & ab omni ſubſtantia exceptam.* Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 5. dicit, *Deum abuſiue vocari ſubſtantiam*, quod de prædicamentali intelligendum eſt, & ita idem Auguſtinus in libro de cognitione veræ vitæ capit. 3. & lib. 4. confeſſ. capit. 18. Luget ſe aliquando in prædicamentis rerum creatarum, quæſiuiſſe creatorem. Boecius lib. de Trinitate circa medium de diuina ſubſtantia ſic loquitur: *Nam ſubſtantia in illo non eſt vere ſubſtantia, ſed vltra ſubſtantiam, vnde cum dicimus Deus, ſubſtantiam quidem ſignificare videmur, ſed eam quæ ſit vltra ſubſtantias.* Tandem pro hac ſententia facit id quod communiter decent ſancti *Deum eſſe ſupra ipſum eſſe*, vt Dionifius, Damaſcenus, D. Thom. ſupra capit. 7. de diuinis nominibus ſect. 4. Paulinus Nolanus qui epiſtola 44. ad Auxonium de Deo loquens, inter alia ſic loquitur.

Qui triſido igne micat, nec inania murmura miſcet.
Quique ſatis cœlo ſoles largitur & imbres.
Qui ſuper omne quod eſt, & in omni totus vbique eſt.

Immò D. Auguſtinus 8. libro de Ciuitate Dei cap. 11. refert Plato. cætera omnia pręter Deū appellaſſe non entia.

Videatur Elias in Orationē 34 Nazianz. quæ eſt in aduentum AEgiptiorum, vnde appoſite Iuſtinianus *anguſta eſt* (inquit) *domus prædicamenti, quæ tantū hoſpitem capiat:* Ariſt. etiam 3. Phiſicor. cap. 1. diuidit ens, in eum, qui eſt purus actus, & in eum qui eſt mixtus ex potentia & actu, & primo relicto, hoc vltimum ſubdiuidit in decem genera, ſeu prædicamenta, ſed Deus ex Ariſtotele & ſecundum fidem eſt purus actus, ergo non clauditur prædicamentali ratione.

Ex dictis poſſunt colligi efficaciſsimæ rationes pro hac ſententia. Prima, quia Deus eſt omnino ſimplex, incompoſitus, adeo purus actus, vt tam eſſentiale ſit ei, ſuum eſſe ſubſiſtens & actuale, quam ſua eſſentia, ergo nihil eſt potentiale in Deo, quod per modum contrahibilis concipi poſsit, repugnat ergo Deo compoſitio quælibet, etiam ex genere & differentia, ergo non poteſt in prædicamento, vel ſub aliquo ſupremo genere collocari, neq; eſſe ipſum ſupremū genus: tum, quia hoc componit, & contrahitur, quod repugnat Deo, tum, quia genus prædicatur de contentis in prædicamento, Deus autem non prædicatur de ſubſtantijs in prædicamento collocabilibus, hæc enim finitæ ſunt & creatæ, tum deniq;, quia Deus neceſſario & naturaliter eſt vnus; & ſingularis, vnde non poteſt eſſe ſecunda ſubſtantia, ac proinde nec genus, nec ſpecies.

Secundo probatur, quia Deus eſt ſupra omnes ſubſtantias, ſupra omne ens, & conſequenter ſupra omnes rationes prædicamentales, ergo non poteſt collocari in prædicamento. Tertio, quia Deo & Creaturis nihil poteſt dari commune vniuocū, vt patet ex Ante prædicamentis, ſed in prædicamēto ſubſtantiæ cōſtituuntur ſubſtātiæ creatæ, ergo illis & Deo non poteſt dari aliquod genus commune (genus enim debet eſſe vniuocum.) Quarto, quia ſubſtantia (de qua hic loquitur Ariſt.) poteſt ſubſtare accidētibus, ſed ex eodem Philoſopho. 10. Meth. tex. 41. Deus accidentibus non ſubſtat, quia ibi diuinam ſubſtantiam (inquit) eſſe abſtractam a ſenſibilibus, immutabilem, & inalterabilem. Quinto denique, quia omnia prædicamenta in ſua ratione dicunt finitas, & limitatas perfectiones, ita vt ratio prædicamentalis ſubſtantiæ, non dicat perfectionem qualitatis, neque qualitas quantitatis; ſed quodlibet ſub determinato genere, & perfectione claudatur, ſed Deus eſt ſimpliciter

Digitized by Google

citer & in omni genere infinitus, non tantum ſubſtantiæ, ſed omnium aliorum entium perfectionem, infinito & perfectiſſimo modo (vt loquitur Dionisius) ſuper habens, & ſuper apprehendens, ergo non poteſt ſub aliquo determinato prædicamento collocari.

Hinc notãda eſt diſtinctio infiniti, in omni genere & ſimpliciter, ab infinito ſecundum quid, & ſolum in ratione aliqua determinata, hoc enim V. g. ſi daretur linea infinita (de quo modo non diſputo) ſolum eſſet infinitum in illa ratione longitudinis, quæ ratio non excedit rationem quantitatis in communi, quæ conſtituit determinatum genus entis, quinimmo exceditur ab illa, cum in illo determinato genere entis, quod eſt quantitas, ſint aliæ plures rationes, quã ratio longitudinis ſcilicet, latitudinis, profunditatis, & extẽſionis, tam permanentis quam ſucceſsiuæ. Vnde hæc infinita ſecundum quid, quantumuis perfecta ſint, non tranſcendũt perfectionem ſui generis, & ideo ſub illo cõtineri poſſunt: infinitum autem ſimpliciter & in omni genere, quia cum hac infinitate dicit entitatem omnino ſimplicem, ſuper habentem perfectionem omniũ entium, ſub in illo genere cõtineri poteſt. Per quod patet ad primam rationem in oppoſitũ de linea infinita, eſt enim aperta diſparitas inter lineã infinitam & Deum, vt nunc oſtendimus.

Ad Ariſtotelem Reſpondetur. Deorum nomine non veros Deos intelligere, cum certum ſit apud ipſum, vnum tantum eſſe Deum, ſed ſubſtãtias quaſdam ſuperiores, ſubtiliſsima corpora habentes, quæ ex ſententia plurium Philoſophorum (ſecundum quam, non vero ſecundum propriam, exemplificat) rationales quidem dictæ ſunt, homine quidẽ perfectiores, quia immortales, cũ ea tamen conuenientes, in ratione animalis rationalis. De his autem ſi darẽtur, fatemur in prædicamento collocari debere, ſicut de Angelis collocãdos eſſe, ſtatim dicemus. Ad ſanctos Patres (quorum ſentẽtiam aperte noſtræ concluſioni vidimus ſuffragari) Reſpondetur, tantum eos velle nomina aliquorum Prædicamentorum, proprie conuenire Deo, & reperiri in diuinis, vt nomẽ ſubſtantiæ, relationis, & actionis, non tamen rationes eorũ formaliter, vt Prædicamenta ſunt. Dixi vt Prædicamenta ſunt, quia vt ſic dicunt rationem vniuocam & limitatam, quæ Deo & creaturis communis

n's eſſe nequit: ſi vero ratio V. g. ſubſtantiæ, aut relationis ſumeretur ſecundum rationem quandam omnino tranſcendẽtem, & Aualogam, quæ abſtraheret a finita, & infinita, in hoc ſenſu poſſet prædicari de Deo, & hoc etiam volunt ſancti Patres, qua ratione Deus recte dicitur eſſe ſubſtantiam, vt diſtinguitur contra accidens, ac tandem Deus dicitur per actionem intelligendi generare, Pater item referri ad filiũ, non tamen dicitur Deus quantus, qualis, vbicatus, &c.

Ad ſecundam rationẽ (quia prima ſoluta eſt) Reſpõdetur. Quod menſura duplex eſt, alia proportionata, & eiuſdem ordinis, quæ adæquatur rei menſuratę, & hæc debet eſſe in eodem genere cum menſurato, alia vero eſt improportionata, & excedẽs omnino altioris ordinis, quæ proinde non poteſt eſſe in eodem genere, cum re menſurata. Deus ergo dicitur prima menſura inter ſubſtantias, non quia alicui ſubſtãtiæ creatę adæquetur, ſed quia eſt omnium perfectiſsima, & quia inferiorum ſubſtantiarũ maior aut minor perfectio, ex maiori & perfectiori ſimilitudine, approximatione, aut participatione illius ſumenda eſt.

Ad tertium Reſpondetur, concedendo eſſe quidditatiuam prædicationem, *Deus eſt ſubſtantia*, ſicut, *Deus eſt ens*, prædicatũ autem, non eſt ſubſtantia prędicamẽtalis, ſed ſubſtantia tranſcendens & Analoga: quod ſi vt aliqui volunt, nomine prædicationis quidditatiuæ, intelligatur prædicatio generis aut ſpeciei, dicimus non eſſe quidditatiuam. Exiſtimo tamen, quidquid eſſentialiter prædicatur, etiam ſi prædicetur Analogice, prædicari quidditatiue, cum pertineat ad quidditatem rei.

Ad quartum de Chriſto Domino Reſpondetur. In Prædicamento ſubſtantiæ collocari hominem, homo autem dicit habens humanitatem, in quo ratio humanitatis quia eſt cõſtitutiua hominis, debet eſſe in quouis indiuiduo ſingulari, determinata, ſingularis, & finita; habens autem humanitatem (ſuppoſitum ſcilicet) poteſt etiam reſpectu huius humanitatis determinatę, abſtrahere a ſuppoſito creato, & increato, quia hæc humanitas poteſt ſecũdũ potentiã obedientialem ſuppoſitari ſuppoſito diuino, ſecũdum naturalem vero, ſuppoſito creato, vnde licet ad rationẽ indiuidui hominis, qui in Prædicamento ponitur, requiratur ſubſiſtẽtia, aut ſuppoſitum, hoc tantum eſt vt conditio, quia ſcilicet natura humana

Digitized by Google

na non poteſt ſine ſuppoſitali-tate ſubſiſtere, humanitatem autem requirit tanquam rationem formalem, ratione cuius in tali natura, ſpecie, aut genere entis eſt, & conſequenter ratione cuius in tali Prædicamento collocatur; qua ratione dixit S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 3. res ratione ſuarum naturarum in Prædicamento collocari, quia ergo Chriſtus Dominus verã habet humanitatem, eiuſdem ſpeciei & ſubſtãtiæ nobiſcum, ratione eius poteſt optime in Prædicamento ſubſtantiæ collocari, & licet eius ſubſiſtentia ſit increata, ad rationem tamen hominis hoc non requirebatur, & ideo eius ſubſiſtentia non ponitur in Prædicamento formaliter vt ſubſiſtentia increata, & diuina, ſed tantum, vt eſt ſubſiſtentia requiſita ad rationem hominis, quæ ex accidẽti eſt diuina vel humana, vnde ſolum intrat quaſi materialiter. In quo ſenſu fatemur Deum ratione humanæ naturæ quam ſuſtentat, & diuinam illius ſubſiſtentiam materialiter, in ratione ſcilicet habentis humanitatem, vt ſic in Prędicamento ſubſtantiæ collocari, non vero formaliſsime, ratione diuinitatis, & omnino vt Deꝰ eſt. Addũt aliqui. Quod licet per cõmunicationẽ Idiomatũ, quod cõuenit Chriſto ratione humanitatis, Deo tribuatur, propter quã cõmunicationẽ Deus vere dicitur mortuus & crucifixus, cum tamen mori conueniat Chriſto ratione naturæ humanæ, id eſſe verum in prædicatis realibus, quia vnio Hipoſtatica vera & realis eſt, non vero in prædicatis rationis, poni autem in Prædicamẽto, quid rationis eſt. Vnde licet Chriſto conueniat ratione humanæ naturæ, non Deo: nõ video tamen inconueniẽs, ſi dicatur quod Deus vt habẽs humanitatem, & ratione illius in Prædicamento ſubſtãtiæ collocetur, cũ res ponantur in Prędicamento ratione naturæ, neq; ſubſiſtẽtia increata, & diuina formaliter vt diuina ad Prędicamẽtũ pertineat, ſed tãtũ vt eſt ſubſiſtẽtia requiſita ad rationẽ hominis, quæ ex accidenti eſt diuina vel humana.

Dices. Vtrũ ſaltim reductiue *D*eus ponatur in Prædicamento. Sunt qui aſſerãt: ducti, quia Deus eſt cauſa & perfectio omnium entium, ipſe cõtinet perfectiſsima, & eminentiori ratione omnia Prædicamenta, in quo ſenſu verum eſt, Deum pertinere ad Prædicamenta tanquam cauſam & perfectionem eorum. Alij vero nec reductiue in Prędicamento eſſe admittunt, quia exiſtimant rem illã pertinere ad aliquod Præ-

Digitized by Google

Prædicamentum reductiue, quæ deficit a ratione perfecta,& completa talis Prædicamenti, Deus autem excedit potius in infinitum omnes rationes prędicamentales. Vtrique loquuntur probabiliter, probabilius tamen hi poſteriores,quibus aſſentior,præcipue quia ſic docet S.Tho.1.p. q.3.ar.5.vbi expreſſe vtrumq; probat, Deum ſcilicet neque ſimpliciter & proprie, neque per reductionem ſub aliquo genere contineri: vbi addit, principiũ quod reducitur ad aliquod genus,non ſe extendere vltra genus illud,Deus autẽ eſt principium omnis eſſe,vnde non continetur in aliquo generedeterminato ſicut principium.

QVÆSTIO. III.

Utrum Angeli & cœli in hoc Prædicamento collocentur.

ANgelorum nomine, ſubſtãtias completas, creatas, ſpirituales, & immateriales intelligimus, eas ſcilicet, quæ non habent hanc corpoream molem,quam in his materialibus ſubſtantijs experimur,& a quantitate proxime prouenit,licet radicaliter à ſubſtantia materiali, eam poſtulante,proueniat, quæ ſubſtantię immateriales ſimplices quidem ſunt,Phiſice loquendo,neq; enim materia & forma cõſtant:compoſitæ vero realiter Metaphiſice, ex eſſentia ſcilicet & ſubſiſtentia; quas ſpirituales ſubſiſtentias dari ſuppono ex D.Tho.1.p.q.50.& 2.cõtra gentes a cap. 46. & deinceps. Dubitamus ergo de illis & cœleſtibus corporibus. Vtrum in Prædicamento ſubſtãtiæ contineantur.

Commẽtator. 10. Metaphiſicæ cap. vltimo, commento. 16. Vtramq; ſubſtantiam hãc, tam cœleſtem quam Angelicam a Prædicamẽto excludit. Illum ſequuntur Ioannes Gandauẽſis 10.Meth.q.22.& Nimphus ibidem;quantum attinet ad ſolos Angelos eam defendit Plotinus lib. 1. AEneade. 6. AEgidius Romanus in commentarijs huius Prędicamẽti,

&

Digitized by Google

& quodlibeto.1.q.8. Albertus Magnus in Prædicamentis, tractatu de ſubſtantia cap.12. fauet Dur. in 2. diſt.3.q.1.n.12. aſſerẽs Angelos nullam habere compoſitionem ex genere & ex differentia, ergo non poſſunt eſſe ſub genere aliquo, ac proinde neque Prædicamento contineri. Poteſt probari hæc ſententia quod ad Angelos attinet, ex eo quod Ariſt. eos ſępe appellat ſimplices ſubſtantias, & puros actus, quaſi nullam habentes compoſitionem vt 9.lib. Meth. tex.22. & 10. Meth. tex. 30. ſed quæ in Prædicamento conſtituuntur, debent ſaltim Metaphiſice ex genere & differentia componi, ergo. Secundo, ex eodem Ariſ. 10. Meth. cap. ultimo vbi aſſerit, corruptibile & incorruptibile differunt genere, ſed in Prædicamento ſubſtantiæ ponuntur ſubſtantiæ corruptibiles, ergo nõ Angeli. Idẽ argumentum poteſt fieri de cœlis qui incorruptibiles ſunt, in eodem corruptibiliũ genere non collocabuntur. Tertio, Ariſt. in hoc Prædicamento aſſerit, maxime proprium eſſe ſubſtãtiæ prædicamentalis, poſſe ſuſcipere contraria, ſed hoc ſolũ conuenit corporibus corruptibilibus, & non Angelis, nec corporibus cœleſtibus. Vnde primo de cœlo, omnem ab illis remouet Philoſophus contrarietatem, quam dicit corruptionis eſſe principium, ergo non poſſunt habere rationẽ ſubſtantiæ prædicamentalis. Addo ex eodem Ariſ. corpora cœleſtia æterna eſſe, in æternis autem inquit 9. Meth. cap. 9. non eſt potentia, ergo non erit compoſitio ex actu & potentia in illis, ac proinde neq; ex genere & differentia, vnde neque in prædicamento collocabũtur. Sed quarto de Angelis idem probatur, quia corpori & ſpiritui nihil poteſt eſſe commune vniuocum, cum corpus ſit compoſitum ex materia & forma, ſpiritus vero ſimplex & incompoſitus, ſed in Prædicamento ſubſtantiæ continentur corpora, non ergo cõtinebuntur ſpiritus. Debilia certe argumenta.

Dico ergo in hac quæſtione. Tam Angeli quam Cœli ponũtur in hoc prædicamento ſubſtantiæ. Et quidem de Angelis id docuit S. Tho. & Ariſt. multis in locis. Ratione autem probatur. Primo, quia ſi ſubſtantia ſpiritualis non pertineret ad Prædicamentum ſubſtantiæ generaliſsimum eius, non eſſet ſubſtantia quæ diuiditur per corpoream & incorpoream, ſed corpus, quod tamen

ab

ab omnibus Philoſophis omnino improbatum eſt,& improbari debere,oſtendent iam ſequentes rationes .Secundo ergo probatur concluſio. Angelus eſt ſubſtantia finita in genere ſubſtantiæ,completa,cōpoſita ex eſſe & eſſentia , & ex genere & differentia,ſed nihil aliud requiritur,vt ponatur in Prædicamento , ergo ponitur. Quod autem ſit compoſita ex genere & differentia (quod tātum eget explicatione) probatur,quia omnis natura quæ poteſt concipi conceptu determinabili (dum modo non ſit Analogus)& conceptu determinante, eſt ex genere & differentia conſtituta,cum primum habeat rationem generis & materiæ,ſecundum vero rationem actus & differentiæ, ſed natura ſubſtantiarum ſeparatarum poteſt concipi cōceptu determinabili , ſcilicet ſubſtantiæ,& determinanti ſcilicet ſpiritualis & incorporeę, ergo,&c. Immo natura ſpiritualis in communi poteſt optime habere rationem contrahibilis & generis reſpectu huius naturæ Michaelis, V. g. cuius principium ſpecificum , & indiuiduale (idem enim ſunt) habebit rationem differentiæ reſpectu eius. Tertio , quia ſi aliqua ratione non eſſent contentæ ſubſtantiæ iſtæ, maxime quia ſunt ſpirituales , ſed ex hoc ſequitur accidentia etiam ſpiritualia,vt ſcientiam,& virtutes,non contineri in aliqua Cathegoria accidentis, quod eſt contra Ariſtotelem, & omnes Philoſophos qui ſcientiam collocant in Cathegoria qualitatis,ergo & illud ex quo ſequitur falſum eſt.

Sed de orbibus cœleſtibus, hoc poteſt facilius oſtendi cōtra Aberroem eiuſque ſequaces. Primo ſic . Quia cum ſint ſubſtautiæ completæ & actu finitæ,per ſe continebuntur in hac Cathegoria , quia omne ens finitum actu & completū: per ſe ponitur in aliquo prædicamento. Secundo & hoc explicatur,quia ſi non pertinerent,maxime quia ſunt incorruptibiles,ſed hoc non obſtat in Angelis (vt vidimus) ergo neque obſtabit in illis.Tertio, quia in illis inuenitur compoſitio ex genere & differentia, (vt per ſe patet) quorū genus eſt corpus, differentia autem cœleſte:præcipue quia hæc etiam cōpoſitio,in Angelis qui perfectiores ſunt,reperitur.

Ad argumenta Reſpōdetur: ad primum,quod quando Ariſto. Angelos appellauit puros actus,& carere potentia dixit, tantum intendit carere potentia

tia Phiſica, materia ſcilicet, neq; habere potentiam contradictionis ad eſſendum, & non eſſendum, cum ſint incorruptibiles, & immateriales.

Ad ſecundum Reſpõdetur, quod quando Ariſt. dixit, corruptibile & incorruptibile genere differre, loquutus eſt de genere Phiſico, ſcilicet materia, ſicut enim Metaphiſice genus illud eſt, quod habet rationem Metaphiſicæ potẽtiæ, ita Phiſicum genus illud eſt, quod Phiſicæ potentiæ rationem habet, & hoc eſt materia, vnde corruptibile & incorruptibile materia differũt, quia alia eſt materia corporum ſuperiorũ, alia inferiorum.

Ad tertium Reſpondetur, quędam eſſe contraria quę ad corruptionem diſponunt, & horum non eſt ſuſceptiua ſubſtãtia incorruptibilis: alia ſunt, quæ licet ſibi mutuo repugnẽt & ſimul eſſe non poſsint, ſunt corruptionis principium & nullo modo, horũ ſuſceptiua eſt ſubſtantia ſpiritualis, etiã incorruptibilis. Sic cœlũ ſuſceptiuum eſt contrariorum Situum, ſunt enim aliquando in ortu, in meridie aliquando, aliquando denique in occaſu: ſic Angelus capax eſt contrariorum affectuum, amoris ſcilicet & odij. Adde, cœlos etiã raritate affici & denſitate, quę ſunt cõtrariæ qualitates, nam Planetæ ſunt partes denſiores ſui orbis, reliquæ vero ſunt rariores, & in Luna maculoſæ partes, ſeu non ita lucidæ, rariores ſunt, quæ ob tenuitatem non poſſunt ita intenſe lumen continere, luminoſę vero denſiores, quæ propter materiæ multitudinem condenſatam, lumine ipſo veluti imbibitæ, illud intenſius retinent, & irradiant. Ad cõfirmationem Reſpondetur, Ariſtotelem tãtum negare æternis potentiam ad eſſendum & non eſſendum, cũ qua tamen compatitur cõpoſitio ex genere & differentia, vt in Angelis vidimus.

Ad quartum deniq; negatur antecedens, corporeæ enim, & ſpirituali ſubſtantiæ, ſimplici, & Phiſicę compoſitæ, dari poteſt ratio ſubſtantiæ cõmunis vniuoca, quæ abſtrahat a corporea & ſpirituali, a cõpoſitione, & ſimplicitate Phiſica, vt de generaliſsimo huius prędicamenti dictũ eſt.

QVAES-

QVÆSTIO. IIII.

De Diuiſsione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.

PLura ſunt quæ diuiſsionem hanc & eius explicationem difficilem reddũt; primum, quia cum prima ſubſtantia ſit ſubſtantia ſingularis, & ſecunda ſubſtãtia ſit vniuerſalis, nullus realis cõceptus obiectiuus poteſt eſſe communis, præter ipſummet conceptum ſubſtantiæ communis, qui tamen eſt conceptus ſecundæ ſubſtantiæ ac proinde conceptus membri diuidentis, non diuiſsi, diuiſſum autem non debet conuerti cum aliquo membro diuidente, vt per ſe patet. Explico, Petrus & homo nihil habẽt commune, præter conceptum hominis, neque homo & animal præter conceptum animalis, & in vniuerſum, ſuperius & inferius ſic comparantur, at prima & ſecunda ſubſtantia ſunt. V.g. Petrus & homo, & tã quã inferius & ſuperius inter ſe cõparãtur, ergo nõ habẽt cõceptũ aliquẽ obiectiuũ ſuperiorem & communẽ præter conceptũ ſecundæ ſubſtantiæ.

Ex quo ſequitur ſecũda dubitandi ratio, quia mẽbra diuidentia nõ poſſunt in recta diuiſsione ad inuicẽ prædicari, cũ inter ſe debeant eſſe oppoſita ſaltim formaliter (rationale enim non poteſt prædicari de irrationali,) at ſecundũ Ariſt. in hoc capite, membra huius diuiſsionis prædicantur ad inuicem, quia ſecunda ſubſtãtia nomine & ratione prędicatur de prima, homo enim qui eſt ſecunda ſubſtantia, recte prædicatur de Petro qui prima ſubſtantia eſt, ergo.

Tertia dubitãdi ratio grauis eſt, videtur enim diuiſsionem hanc nec eſſe rei, nec rationis, nõ enim videtur eſſe rei, quia prima & ſecũda ſubbſtãtia in re nõ differunt, ergo nõ poteſt diuiſio eſſe realis. Deinde, quia ſecũda ſubſtãtia nõ eſt mẽbrũ diuidẽs, vt ſubſtantia præciſſe, hæc enim ratio vt ſic, potius videtur eſſe ratio diuiſsi, erit ergo mẽbrũ diuidẽs, vt *ſecunda* ſed vt ſecũda nihil dicit reale

præter

præter conceptum ſubſtãtiæ, ſed addit aliquid rationis, quia ratio ſecundæ ſubſtantiæ vt ſic, ad intentionem rationis expectat, ergo. Sed neq; videtur eſſe rationis: primo, quia Ariſt. non poſuit hanc diuiſionem expreſſe, ſed eam poſuiſſe intelligimus, ex eo quod vtrumque membrũ definiuit, ergo ſic ſunt membra diuiſionis, ſicut definiuntur, ſed definiuntur ſecundum eſſe reale, de prima enim dicit ſubſtantia, quæ propriè, principaliter, & maxime dicitur, quæ excellentiæ non conueniunt primæ ſubſtantiæ ratione ſecundæ intentionis, ſed propter naturam realẽ in genere ſubſtantiæ, & per ſe exiſtendi perfectè, ergo realiter, & nõ per ſecundã intentionẽ definitur. Secundæ etiam ſubſtantiæ definiuntur, quod ſint genera, & ſpecies quibus inſunt primæ, & de quibus prædicantur ſecundum eſſe naturæ realis, vt patet in hac prædicatione *Petrus eſt homo*: immo ſecundum eſſe intentionale prædicari non poſſunt; quia neq; Petrus eſt ſecunda intentio ſpeciei, neq; ſecunda intentio indiuidui eſt ſecunda intẽtio ſpeciei. Secundo, quia comparans Ariſt. vtrumq; mẽbrum diuiſionis ait, primam ſubſtantiã eſſe magis ſubſtãtiam quam ſecũdam, quia propria virtute ſubſtat accidentibus, ſed ſubſtare accidentibus eſt quid reale, ergo non poteſt ſumi ſecunde intẽtionaliter hęc diuiſio. Adde rationẽ ſubſtãtiæ quæ eſt non eſſe in ſubiecto, ſeu per ſe eſſe. aut accidentibus ſubſtare, eſſe quid reale. Item eandẽ ſubſtantiã diuidere Ariſtotelem in ſecundã, & & primam, cuius proprietates enumerat, ſed proprietates reales ſunt, ergo ſubſtantia quæ diuiditur realiter etiam ſumenda eſt. Præterea, quia in ordine ad ſecundas intentiones non poteſt intelligi quomodo prima ſubſtantia dicatur magis ſubſtantia quam. 2. nam ſi prima ſubſtantia dicit intentionẽ ſubiecti, & ſecũda ſubſtantia intentionẽ prædicati, vt ait Sotus, vel non ſit cõparatio in aliqua ratione communi, quia intentio prędicati & ſubiecti diuerſæ ſunt, vel ſi ſit, V. g. in ratione extremi propoſitionis, aut in ratione ponibilis in recta linea, hanc communẽ rationem, vel æque participãt, vel ſi aliqua eſt inæqualitas, potior eſt ratio prædicati, quam ſubiecti, ac proinde potius ſecũda ſubſtantia erit magis ſubſtantia quam prima. Idemq; argumẽtum fieri poteſt, ſi dicantur illę intentiones eſſe vniuerſalis,

lis,& ſingularis, aut prædicabilis & ſubijcibilis, diuidiq; ſub intentione communi ponibili in recta linea.

Sed præter hęc omnia vrgens ratio eſt, ad probandum non poſſe ſumi pro ſecundis intẽtionibus, quia hæc diuiſſio primæ & ſecundæ ſubſtantiæ ſumi debet vt peculiaris huic prædicamento, non vero vt communis,& tranſcendens omnibus, ſed ſi ſumatur ſecundeintentionaliter, non eſt peculiaris huius prædicamenti, ſed communis alijs, ergo. Probatur minor, quia ſecunda intentio ſubiecti aut prædicati, vniuerſalis aut ſingularis termini propoſitionis, aut ratio ponibilis in recta linea, hæc inquam omnia in alijs etiam accidentium prædicamentis reperiuntur, ergo hęc diuiſsio non poteſt ſecundeintentionaliter ſumi.

Sed Dices cum cõmuni opinione, diuiſſum ſumi realiter, membra vero diuidentia ſecundeintedtionaliter, eritq; tunc diuiſsio ſubiecti in accidentia rationis, diuidereq; ſubſtãtiam hac ratione, in primam & ſecundam, idem erit, quod illam diuidere in ſingularem & vniuerſalem; ſicut ſi diuideretur homo in album, & nigrum, ſingularitas autem & vniuerſalitas ſubſtantiæ accidunt, erit ergo diuiſsio ſubiecti in accidentia. Sic docent Simplicius, Canterus, Caietanus, Mercado, Burleus,& plures ex iunioribus. Sed contra hanc ſententiam procedit argumentum factum, quia ſicut ſubſtantiæ reali accidunt vniuerſalitas & ſingularitas, ſic etiam reali naturæ accidentis accidunt prædictæ intentiones, ergo ſecundum hunc modum dicendi, non ſumitur hæc diuiſsio vt peculiaris eſt prædicamento ſubſtantiæ. Secundo, quia ſecundum hanc expoſitionem, non ſaluatur, quomodo prima ſubſtãtia ſit magis ſubſtantia quam ſecunda, vt patet. Rurſus, neque diuiſsio hoc modo ſumpta, reſpondet intentioni Ariſtot. definitionibus primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, & ſubſtantię proprietatibus hic enumeratis, quæ omnia debent proportionari, vt late in hac eadem tertia dubitandi ratione oſtenſum eſt. Dubitatio autem quæ ex dictis poterat ſuboriri, circa qualitatem diuiſsionis huius, an ſcilicet ſit analogi in analogata, an vero generis in ſpecies, non poteſt expediri, & alio modo pręter dicta proponi, niſi ea quæ à nobis pro huius deciſsione quæſtionis dicenda ſunt, habeantur.

Prop-

Propter has difficultates. Ammonius in Prædicamentis & Villalpandus aſſeruerunt, hanc non eſſe diuiſſionem, ſed ordinem ſolum enumeratorum, ſeu quandam enumerationem partiũ, ſicut qui numerat diſcumbentes in conuiuio, quod vnus ſit primus, alius ſecundus. Quam ſententiam communiter reijciũt omnes, quia negari non poteſt ſit ſubantia communis primæ & ſecundę, rectè enim dicitur, prima ſubſtantia eſt ſubſtantia, & ſecunda ſubſtantia ſimiliter. Secundo, quia inter proprietates quas enumerat, aliquas enumerat, quę conueniunt tam primis quam ſecundis ſubſtantijs, vt conſtat de prima, quinta & ſexta, ſed quibus communes ſunt proprietates ſubſtantiæ, etiam ratio ſubſtantiæ communis eſt. Tertio & vrgentius, quia enumeratio tantum rerum ſub eodem nomine contentarum, abſque alia ratione veræ diuiſsionis, ſolum eſt partitio nominis æquiuoci, conſtat enim poſſe nos enumerare res quæ ſunt, canis marimus, ſtella, & terreſtris, contentas ſub hoc nomine *canis*, ſed nomen ſubſtantiæ & partitio illius in primam & ſecundã ſubſtantiã, nõ pertinet ad æquiuocationem, vt per ſe patet, & ipſe fatetur Ammonius, ergo.

Relictis ergo non nullis ſententijs, circa qualitatem diuiſſionis, quas omnes inſequentibus explicabimus. Notandum eſt primo, ſubſtantiam prime intentionaliter poſſe ſumi tribus modis. Primo, ſecundum eſſentiam; ſecundo, ſecundum vltimum actum ſubſtantialem eius, qui eſt ſubſiſtentia; Tertio, ſecundum proprietatem realem ſuſtentandi accidentia. Eſſentia ſubſtantiæ eſt eſſe gradum entitatis realis perfectæ, independentis ab entitatibus aliorum prædicamentorum, cui debetur ſubſiſtentia per ſe, hęc autem ſubſiſtentia eſt vltimus ſubſtantialis actus eius, etiam in ratione perſeitatis vltimate complens, proprietas autem ſubſtandi ſequitur hanc ſubſtantiam iam completam & ſubſiſtentem, & licet proprietas ſubſtantiæ extra eſſentiam illius ſit, poteſt tamen per illam proprietatem à poſteriori eſſentia dignoſci, diuiſioq; tradi per proprietatem, in ordine tamen ad cognitionem eſſentiæ: vnde quaſi cognoſcibiliter, & intentionaliter (intentione ſumpta, pro motiuo

inferioribus & ſuperioribus, quæ nec realiter nec ex natura rei diſtinguuntur, eſt quidē diſtinctio per intellectum, nō quaſi diuerſam rationem & conceptum obiectiui faciat, ſed quia eundem omnino cōceptum obiectiuum, in altero membro quaſi præſcindit, relinquēs illum in alio integrū, vt cōſtat in Petro & homine: conceptus enim Petri eſt conceptus integer, dicens quicquid in homine eſt vſque ad vltimam differentiam indiuidualem, conceptus autem hominis, idem Petri conceptus eſt, præſcindens tantum aliquid eius, nempe differentiā indiuidualem, quatenus ergo conceptus hominis & Petri idem conceptus eſt, eſt identitas, ſeu participatio realis, quatenus autē ratione illius præciſsionis, vnum ab alio, illa præſcindens ratio diſtinguit, intelligimus eſſe duo, poſſeq; habere rationem duorum, nō quidem per diuerſas omnino rationes, ſicut in diuerſis indiuiduis, & ſpeciebus reperitur, ſed per eandem præciſſam vel integram. Ex quo fit vt ſingularitas primæ ſubſtantiæ, non excludat communicationem cum ſecūda ſubſtantia, in eadem entitate & eſſentia, & conſequenter in eadem proprietate, quę cō munic atio & identitas cū dualitate explicata, ſufficit conſtituere diuiſionem. Hinc fit Secūdo, quod etiam ſi homo & Petrus ratione diſtinguātur, homo tamen dicatur ſubſiſtere in Petro, quia eadem realis ſubſiſtentia Petri, eſt eadē realis ſubſiſtentia hominis, & eadem capacitate, aut virtute qua Petrus ſubſtat albedini, ſubſtat etiam homo.

Hinc fit Tertio, hoc genus diuiſionis aut communicatis, eſſe veluti medium quoddam inter partitionē nominis ęquiuoci, & veram diuiſionem vniuocam, maximeq; pertinere ad analogiam, in qua ratio nominis analogi in alijs, per participationē in vno, reperitur: conſtat enim non habere rationem veræ & propriæ diuiſionis, cum membra diuidētia vere in re participēt eādem entitatem ſingularē, ſitq; vnus & idem conceptus obiectiuus in vtroq;, ſine vlla aſsignatione rationis: eaſis in qua diſtinguantur, niſi tantum et vt includens, & incluſum, aut ſecundum rationem præciſsi & integri: quæ omnia ſimul cum alijs quæ in rationibus dubitandi obiecta ſunt, rectè probant, hanc diuiſionem nō eſſe vere & propriè diuiſsionem, nec membra diuidentia talia realiter, ratione cuius

 poteſt

Digitized by Google

poteſt vnum de alio realiter prædicari; ſine hoc quod reperiatur aliqua realis formalitas; in homine V. g. quæ de Petro dici non poſsit, animal enim, & rationale de Petro optime prædicatur, & hoc ſenſu recte loquuti ſunt Villalpandus & Ammonius, non enim eſt hæc diuiſsio rigoroſa & propria, licet aliquid participet diuiſsionis, & communitatis inſenſu dicto.

Hoc igitur modo, hæc diuiſsio ad Analogiam ſpectat, poteſtq; dici Analogi in analogata. Quod præter dicta probatur, quia analogum ſic conuenit his de quibus dicitur, vt vni per ſe primo atq; ſimpliciter, alijs vero non niſi cum dependentia & per participationem ab hoc, ſed ſubſtãtia ſumpta realiter pro ratione ſubſiſtendi & ſubſtandi, per ſe primo conuenit primæ ſubſtantiæ, (eſt enim quæ per ſe ſubſiſtit, & per ſe ſubſtat,) Secundis autem ſubſtantijs, nõ niſi per participationem eiuſdem realis ſubſiſtentiæ & virtutis ſubſtandi, ideo enim homo ſubſiſiſtit, quia Petrus ſubſiſtit, & ideo eſt albus, quia Petrus eſt albus, ergo hæc cõmunicatio & participatio ad analogiam ſpectat. Et ſecũdũ hãc doctrinã exiſtimo ſatisfieri optime intẽtioni Ariſt. in hoc capite, & reliquis omnibus rationib9 dubitandi, quæ licet facile ex dictis ſolutæ ſint, expraſſe tamen ſoluentur in fine quęſtionis.

Dico ſecundo. Alio etiam modo poſſet fieri hæc diuiſsio primointentionaliter, ita vt diuiſſum ſit ſubſtantia, concepta ſub ratione eſſentiali ſubſtãtiæ, & ſecundum id quod de ſe dicit, ſeu ſecundum ſua prædicata eſſentialia, membra autẽ diuidentia ſint ſubſtantia ſingularitate contracta, quæ eſt prima ſubſtantia; & ſecunda ſubſtantia, quæ eſt ſubſtantia cum cõmunitate rationis, abſtrahit enim ſubſtantia ſecundum ſe ab hac ſingularitate reali, & communitate rationis: qua ratione dicitur, natura de ſe neque eſt vna, neq; plures. Et hoc fortaſſe voluit S. Tho. de potẽta. q. 9. art. 2. ad ſextum, aſſerens, hic diuidi ſubſtantiam ſecundum ſuum eſſe, in varios modos eſſendi, contractio enim per quã ſubſtãtia fit prima, & cõmunitas per quã fit ſecunda varij modi eſſendi ſunt. Dices, hi modi ſunt accidẽtales, ergo erit hęc diuiſsio ſubiecti in accidentia, quod tamen ſupra improbauimus, quia ſecundum hãc explicationem, hæc diuiſsio non eſt peculiaris huic prædicamento, ſed communis omnibus

nibus, Deinde, hi modi alter eſt realis, alter rationis, vnde non videtur an hæc diuiſio realis an rationis ſit. Reſpondetur tamen ad primum horum, primo, quod ſemel excitata quæſtione circa diuiſionem ſubſtantiæ in primam & ſecundã, explicata ſemel mente Ariſt. & quid conformiter ad illam dicẽdum ſit, poſſunt optime Authores explicare, quibus alijs modis prædicta diuiſio accipi queat, & quia poteſt ſumi, ita vt ſit ſubiecti, in accidentia, hoc etiam modo illam explicare & ſumere vitioſum non eſt, poſtquam prima concluſione quid ſecũdum mentem Ariſt. dicẽdum ſit, explicuimus. Authores autem quos improbauimus abſolute, vel non curãtes de mẽte Philoſophi, vel exiſtimantes conformiter ad ea quæ in hoc capite de ſubſtantia docuit, hanc diuiſionem ſic ſumendam eſſe exiſtimarunt. In quo tamen decepti ſunt, aut diminute loquuti, decepti quidem, quia diuiſio hoc modo ſumpta, nõ eſt ad mẽtem Philoſophi, diminuti vero, quia quę ſecundum Ariſtotelẽ eſſet præcipua explicatio, non explicarunt. Reſpondetur ſecundo, quod cum prædicamentũ ſubſtantię, in ratione primi & præcipui, ſit menſura cæterorum, non eſt extra rationem eius, explicare in illo aliquid quod omnibus prædicamentis commune ſit, hæc enim notitia in primo prædicamento habita, poterit tractationi & cognitioni aliorum deſeruire. Sed Reſpondetur Tertio, mea ſententia, hanc vt ego explicui diuiſionem non eſſe ſubiecti in accidentia, etenim ratio ſubſtantiæ quæ eſt diuiſſum, habet rationem prædicati reſpectu ſubſtantiæ primæ, & ſecundæ, vere enim ea quæ ſubſtantia habet ſecundũ ſe, prædicantur de ſubſtantia tam prima quam ſecunda, aliud eſt enim formalitas, & ratio quam dicit res communis & ſingularis, aliud ipſa formalitas communitatis, & ſingularitatis, primũ quid reale eſt, tam in prima quam in ſecunda ſubſtantia, quia eſt formalitas ſubſtantię, vel magis in particulari talium, aut talium ſubſtantiarum hominis verbi gratia, aut animalis, ſecundũ vero ſcilicet communitas aut ſingularitas, ſunt modi diſtinguẽtes vtrumque membrum, quatenus vel conſequuntur ad intellectum diſtinguentem ſubſtantiam primam à ſecunda, vel intelliguntur quaſi conditio, vt

hę formalitates reales membra diuidentia ſint, diuiſſum autem non prędicatur de conditionibus, ſed ſemel cõditione ſuppoſita, factaq; per intellectũ diſtinctione, de eo quod in vtroque membro reale eſt prædicatur, in quibus eſt communitas per participationem eiuſdem rationis, eadẽ enim prędicata eſſentialia, quę ſunt in ſecundis ſubſtantijs, eadem omnino ſine vlla diſtinctione ex natura rei, adhuc reperiuntur in primis.

Dices, ergo hęc explicatio coincidit cum priori. Reſpondetur, eſſe ſatis diuerſam. Primo, quia in priori, ſumebatur ſubſtantia ſecundũm rationẽ ſubſiſtendi, aut ſubſtandi, quæ ſunt extra eſſentiam ſubſtantiæ, hic vero ſumitur ſubſtantia, vt diuiſſum, ſecundum rationem eſſentialẽ, quę proinde primario intelligitur in ſecũdis ſubſtantijs, & quaſi medijs illis ad primas deſcendere, ſumimus enim nunc ſubſtãtiã ſecundum eſſe reale Metaphyſicum, ea ſcilicet prędicata quæ de ſe dicit. Itaq; ſi conſideremus ſubſtantiam ſecundum eſſe phyſicum ſubſiſtens, & ſubſtans realiter accidentibus, à primis ſubſtãtijs (, in excellentia etiã primis, & quaſi communicatione actiua dante (vt ſic dicam) participationem ſui) à primis (inquã) ſubſtantijs, debet fieri proceſſus arboris prędicamentalis, quia ſubſiſtere & ſubſtare, primario cõuenit indiuiduis, & per participationem, aut per idẽtitatem cum illis, cæteris prędicatis ſuperioribus, quæ ſecũdæ ſubſtantię nuncupantur: ſi vero conſideremus ſubſtantiã ſecundum eſſe reale Metaphyſicum, quod poteſt appellari eſſe definitionis & naturæ, quia hoc primario conuenit ſpeciebus, hæ enim ſunt quæ definiuntur, quęq; dicunt totã naturam & eſſentiam rei, & medijs illis natura quaſi deriuatur ad indiuidua, ſecundum hanc conſiderationem proceſſus à prædicatis communioribus intelligitur dignior, quatenus genera componunt ſpecies, quæ digniores ſunt in hac conſideratione indiuiduis, in quo ſenſu loquendo de primitate dignitatis Metaphyſica, ſecundæ ſubſtantiæ poſſunt dici primæ, & primæ dici debent ſecundæ, tuncq; ſecunda ſubſtantia erit magis ſubſtantia, diceturq; in accidentibus ſpecificis ideo primis ſubſtantijs cõuenire, quia participant & communicant primæ ſubſtantiæ cum ſecundis, non è contra: ideo enim dicitur Petrus riſibilis, quia homo eſt riſibilis, ſicut è contrario,

Digitized by Google

trario in accidentibus, quaſi indiuiduis & prædicatis extra eſſentiam, ideo homo eſt ſubſiſtens, quia Petrus eſt ſubſiſtẽs, & ideo homo eſt albus, quia Petrus eſt albus: oportebat autem vtrumq; hunc progreſſum prædicamentalẽ explicare ad perfectam notitiã huius prædicamenti.

Ex quo fit vt diuiſsio ſubſtãtię hoc modo ſumpta, ſit Analogi in analogata, cuius primum & precipuum analogatum eſt ſubſtãtia ſecunda, propter rationes dictas, ex quibus conſtat diuiſſum, ſcilicet rationem ſubſtantiæ non deſcendere ęque primo ad inferiora, ſed primario ad ſecundas ſubſtantias, & medijs illis ad ſubſtãtias indiuiduas deſcendere. Per quod patet ad id quod ſecundo loco poſt ſecundam concluſionem obijciebatur. Reſpondetur enim, illa accidentia non eſſe formaliter membra diuidentia, ſed ſolum conditiones, vt illę formalitates diſtinguantur, de quo in ſolutione argumentorum. Vel ſi aſſeramus eſſe diuiſsionem ſubiecti in accidentia. Reſpondetur, non eſſe inconueniens, quod alterum accidens ſit reale, alterum rationis, reale enim ſubiectum poteſt ab vtroq; accidente denominari.

Sed quia ſubſtantia etiã ſecundo intentionaliter ſumpta, poteſt diuidi in primam & ſecundam, de illa vt ſic. Dico Tertio. Si diuiſſum huius diuiſionis ſumatur ſecundo intentionaliter, ſcilicet in ratione primi ſubiecti, de quo nouem Prædicamenta accidentiũ dicantur denominatiue, poteſt diuidi in rationem ſubiecti, de quo primo dicantur (ideſt) in ſubiectum ſingulare vt ſic, & in rationem ſubiecti ſecundi, ſeu vniuerſalis. Pro cuius explicatione. Notandum eſt, ſubſtantiam in ſua latitudine, abſtrahendo à prima, & ſecunda, dici primũ ſubiectum, reſpectu omnium accidentium, dicitur autem primum, & dignitate, & radice: quędã enim accidẽtia quaſi primario, proxime, & vt quo, alijs accidentibus inſunt, vt qualitas in quantitate, actio immanẽs in potentia, & hoc modo non loquimur de ſubſtantia, quia ratio ſubiecti inhæſionis eſt realis, de qua iam loquuti ſumus: ex hac autem reali ratione ſubiecti oritur, vt in prędicatione ſubijciatur denominatiue his formis accidentalibus, ſubijci autem in prædicatione, quid rationis eſt, hæc ergo intentio ſubiecti, diuiditur in intentionẽ ſubiecti ſingularis, & in intentionẽ ſubiecti

Ad argumenta in oppoſitũ Reſpõdetur. Ad primum,ſolũ probare id quod nos ſecundo notabili diximus, non poſſe hanc diuiſionem ſumi primo intentionaliter, ſecundum cõmunitatẽ alicuius gradus eſſentialis,ſpecifici,aut generici,nõ vero ſi diuiſio fiat per quandã participationẽ vnius membri diuidentis ab alio,vt explicatũ eſt, quæ diuiſio nõ eſt vera & propria, ac proinde non poſtulat conditiones veræ & propriæ diuiſionis, ſicut diſtinctio includentis & incluſi,& aliquid dicit diſtinctionis, quia includens addit aliquid aliud, & aliquid non diſtinctionis, quia incluſum dicit aliquid includentis: ſic prima & ſecunda ſubſtantia, prima enim includit ſecundã & aliquid aliud, nẽpe ſubſiſtere primario & imparticipabiliter à ſecũda, ſecunda vero ſubſiſtere per participationẽ, vnde formaliter loquendo, diuiſum non coincidit cũ membro diuidenti, quia diuiſum eſt ratio ſubſiſtendi,abſtrahẽs à ratione ſubſiſtendi primario & imparticipabiliter, & à ratione ſubſiſtendi ſecũdario, & per participationem eiuſdẽ ſubſiſtentiæ realiter,præcipue quia in his diuiſionibus, quæ non ſunt vniuocæ ſicut eſt partim identitas,partim diuerſitas,nec propria ratio vnius in diuiſi, nec rigoroſe leges mẽbrorum diuidentium reperiri poſſunt,in illa præſertim diuiſione quę reſpondet Analogiæ attributionis, quatenus ratio ſignificata primario & per ſe in vno,in alio vero qua ſi per attributionem, & participationem reperitur.

Ad ſecundũ Reſpondetur, formaliſsime loquendo, non prædicari vnũ membrũ diuidens de alio,quia ſubſiſtere ſecũdario & per participationẽ alterius, quod eſt ratio ſecundę ſubſtantię, non dicitur de prima,potius illi opponitur. Vel ſecundo Reſpõdetur, realitatem alterius membri diuidentis poſſe prædicari de alio,quãdo diuiſio eſt per participationem vnius membri diuidentis ab alio, & quando diuiſio nõ eſt rigoroſa, & propria; illa enim conditio de vniuoca, vera, & propria diuiſione intelligenda eſt, non vero de hac de qua loquimur.

Ad tertium Reſpondetur, hanc diuiſionem eſſe rei,non quidem per partitionem duarum realitatum,ſed per participationem in eadem realitate,aut per integritatem & præciſionem, aut penes incluſionẽ,& additionẽ, vt explicatũ eſt,in

eſt, in quo genere diuiſionis, eadem realitas reperitur in vtroq; membro, licet quoad membrorum diſtinctionē, intercedat neceſſario aliquid rationis, ratio enim diſtinguit primam & ſecundam ſubſtantiam, dans per hanc diſtinctionem aliquid rationis, ſaltim alteri membro, abſtractionem ſcilicet, aut communitatem. Dicitur autē realis, quia diuiſſum, nempe ratio ſubſtantiæ, non prędicatur de hoc accidenti rationis, ſed de formalitate reali, cui illa rationis intentio coniuncta eſt, & quæ tanquam conditio concurrit, vt diuiſſum de illo membro diuidenti, tanquam de membro diuidenti cum alio, prædicetur.

Ad ſecundam probationē Reſpondetur eodem modo, quod in hoc genere diuiſionis, per participationē vnius membri diuidentis ab alio, per integritatem, & pręciſsionem, per incluſionem, & additionem, membrum diuidens quod participat, quod pręſcindit, & quod includitur, non ſolū non debere, ſed nō poſſe addere realitatem, eſt enim mēbrum diuidens, & diſtinctum ab alio per illam non additionem, pręciſsionem, & non incluſionem; vnde vel non addit niſi negationem, vel aliquid rationis ad illam poſitiuam entitatem, ſic, aut cum aliqua communitate conceptam. Has autem conditiones, quod ſcilicet quoduis membrum diuidens addat realitatem, & quod realitas vnius non prædicetur de alio, &c. iā dixi intelligendas eſſe in vera & vniuoca diuiſione, qua per duas realitates diuiditur diuiſſum, duęq; realitates illud participant, non vero de hac diuiſione, quam explicuimus. Cætera quæ in illa Tertia dubitandi ratione adducebantur, ad probandum hanc diuiſionē non poſſe eſſe rationis, in diſcurſu quæſtionis ſoluta ſunt. Et Hęc de hac quæſtione.

QVAES-

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

Vtrum definitiones primæ & ſecundæ ſubſtantiæ ab Ariſtotele tradita, recta ſint.

DEfinuit Ariſt. primam ſubſtantiam ſic, prima ſubſtã tia eſt, *quæ nec de ſubiecto dicitur, nec in ſubiecto aliquo eſt*, & ſecundas ſubſtantias *eſſe ſpecies & genera, ſub quibus primæ ſubſtantiæ continentur*, ad quarum definitionum qualitatem percipiendam, multa conſumunt Authores in explicãdo definito, *quo*, & *quod*, cum tamen meo videri, hę nõ ſint propriè definitiones, neque huiuſmodi ſubſtantiæ proprie ſint ab Ariſt. definitæ, ſed per quaſdam negationes, vel alia extrinſeca ſigna large deſcriptę: qui enim fieri poteſt, vt propriè primam ſubſtã tiam Ariſt. duplici tantum negatione definiat? Secundã vero ſubſtantiam non definiuit Philoſophus, quia hoc ſolũ dicere, ſecũdas ſubſtãtias eſſe genera, & ſpecies quibus in prędicatione ſubijciũtur primæ, quis dicet eſſe definitionem? ſed vt illa imperfecta deſcriptio primę ſubſtantiæ, cum illa conuertatur. Sub audiendũm eſt primam ſubſtantiam eſſe *ſubſtantiam completam & integram per ſe primo ſubſiſtentẽ, quæ nec de ſubiecto dicitur, nec in ſubiecto eſt*, vel vt alij breuius volunt, *ſubſtantia directè ponibilis in Prædicamento, ſaltim vt primum ſubiectum*: eodem fere modo explicabis deſcriptionem ſecundæ ſubſtantiæ ſic. *Secundæ ſubſtantiæ ſunt genera & ſpecies, quæ denominant naturam ſubſtantialem, directè ponibilẽ in Prædicamento, ſub quibus primæ ſubſtantiæ continentur.*

Quod ſi quęras, quod ſit definitum harũ definitionũ, ſeu deſcriptionũ? Reſpõdetur, definitum *in actu ſignato, ſeu vt quo* eſſe ſecundam intentionẽ indiuidui in definitione primæ ſubſtantiæ, & ſecundã intentionem vniuerſalis, vt tantum dicit genera, & ſpecies in definitione ſecundæ, definitum autem vt *quod*, ſeu *in actu exercito*, in definitione primę ſubſtantię, eſt hoc vel illud, indiuiduũ, Petrus. V.g. aut,

aut Paulus, in definitione vero ſecundæ, hæc vel illa natura vniuerſalis homo. V.g. aut animal, de quibus in prædicabilibus dictum eſt ſatis, ſed ſiue iſtæ particulę definitiones ſint, ſiue non, vera ſunt omnia quæ ab Ariſtotele in illis, tam de primis ſubſtãtijs, quam de ſecundis dicta ſunt, vt fatentur hoc loco Philoſophi, & ex dictis & ex dicendis, conſtabit magis.

Sed cõtra obijcies primo, prima ſubſtantia eſt ſingularis, ſingulare non definitur, ergo. Reſpondetur primo, hanc non eſſe proprie definitionẽ. Secundo, ſingulare in communi poſſe optime definiri. Immo addo tertio, ſingulare etiam in particulari, vt quęſtione de indiuiduo dictũ eſt, definiri poſſe.

Cõtra ſecũdo, quia prima ſubſtãtia dicitur tãquã de ſubiecto, de Petro, & Paulo, ergo nõ cõuenit illi definitio, quod ſcilicet neq; in ſubiecto ſit, nec de illo dicatur: antecedens autem probatur, quia Petrus eſt prima ſubſtantia, & Paulus ſimiliter. Reſpõdetur, quod (vt etiã dixi capite de ſpecie) licet ratio indiuidui in communi, poſſit denominari vt quod, & accidentaliter ſpecies, reſpectu huius & illius, eſſentialiter tamen nõ eſt vniuerſalis, neq; adhuc exercet definitionẽ, ſcilicet q de vno tantũ prædicetur, ſed hoc conuenit huic vel illi indiuiduo, Petro ſcilicet aut Paulo, ſeu primę ſubſtantiæ in communi, ſicut in ſimili, in alijs ſæpe philoſophati ſumus.

Sed vrgebis, homo conſideratus ſecũdũ ſe, neq; eſt in ſubiecto, nec de ſubiecto dicitur, neque enim vt ſic prædicatur de aliquo, & tamẽ non eſt prima ſubſtantia, ergo definitio cõuenit alijs à definito. Reſpõdetur, verba illa definitionis non tantum dicere actũ, ſed aptitudinem, non inquam tantum dicunt negationem actus, ſed aptitudinis: licet autem homo non habeat prædicandi aut dicendi actum de ſubiecto, & de ſubiectis, habet tamen aptitudinem vt de Petro, tãquam de ſubiecto & de alijs indiuiduis dicatur. Sed cõtra redargue, ideo homo poteſt prædicari de primis ſubſtantijs, quia continet *illas*, ergo quia continentur in illo, ergo quia ſunt in illo, ergo iam prima ſubſtantia eſt in ſubiecto, quod tamen negabat prima definitionis particula. Reſpondetur, eſſe quidem non tãquã in ſubiecto inhęſiue, quod negabat definitio, ſed tanquã pars ſubiectiue in ſuo toto potentiali,

Digitized by Google

tentiali, quod non negabat, immo id aſſerebatur in definitione ſecundæ ſubſtantiæ, vbi primas ſubſtantias ſub ſecundis dicitur contineri.

Hic tamen aduertendum eſt, non ſumi indiuiduum in præſenti, ſecundum intentionem prædicabilis de vno, vt ſumpſimus capite de Specie, ſed ſecūdum negationē eſſendi in alio, & negationem vniuerſalis, ſeu non prædicabilis de pluribus (vt ibi iam dixi,) vel intellige, ſi mauis, non dici de ſubiecto aliquo propriè, ſed idētice. Similiter nō eſt intelligendus Ariſtot. niſi de indiuiduo completo, Petro ſcilicet. vt etiam capite de Specię explicui. Vnde ſi aliquando in indiuiduo exemplificat vago, pro aliquo determinato indiuiduo ſumit illud.

Deniq; vt pleraq; alia ſoluatis argumenta, aduertite. Per illam particulam quam addidit, *ſubſtantia directè ponibilis in prædicamento*, excludi ſubſtantias partiales, quæ tamen in hoc quod eſt, non eſſe in ſubiecto, nec de ſubiecto propriè dici, cum prima ſubſtantia cōueniebāt, excluduntur etiam differentiæ, & abſtracta differentiarum, quę videntur non eſſe in ſubiecto vt ſic, nec de ſubiecto dici. Per ly, *neque in ſubiecto eſt*, quod ſonat, non tantum non eſſe accidens, ſed eſſe ſubſtantiam primo & per ſe exiſtentem, quod neq; abſtractis vllis, nec ſecundis ſubſtantijs vt ſic, poteſt conuenire, ac denique per particulas adductas, facile erit quamlibet aliam ſubſtantiam, à ratione primæ diſtinguere.

Sed contra definitionem (ſi definitio dici poteſt) ſecundę ſubſtantiæ, argumentor in hac quęſtione. Genera & ſpecies potius dicenda ſunt primæ ſubſtantiæ, male ergo nominantur ſecundę. Antecedens probatur, illud eſt prius, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, ſed à ſecundis ſubſtantijs ad primas non valet, neque enim ſequitur eſt homo, ergo Petrus, ſecundæ ergo ſubſtantię primæ erunt, non ſecundę. Reſpondetur, quod licet in ratione eſſentiæ, priora ſint vniuerſaliora, at ſecundum hoc quod eſt ſubſtare, aut primo & per ſe exiſtere, prima ſubſtantia prior eſt, quia prius exiſtit & ſubſtat accidentibus, quam ſecunda, nam quia Petrus, eſt albus, homo eſt albus, & quia Petrus exiſtit, homo exiſtit.

Sed contra, ſaltim in paſſionibus, quæ ſunt accidentia propria prius, ſubſtant

tant ſpecies, quam indiuidua, ideo enim Petrus eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis. Reſpõdetur, & eſt notãdũ; quod licet principium, & radix paſſionum dicatur eſſentia ſpecifica, quia cum hæ propriæ paſſiones reperiãtur in omnibus, in quibus illa eſſentia ſpecifica inuenitur, illa debet cenſeri radix, non differentia indiuidualis, quæ eſt primo diuerſa in indiuiduis, & ideo indiuidua ab aliquibus non habere dicuntur proprias paſsiones: primum tamen ſubiectum inhæſsionis harũ paſsionũ ſunt indiuidua & quia ſubſtare ſumitur ab hoc ſubiecto inhæſsionis, ideo etiam debent dici primæ in ratione ſubſtandi, adhuc reſpectu harum paſsionum. Adde, rationem proprij vt ſpecificum eſt, eſſe quid rationis (vt dixi capite de proprio) ſubſtare autem accidentibus, vt ſic; aut per ſe exiſtere, quid reale eſt, quod poteſt prius conuenire indiuiduis.

Sed vrgebis, propriæ paſsiones dicuntur conuenire indiuiduis, medijs ſpeciebus, prius ergo ſpeciebus quã illis. Reſpõdetur, ideo dici hoc modo conuenire, nõ quod immediatius ſint in ſpecie, ſed quia ab ſpecie, quaſi a radice oriuntur ſpecifice, quia vero realiter, & vt ita dicam exiſtenter ſunt in indiuiduis, tamquam in ſubiecto, & tamquam in cauſa materiali: ideo dicũtur etiam ab aliquibus immediatius eſſe in indiuiduis, quam in ſpecie, de quorum numero eſt Fonſeca 5. Meth. c. 28. quæſt. 20. ſect. 2. & iure quidem, quia Ariſt. hìc abſolute docuit omnia accidentia in primis ſubſtãtijs primo eſſe, & de illis primo dici.

Sed cõtra obijcies ſecũdo, ſi ſpecies dicũtur ſecũdę ſubſtatiæ, genera ergo dicentur tertiæ. Reſpondetur, hanc appellationem ſecundę ſubſtantię, ſortiri prædicata ſuperiora, quia non exiſtunt à primis ſubſtantijs ſeparata, vt volebat Plato, quòd commune eſt ſpeciebus & generibus: ſicut enim ſecundum formaliter eſſentialiter, præſupponit primum, ita quia ſpecies & genera ſupponunt exiſtentia indiuidua vt realiter ſint, & à quibus abſtrahantur, appellantur ſecundæ, & indiuidua præſuppoſita appellantur primę, quidquid nomina ex impoſitione vim habeant, vnde hoc nomine tam ſpecies quam genera ex impoſitione ſignificant.

Ex quo ſolues aliud argumentũ, quare cum homo pluribus ſubſtet prædicatis, quã animal, & vtrumq; reſpectu ſuperiorum,

periorum, ſpecies ſit, dixerit Ariſt. inter ſpecies, vnam non eſſe magis ſubſtantiam ſecundam, quam aliã, ſecundæ enim ſubſtantiæ (reſponderi poteſt) non dicuntur ſecundæ ſubſtantiæ, quia pluribus ſubſtant, aut paucioribus, ſed quia non ſubſtant per ſe, ſed ratione primarum, in quo tamen omnes ęquales ſunt, licet ad prædicamentalem ſeriem attendentes, gradus animalis formaliter magis diſtet ab indiuiduis, quã gradus hominis, & in hoc ſenſu tãtum intelligi Ariſtotelem, qui aſſerit, ſpecies eſſe magis ſubſtantiam quam genera. Primæ etiã æquales ſunt in hoc, quod eſt per ſe ſubſtare.

Sed contra, ſpecies V.g. humana ſubſtat pluribus accidentibus, quam alia etiam ſpecies infima, V.g. equus, quia in diuiduo hominis plura prædicata conueniũt. V.g. eſſe ægrũ, ſanum, doctum, indoctum, Philoſophum, Grammaticũ, &c. Reſpondetur, hæc tantum conuenientia, eſt quaſi extenſiua, & multum accidentalis, & nõ ratione ſpeciei, vt ſic, quia aliàs hæc prædicata reperirentur in omnibus indiuiduis, prę cipue quia in hoc quod eſt ſubſtare ratione primarum, æquales ſunt; quod ſi Ariſt. 8. Meth. vniuerſalia docet, ſubſtantias magis eſſe quam ſingularia, vel loquutus eſt ex mente Platonis, vt docuit S. Tho. vel intelligitur cũ Magiſtro Soto eſſe magis ſubſtantias, id eſt magis abſtractas.

Tandem Notandũ eſt, quãdo Ariſt. dixit, deſtructis primis ſubſtantijs nihil aliorum remanere, intelligendus eſt quoad exiſtentiam, quia eſſentia & cõnexio prædicatorum eſſentialium, nullo exiſtente indiuiduo manet, (vt vidimus in ſũmulis) ſimiliter hæc Ariſtotelis propoſitio, intelligenda eſt cum Louanienſibus, primis ſubſtantijs anihilatis, & omnino deſtructis: aliàs falſa eſſet, deſtructo enim Petro, certum eſt rationale animal manere.

Notandum ſecundo, quod quando Ariſt. aſſeruit, accidentia ſolo nomine dici de primis ſubſtantijs, negat dici nomine & ratione eſſentiali, non vero nomine & ratione accidentali, de Petro enim non tantum dicitur album, ſed ratio albi (vt vidimus capite de accidenti.)

†

QVÆSTIO VLT.

Vtrum proprietates ſubſtantiæ ſint recte ab Ariſtotele aſsignatæ.

SEx numerantur ab Ariſtotele proprietates ſubſtantiæ, quæ omnes nõ ſunt proprietates quarto modo, immo neque in rigore proprietates, ſed quaſi explicationes primę & ſecundæ ſubſtantiæ, quas oportet ſigillatim examinare.

Primæ ſubſtantiæ proprietas eſt, *Non eſſe in ſubiecto*, intellige tanquam accidens, & hoc modo omni ſubſtantiæ (etiam tranſcendentaliter ſumpta ſubſtantia) conuenit, immo ſoli, & ſemper, ac proinde eſt proprium quarto modo, niſi negationis ratio, proprietatis in rigore tollat rationem; alio autem modo bene poteſt ſubſtantia eſſe in ſubiecto, ſicut forma ſubſtãtialis in materia prima, vel ſicut ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur ab Ariſtotele eſſe in primis. Sed contra dices: Accidentia in concreto V. g. *album* non videntur eſſe in ſubiecto, ergo conuenit illis hæc proprietas, ac proinde nõ conuenit ſoli ſubſtantiæ. Reſpondetur, quod album de formali tantum dicit albedinem, quæ vere eſt in alio: immo in modo ſignificãdi, ſignificatur prout adiacet alteri, ſecũdum autem id quod de materiali connotat, ſcilicet corpus aut habens albedinem, ſubſtantia eſt, non accidens & hoc modo non eſt in alio.

Secunda proprietas, quæ cõuenit ſecundis ſubſtantijs, & earum differentijs, non tamen accidẽtibus, eſt, *quod vniuoce, ſeu nomine & ratione, prædicetur de prima ſubſtantia*, quod intellige vniuoce eſſentialiter iuxta iam dicta, quia prædicari vniuoce accidẽtaliter poteſt conuenire accidenti (vt vidimus) ſed neque hæc proprietas adhuc hoc modo explicata, eſt propriũ quarto modo harum ſubſtantiarum, nam ſubſtantiæ etiam incompletæ prædicantur vniuoce, etiam de ſuis indiuiduis, niſi nomine primæ ſubſtantiæ (de qua debent ſubſtantiæ in hac pro-

prie-

prietate prædicari) primam ſubſtãtiam omnino integram & completam, Petrum V.g. intelligendam eſſe, fatearis.

Tertia proprietas. *Prima ſubſtantia ſignificant hoc aliquid, ſecundæ vero ſignificant quale quid.* Pro cuius explicatione. Notandum eſt, quod licet *aliquid* quodcumque ens dicat, ſiue ſubſtantiam ſiue accidens nihilominus antonomatice ſumitur pro natura ſubſtantiali, cui ſi addatur ly *hoc* quod demonſtrat ſingulare, idem erit, primam ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid, quam ſignificare naturam ſubſtantialem cõpletam, per ſe ſubſiſtentem & ſingularem, & hoc modo proprium eſt primæ ſubſtantiæ quarto modo, vt per ſe patet. *Quale* etiam, licet communiter qualitatem ſignificet, addendo ly *quid* quod idem eſt quod *aliquid* quod antonomatice (vt dixi) pro natura ſumitur ſubſtantiali, eſt idem quod dicere, ſecundæ ſubſtantiæ ſignificant naturam ſubſtantialem, quæ non exiſtit per ſe, ſed in indiuiduis, ſicut forma & qualitas, quæ in materia, aut in ſubiecto exiſtit, in quo quia ſignificant naturam exiſtentem in indiuiduis, formæ & qualitati aſsimilantur: neque ad iſtum modum ſignificationis, neceſſe eſt nomine connotatiuo, quod tamen proprium eſt differentijs ſubſtantialibus, non vero ſecundis ſubſtantijs, quæ ſignificantur nomine abſoluto, ſignificari, ſed ſufficit, quod ſignificent naturam vniuerſalem, quæ ex conſequenti vt ſic, non per ſe exiſtit, ſed in indiuiduis.

Quarta proprietas eſt, *Non habere contrarium*, quod intelligendum eſt, de Phiſica, proproprijſsima, & reali contrarietate, quia tamen proprie dicuntur contrariæ duæ formæ poſitiuæ, quæ ſimul exiſtentes in eodem ſubiecto, ab eodem mutuo ſe expellunt, vt calor & frigus, qui contrarietatis modus proprie loquendo, non conuenit ſubſtantialibus formis, licet improprie aliquæ formæ ſubſtantiales contrariæ dici poſsint, in quantum incompoſsibiles ſunt, vt forma hominis & cadaueris, de quo late in Phiſica. Poſſunt etiam dici radicaliter & originatiuè contrariæ, quia ſunt radices qualitatum perfectiſsimè contrariorum, vt forma ignis & aquæ, radicaliter contrariæ dici optime poſſunt, quia ſunt principia contrariarum qualitatum, ſcilicet frigoris & caloris, & hãc proprietatem cõuenire etiam

quãtitati docuit Ariſt. de quo ſequenti capite dicam.

Quinta proprietas eſt. *Subſtantiam non ſuſcipere magis, aut minus.* Circa quam, Notandum eſt, quod ſuſcipere magis aut minus, proprie & vt hic loquitur Ariſt. eſt intendi aut remitti per maiorem, aut minorem ſubiecti radicationem, qua ratione lumen magis actuat hoc medium meridie, quam mane, & calor eo dicitur magis intendi in ligno, quo magis radicatur in illo, (de quo in libris de generatione dicendum eſt.) Cum ergo per radicationem in ſubiecto, hæc intenſio fiat, & ſubſtantiæ non conueniat eſſe in ſubiecto, non conueniet magis aut minus radicari in illo, quod eſt intendi aut remitti, magis aut minus ſuſcipere.

Ex quo fit plane primo, Ariſtotelem non loqui de ſubſtantia in ratione ſubſtandi, quia vt ſic, ipſe fatetur primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam (ecce magis aut minus) quam ſecundam. Fit ſecundo, non loqui de perfectione eſſentiali ſubſtantiæ, cõſtat enim ſic vnam ſubſtantiam in ſua entitate eſſentiali, perfectiorem eſſe alia: patet enim Deum perfectiorem ſubſtãtiam eſſe quam creaturam, & inter creaturas, ſpirituales quam corporales, ſed adhuc hæc proprietas ſic explicata, non eſt proprium quarto modo, quia conuenit quantitati, in qua non eſt intenſio & remiſſio.

Sexta deniq; & vltima proprietas eſt *quod ſubſtantia vna numero, ſit ſuſceptiua contrariorum*, quod intellige, non de contrarijs omnino & riguroſe, ſed largo modo ſumptis, quà ratione Angeli, & cœli contrariorum ſunt ſuſceptiui, (vt vidimus) quæ proprietas tantum conuenit primæ ſubſtantiæ, quia illa tantum eſt vna numero, non vero ſecundis ſubſtantijs, quæ ſunt vnum genere aut ſpecie, intellige etiã ſubſtantiam dici ſuſceptiuam contrariorum, tanquã primũ & præcipuum ſubiectũ, quod maxime a contrarijs qualitatibus denominatur: licet enim albedo & nigredo, ſubſtantiæ media quantitate inhæreant, & ſimiliter ſiccitas & humiditas, frigiditas & calor, etiam error aut ſcientia in intellectu ſint, nihilominus ſubſtantia eſt quæ dicitur alba, frigida, errare, aut ſcire, odio proſequi, aut amare, &c.

Dici-

Dicitur autem primum & præcipuum ſubiectum contrariorum, eo quod illa ſuſcipit, per ſe exiſtens & non in alio ſuſcepta, reliqua vero accidentia, vt quãtitas, intellectus, &c. non ſuſciperent cõtrarias qualitates, niſi prius ipſa ſuſciperentur in ſubſtantia, & ab illa ſuſtentarentur. Intelligenda etiam eſt hæc proprietas naturaliter loquendo, ſuper naturaliter enim, ſicut quantitas poteſt per ſe exiſtere, ita etiam accidentia contraria ſuſcipere, vt colorem, frigus, &c. Per quod plura ſoluentur argumenta.

Sed contra poteſt obijci. Anima ſeparata a corpore, recipit accidentia contraria vt quod, amat enim, & odio habet, & tamen non eſt prima ſubſtantia, ſed pars eius, ergo. Reſpondetur, peculiare hoc eſſe animæ rationali, vt a corpore ſeparata, quoddammodo rationem habeat primæ ſubſtantiæ, cum per ſe exiſtat, de quo in libro de anima. Addo etiã, quod anima iuxta naturam ſuam, dicit ordinem ad corpus quod informabat & actuabat, ex quibus ſubſtantia prima cõponebatur, vnde ſemper quodammodo dicit ordinẽ ad ſubſtantiam primam completam.

Tandem, pro huius capitis & quæſtionis cognitione completa. Aduertendum eſt, aliam enumerari proprietatem ſubſtantiæ ab Ariſt. 7. Meth. cap. 1. tex. 41. ſcilicet, quod ſit prior accidentibus, natura, ratione, cognitione, & tempore. Natura eſt prior, quia eſt cauſa accidentium ab eis independens: cognitione, quia cognitio ſubſtantiæ rei, magis habenda eſt quam accidentium, vt per ſe patet. Tum, quia ſecundum ſe, prior eſt ſubſtantia ex natura rei, quam accidentia, ita ſecundum ſuam naturam prius eſt cognoſcibilis, licet ab hominibus quia ſenſibiles ſunt, & cognitio eorum incipit a ſenſibus, prius accidentia ſenſibilia, quam inſenſibiles ſubſtantiæ percipiant, ſed hoc per accidens eſt, propter noſtram inperfectionem. Ratione etiam, (ideſt) definitione prior eſt, quia accidentia per ſubſtantiam definiri debent, non è contra, (vt vidimus ſupra.) Tandem, prior tempore ſubſtantia dicitur, vel vt voluit Alexander Alenſis, quia diuina ſubſtantia cum omni careat accidenti, omni eſt accidenti prior, quod non eſt ad mentem Philoſophi. Dici etiam poteſt, prior tempore ſubſtantia, quia nullum accidens potuit præcedere

ſubſtantiam, in qua eſt, at vero quæuis ſubſtantia tempore præcedit ſua accidentia, licet non omnia, ſaltim aliquæ, ea ſcilicet quæ non ſunt illi cognita, & ideo dixi initio huius capitis, aliquo modo eſſe priorem tempore accidentibus, & hæc de hoc capite.

Sed quia de accidenti prædicamentali iam deinceps agendum eſt, poſtquam in prædicabilibus, ea quæ prædicabilibus accidentibus communia ſunt, explicuimus: explicemus oportet modo, antequam ad quodlibet accidens prædicamentale in particulari explicandum accedamus, ea quæ illis communia ſunt, tum, quia hoc ad illorum cognoſcẽdam naturam apprime neceſſariũ eſt, tum, quia in capite de accidenti hoc nos facturos ſumus polliciti, vt ergo ſtemus promiſsis, ſit quaſi proœmialis ad Cathegorias accidentium.

QVÆSTIO.

Quæ ſit eſſentia Accidentiũ, quæ ve eorum exiſtentia, & de alijs ad hoc ſpectantibus.

SVpponendum eſt. Inhærentiam, aliam eſſe actualem, aliam aptitudinalẽ, actualis, eſt modus quidam, per quẽ accidens innititur actualiter ſubiecto, & eſt in illo, vt ab eo ſuſtentetur, reſpondens proportionaliter ſubſiſtentiæ in ſubſtantia, quæ eſt modus quidam, per quem actualiter & complete, ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens; ſic inhærentia actualis, eſt modus per quem actualiter natura accidentis eſt in alio, inhærentia vero aptitudinalis nihil eſt aliud, quam aptitudo eiuſdem naturæ accidẽtalis ad actu inhærendum ſubiecto, vt ſi Deus ſeparet accidens a ſubiecto, peribit modus actualis inhærentiæ eius, per quem actu inhærebat ſubiecto, manet tamen aptitudinalis inhærentia, quia accidens ſeparatum, adhuc aptum eſt ſubiecto illi inhærere.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ſuppoſito, quantum attinet ad primum de accidentis eſſentia. Prima ſententia fuit Aberroes & Ianduni, q. 1. lib. 7. Meth. Ioannis Bachonis in 1. diſt. 28. aſſerentium, vtramq; inhærentiam actualem & aptitudinalem, eſſe de eſſentia accidentis. Quod inhærentia aptitudinalis de eius eſſentia ſit, probatur infra aperte. Quod autem eſt actualis, probatur primo ex Ariſt. multis in locis, qui ita hoc videtur aſſerere, vt exiſtimet Maſius, in hac omnino fuiſſe ſententia Ariſtotelem, ſcilicet inhærentiam actualem de eſſentia accidentis eſſe. Primo enim 7. Meth. cap. 1. accidentis (inquit) eſt ineſſe, vbi videtis de præſenti *ineſſe* dixiſſe, ac proinde actualiter. Et 1. Phiſicor. cap. 7. pro maximo colligit abſurdo, accidentia eſſe a ſubiecto ſeparabilia, quod certe abſurdum nõ eſſet, ſi aptititudinalem tantũ inhærentiam, quæ ſine actuali poteſt optime ſaluari, de eſſentia accidentis conſtitueret. Secundo probatur ratione, modus conſtitutiuus accidentis eſt eſſe in alio, ſed eſſe in alio, idem eſt quod actu inhærere, quando enim non inhæret, nõ eſt in alio, ergo inhærentia actualis eſt de eſſentia accidentis.

Secunda ſententia eſt in alio extremo. Nullam inhærentiã, neque actualem, neque aptitudinalem, de eſſentia accidentis conſtituens. Hãc tenet Scotus in 4. diſt. 12. q. 1. & 7. Meth. q. 1. cum ſequuntur ibidẽ Ant. And. & Trombeta, Nicolaus Venetus, in ſua Metaph. & ex Thomiſtis in hanc deflexêre ſententiam, Sonzinas. 7. Meth. q. 1. & Flandrẽſis. q. 1. ar. 5. ductus eſt author iſte hoc argumẽto, & ſit primum huius ſententiæ.

Sine eo quod eſt de eſſentia rei, non poteſt concipi res vllo modo, ſed accidentia in abſtracto concipiuntur ſine actuali & aptitudinali inhærentia, hæc ergo non erunt de eſſentia accidentis. Confirmo argumentum iſtud primo, Mathematici conſiderant quantitatem ſine ſubſtantia, ergo ſine inhærentia, conſequentia probatur, quia ſi conſideratur cũ inhærentia, debet conſiderari cum inhærentia in ſubſtantia, quia non hæret alibi; ergo ſi conſideratur ſine ſubſtantia, conſideratur ſine inhærentia. Confirmatur, ſecundo. In demonſtratione, quando paſsio concluditur de ſubiecto. V. g. riſibile de homine, intelligitur paſsio in præmiſsis, & non in ſubiecto, quia hoc concluditur in concluſione, ergo poteſt intelligi accidens ſine inhærentia,

Digitized by Google

ſubſtantiam, in qua eſt, at vero quæuis ſubſtantia tempore præcedit ſua accidentia, licet non omnia, ſaltim aliquæ, ea ſcilicet quæ non ſunt illi cognita, & ideo dixi initio huius capitis, aliquo modo eſſe priorem tempore accidentibus, & hæc de hoc capite.

Sed quia de accidenti prædicamentali iam deinceps agendum eſt, poſtquam in prædicabilibus, ea quæ prædicabilibus accidentibus communia ſunt, explicuimus: explicemus oportet modo, antequam ad quodlibet accidens prædicamentale in particulari explicandum accedamus, ea quę illis communia ſunt, tum, quia hoc ad illorum cognoſcẽdam naturam apprime neceſſariũ eſt, tum, quia in capite de accidenti hoc nos facturos ſumus polliciti, vt ergo ſtemus promiſsis, ſit quaſi proœmialis ad Cathegorias accidentium.

QVÆSTIO.

Quæ ſit eſſentia Accidentiũ, quæ ve eorum exiſtentia, & de alijs ad hoc ſpectantibus.

SVppDnendum eſt. Inhærentiam, aliam eſſe actualem, aliam aptitudinalẽ, actualis, eſt modus quidam, per quẽ accidens innititur actualiter ſubiecto, & eſt in illo, vt ab eo ſuſtenetur, reſpondens proportionaliter ſubſiſtentiæ in ſubſtantia, quæ eſt modus quidam, per quem actualiter & complete, ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens; ſic inhærentia actualis, eſt modus per quem actualiter natura accidentis eſt in alio, inhærentia vero aptitudinalis nihil eſt aliud, quam aptitudo eiuſdem naturæ accidẽtalis ad actu inhærendum ſubiecto, vt ſi Deus ſeparet accidens a ſubiecto, peribit modus actualis inhærentiæ eius, per quem actu inhærebat ſubiecto, manet tamen aptitudinalis inhærentia, quia accidens ſeparatum, adhuc aptum eſt ſubiecto illi inhærere.

Hoc

Hoc ſuppoſito, quantum attinet ad primum de accidentis eſſentia. Prima ſententia fuit Averroes & Ianduni, q. 1. lib. 7. Meth. Ioannis Bachonis in 1. diſt. 28. aſſerentium, vtramq; inhærentiam actualem & aptitudinalem, eſſe de eſſentia accidentis. Quod inhærentia aptitudinalis de eius eſſentia ſit, probatur infra aperte. Quod autem eſt actualis, probatur primo ex Ariſt. multis in locis, qui ita hoc videtur aſſerere, vt exiſtimet Maſius, in hac omnino fuiſſe ſententia Ariſtotelem, ſcilicet inhærentiam actualem de eſſentia accidentis eſſe. Primo enim 7. Meth. cap. 1. accidentis (inquit) eſt ineſſe, vbi videtis de præſenti *ineſſe* dixiſſe, ac proinde actualiter. Et 1. Phiſicor. cap. 7. pro maximo colligit abſurdo, accidentia eſſe a ſubiecto ſeparabilia, quod certe abſurdum nō eſſet, ſi aptititudinalem tantū inhærentiam, quæ ſine actuali poteſt optime ſaluari, de eſſentia accidentis conſtitueret. Secundo probatur ratione, modus conſtitutiuus accidentis eſt eſſe in alio, ſed eſſe in alio, idem eſt quod actu inhærere, quando enim non inhæret, nō eſt in alio, ergo inhærentia actualis eſt de eſſentia accidentis.

Secunda ſententia eſt in alio extremo. Nullam inhærentiā, neque actualem, neque aptitudinalem, de eſſentia accidentis conſtituens. Hāc tenet Scotus in 4. diſt. 12. q. 1. & 7. Meth. q. 1. eum ſequuntur ibidē Ant. And. & Trombeta, Nicolaus Venetus, in ſua Metaph. & ex Thomiſtis in hanc deflexêre ſententiam, Sonzinas. 7. Meth. q. 1. & Flandrēſis. q. 1. ar. 5. ductus eſt author iſte hoc argumēto, & ſit primum huius ſententiæ.

Sine eo quod eſt de eſſentia rei, non poteſt concipi res vllo modo, ſed accidentia in abſtracto concipiuntur ſine actuali & aptitudinali inhærentia, hæc ergo non erunt de eſſentia accidentis. Confirmo argumentum iſtud primo, Mathematici conſiderant quantitatem ſine ſubſtantia, ergo ſine inhærentia, conſequentia probatur, quia ſi conſideratur cū inhærentia, debet conſiderari cum inhærentia in ſubſtantia, quia non hæret alibi, ergo ſi conſideratur ſine ſubſtantia, conſideratur ſine inhærentia. Confirmatur, ſecundo. In demonſtratione, quando paſsio concluditur de ſubiecto. V. g. riſibile de homine, intelligitur paſsio in præmiſsis, & non in ſubiecto, quia hoc concluditur in concluſione, ergo poteſt intelligi accidens ſine inhærentia,

tia,ac proinde hæc nõ erit de eſſentia eius. Secũdum. Relatiuum non poteſt eſſe de eſſentia abſoluti, ſed ordo accidentis ad ſubiectum, quid relatiuum eſt, ergo non eſt de eſſentia abſoluti, at omnia ferè accidentia abſoluta ſunt. V. g. quantitas, qualitas, &c. ergo inhærentia ſeu ordo ad ſubiectum, non eſt de eſſentia accidentis. Tertium vrgentius; & hoc corroboro. Quia vel hæc eſſentia eſt quid abſolutũ, vel quid relatiuum, ſi abſolutum, ergo non conuenit accidentibus relatiuis, quæ ſub relatione continentur: ſi relatiuum, ergo non conuenit abſolutis, ac proinde non poterit eſſe de eſſentia accidẽtis vt ſic. Quartum, inhærentia aptitudinalis eſt potentia ad inhærendum, ergo omnia accidentia pertinent ad ſecundam ſpeciẽ qualitatis, quæ eſt naturalis potentia, quod tamen omnino falſum eſt.

His tamen non obſtãtibus. Dico primo in hac quæſtione: Inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis, non actualis. Hæc ſecunda pars nulli fidelium debet eſſe dubia, etenim in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, quantitas eſt ſine aliquo ſubiecto, ac proinde ab illa actualis inhærentia eſt ſeparata, at quod eſt de eſſentia rei, ſeparari a re nequit etiam per diuinam potẽtiam; ergo.

Quod autem aptitudinalis inhęrentia de eius eſſentia ſit. Probatur primo, authoritate S. Th. 3. p. q. 77. ar. 1. & in 4. diſt. 12. q. 1. ar. 1. & 7. de ente & eſſentia, & ibi Caietan. Ferrara 4. contra gentes c. 65. Iabellus Aquarius, Sueſanus. 7. Meth. q. 1. Capreolus in 4. diſt. 12. Herbeus quodlibeto. 4. q. 9. Petrus Niger. 1. p. Clipei. q. vltima, Aſtudillo. 1. de generatione. q. 5. Iuſtin. lib. 2. cap. 8. §. 2. Pater Maſius in præſenti, Francisc. Suarez tom. 3. 3. p. ſupra locũ citatum S. Thom. vbi Ariſtotelis loca recte explicat.

Probatur ſecundo ratione, quia (vt diximus diſputatione de Analogia) ſicut ſe habet eſſe per ſe ad ſubſtantiam, ita ad accidens eſſe in alio, ſed eſſe per ſe aptitudine, non actu, eſt de eſſentia ſubſtantiæ, (vt capite de ſubſtantia dixi) ergo de accidentis ratione erit eſſe in alio aptitudine, non actu. Confirmatur, de ratione accidentis eſt eſſe in alio aliquo modo, non actualiter vt in prima concluſionis parte probaui, ergo aptitudinaliter, per quod manet ſoluta ratio primæ ſententiæ, licet enim eſſe in alio actualiter, ſit idem quod actu inhærere, eſſe tamen in alio apti

aptitudinaliter, quæ eſt accidentis eſſentia, non eſt idem. Probatur tertio, quia ſi nulla inhærentia eſt de eſſentia accidentis; nullum dicit ordinem ad ſubſtantiam; poterit ergo accidens definiri ſine ordine ad illam, quod & ſupra vidimus eſſe falſum, & eſt expreſſe contra Ariſt. 7. Meth. Immo ſequitur, non tantum poſſe deſiniri ſine ordine ad illam, ſed non poſſe definiri cum ordine ad illam, ſaltim eſſentiali definitione. Patet, quia nihil poteſt eſſentialiter definiri, per illud quod non eſt de eius eſſentia, ſed ordo ad ſubſtantiam non eſt de eſſentia accidentis per te, ergo non poterit definiri per illam. Vltimo, non eſſe in alio actu, neque aptitudine, habet proprietatem ſubſtantiæ, ac proinde erit per ſe, quæ eſt ſubſtantiæ eſſentia, ab hac enim, negationem illam non eſſendi in alio, quaſi per quandam ſubſtantiam oriri diximus, erit ergo ſubſtātia, quod quam ſit abſurdum, probatione non eget. Addo, accidens neceſſario debere habere aliquem modum entis, non eſſe per ſe, quia non eſt ſubſtantia, ergo eſſe in alio, non actu vt probaui, igitur aptitudine.

Ad Ariſtotelis loca pro prima ſententia adducta, Reſpondetur. Ad primum, omnia illa intelligenda eſſe de inhærentia aptitudinali, quod autem accidentia eſſe ſeparabilia, reputet inconueniens, ideo eſt, quia naturaliter loquēdo, maximum inconueniens eſt, immo fieri non poteſt hoc modo, ſine ſua exiſtentia aut actualitate aliquid eſſe: præcipue quia cum Ariſtoteles, ſupernaturali lumine non fuerit perfuſſus, naturaliter ſemper eſt loquutus, non alio modo.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ. Ad primum, accidens in abſtracto ſemper dicere ordinem ad ſubiectum, ſaltim implicitum. Vel ſecundo dici poteſt, accidentia poſſe ſumi, vel ſecundum rem, vel ſecundum modum ſignificandi: ſecundum rem, ſemper dicunt inhærentiam; ſecundum autem modum ſignificandi, poſſunt illam non denotare, quando ſcilicet ſignificantur per modum ſubſtantiæ, vt in abſtracto, ſicut ſubſtantia V. g. rationale, ſignificatur per modum alteri adiacentis, licet vere exiſtat per ſe, ſemper tamen virtualiter intelligitur, eo ipſo quo intelligitur albedo aut color, aptitudi-

Digitized by Google

nalis inhærentia ibi incluſa. Ad primam confirmationem Reſpondetur. Mathematicum conſiderare quantitatem in ſubſtantia, licet non conſideret ſubſtantiam calidam aut frigidam, aut cum alia ſenſibili qualitate, quod eſt abſtrahere a materia ſenſibili, non vero ab intelligibili (ideſt) a ſubſtantia, quatenus qualitatibus ſenſibilibus eſt affecta, non vero quatenus intelligibilis eſt. Et hinc intelligetis id quod communiter dici ſolet, Mathematicum abſtrahere, a materia ſenſibili, non vero ab intelligibili. Ad ſecundam confirmationem Reſpondetur, quod ſicut paſsio in præmiſsis confuſſe cognoſcitur, ſecundum quod eſt accidens, & in concluſsione diſtincte: ſic in præmiſsis cognoſcitur confuſſe habitudo eius ad ſubiectum, in concluſsione vero diſtincte. De quo in libris Poſteriorum.

Ad ſecundum argumētum Reſpōdetur. Duplicem eſſe relationem (vt in capite de relatione dicam) vnam tranſcendētalem, quæ relatio ſecundum dici dici ſolet, quaſi denotetur, non eſſe vere relationem, ſed tantum ſic nominari, quia veræ relationi aſsimulatur; & hæc dicit ordinem ad ſubiectum, non ad terminū: quæ cum omnia accidentia tranſcēdat (propter quod tranſcendentalis dicitur) vere eſt de eſſentia abſoluti. Alia eſt relatio prædicamentalis, ſeu relatio ſecūdum eſſe, quæ eſt ad terminū, vt relatio Patris ad filium; neque enim Pater ad filium refertur tanquam ad ſubiectum, ſed vt ad terminum: inhærentia autem eſt de numero primarum relationum, non ſecundarum.

Sed cōtra. Ordo accidentis ad ſubiectum in accidentibus rationis, conſtituit relatiuum ſecundum eſſe, quare ergo nō in accidentibus realibus? Antecedens probatur; quia accidens Quintum Prædicabile dicit relationem vniuerſalis in ordine ad ſubiecta, ſed relatio vniuerſalis eſt relatio ſecundū eſſe, ergo in accidentibus rationis eſt iſta relatio in ordine ad ſubiecta. Reſponderi ſolet, quod accidentia realia dicunt ordinem ad ſubiectum, non vt ad terminum, ſed vt ab eo a quo dependent, ac proinde quod illis aliquomodo præſupponitur, & eſt prius ſaltim natura; Quintū autem Prædicabile dicit ordinem ad ſubiectum denominationis, vt ad pure terminum ſimultaneum cum relatione accidentis, nam ſimul quod album denominatur accidens, reſpectu hominis homo denominatur ſubiectū acci-

accidentale illius, quod vt ſic præciſſe pure terminat relationem accidentis, non vero eſt ſubiectum illius. Hoc ita communiter dici ſolet, ſed certe meo videri perobſcure, vnde licet id quod dicere intendũt verum ſit, modum tamen quo illud explicant non ſatis intelligo. Reſpondetur ergo, quod in relatione accidentis Quinti Prædicabilis, V. g. in albo reſpectu hominis, & equi, poteſt conſiderari duplex ordo, alius Phiſicus, alius Logicus, Phiſicus, eſt ordo quem dicit albedo Phiſice ad ſubiecta Phiſica in quibus eſt, & iſte ordo tantum eſt relatio ſecundũ dici, ſeu tranſcendentalis, de qua nuper dictum eſt. Alius eſt ordo Logicus, in hoc ordine Phiſico fundatus, quo album conſideratur vt vniuerſale reſpectu ſubiectorum, hæc autem ſubiecta quia Phiſice ſuſtentabant accidens, ſubiecta dicuntur; quatenus vero præciſſe terminant relationem vniuerſalis, inferiora accidentalia; nec enim relatio vniuerſalis vt ſic, eſt in illis inferioribus tanquam in ſubiecto, ſed in ipſo albo. Præcipue, quia in ipſis eſt relatio ſubijcibilis & inferioris. Vniuerſale ergo Quintum Prædicabile Logice loquendo non refertur, ad ſubiecta formaliter vt ſubiecta, ſed vt ad inferiora & terminos.

Ad tertium Reſpondetur, aptitudinalem inhærentiam, neque eſſe quid abſolutum, neq; quid relatiuum vt ſic; ſed abſtrahere ab vtroque; ſicut omnes rationes ſuperiores abſtrahunt ab inferioribus, quæ ratio comparata ad accidentia relatiua, in illis eſt relatiua, in abſolutis autem abſoluta. Ad quartum Reſpondetur, hanc potentiam, nõ eſſe de illis quæ pertinent ad prædicamẽtum qualitatis, vt ibi explicabo.

Sed vt ad id quod ſecundo loco inquirit quæſtio accedamus. Dico in hac quæſtione Secundo: Accidens veram habet exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ; patet, quia habet propriam eſſentiam, a ſubſtantiæ eſſentia diuerſam, ergo & exiſtentiam: quia exiſtentia eſt modus eſſentiæ, ergo vbi eſt diuerſa eſſentia, erit diuerſus eſſentiæ modus, ac proinde diuerſa exiſtentia. Secundo, per eſſentiam exiſtentia ſpecificatur, illa enim eſt exiſtentia equi V. g. quæ eſſentiam terminat equi, ſed eſſentiæ ſpecificantes ſubſtantiæ, & accidentis diuerſæ ſunt, ergo & exiſtentiæ ſpecificæ diuerſæ erunt. Verum eſt, hanc exiſtentiam accidentis non eſſe ſimpliciter vocandam exiſtentiã,

ſed

ſed ſecundum quid, ſicut accidens, non appellatur ab Ariſt. 7. Meth. cap. 2. ſimpliciter ens, ſed entis ens. Adde, exiſtentiã quæ eget alterius ope vt ſit, nõ eſſe ſimpliciter exiſtentiã, ſed exiſtentia accidentiũ indiget exiſtentia ſubiecti, vt ſit, ergo non eſt dicenda ſimpliciter exiſtentia.

Ex quo infero, & dico tertio. Exiſtentia accidentium, nihil eſt aliud quã vnio, vel inhærẽtia actualis in ſubiecto, quæ in exiſtentia nuncupatur: ideſt inhærentia in alio. Probatur primo, exiſtentia accidentis eſt actus, quia omnis exiſtentia actus eſt, cum actuet eſſentiam: ergo vel alteri inexiſtens vel per ſe exiſtens; ſeu vt proprius loquar, vel dans accidenti actu per ſe exiſtere, vel in alio, non primum vt per ſe patet, ergo ſecundum. Secundo, ſicut ſe habet eſſe per ſe ad ſubſtãtiam, ita eſſe in alio ad accidens, ſed exiſtentia ſubſtantiæ eſt eſſe per ſe actu, ergo exiſtentia accidentis, eſt actu eſſe in alio, ſeu actu inhærere, quod idem eſt. Tertio, exiſtentia eſt id quo res à parte rei eſt extra ſuas cauſas, ſed accidens eſt à parte rei extra ſuas cauſas per inhærentiã actualem, hæc ergo erit eius exiſtentia.

Sed contra argumentor, accidentia in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento exiſtũt propria exiſtentia accidentium, at non alteri inexiſtunt, ſeu vniuntur, ergo inexiſtentia non erit actualis inhærentia. Reſpondetur, nos loqui de exiſtentia naturali accidentium, quæ naturaliter ab ipſorum eſſentia fluit, quando ſuæ naturæ relinquuntur; in Sacramẽto autem Euchariſtiæ, accidentia non exiſtunt per aliquam exiſtentiã naturalem, ſed miraculoſam; quæ an ſit ſola manutenentia Dei, vel modus aliquis per modum ſubſtantiæ illis collatus, res eſt Theologa. 3. p. q. 77. ar. 1. tractanda, ac proinde hic, prætermittenda.

Sed contra. Deus non poteſt ſupplere vices materiæ neque formæ, vt omnes cenſent Theologi; ſed ſubiectum concurrit in genere cauſæ materialis ad inexiſtentiam, ergo accidens non poteſt ſine ſubiecto exiſtere. Reſpõdetur. Tres actus in materia poſſe diſtingui, ſcilicet vniri cum forma, totum cõponere, & formam ſuſtentare. Quamuis ergo Deus optimus maximus non poſsit ſupplere vices materiæ ratione primi & ſecundi actus, quia neq; poteſt vniri cum forma, neq; poteſt totum componere, quia hoc dicit imperfectionem, poteſt tamen ſuſtentare formam,

non

Digitized by Google

non per informationem, ſed vel per manutenentiam, vel alio modo; & ita poteſt optime vices ſubiecti, vel ſuſtentantis accidentia, ſupplere, vt in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.

Sed dubitari rurſus poteſt: An iſta inexiſtētia accidentis, ſit quid ab eius eſſentia diſtinctum. At hic non poteſt omnino commode hoc explicari, quo vſq; de differentia inter eſſentiam & exiſtentiam in communi, poſtea diſputemus commodius.

Dico tamen in hac quæſtione quarto. Ad minus tanquam modum rei a re, ab eſſentia accidentis eſſe diuerſam. Probatur primo authoritate S. Thomæ aſſerentis exiſtentiam in creaturis re ipſa differre ab eſſentia, ergo in accidentibus. Probatur ſecundo, quando ex duobus vno pereunte remanet alterum, duo illa aliquo modo re diſtinguuntur, alioquin idem periret, & non periret, remaneret & non remaneret, ſimul eſſet, & nō eſſet, at pereunte actuali inhærentia accidentium in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, remanet aptitudinalis, quæ eſt eſſentia; ergo ad minus diſtinctione modi rei a re, diſtinguūtur.

Sed contra obijcies. Inhærētia illa ſeu inexiſtentia, vel eſt ſubſtantia vel accidens: nō primum, vt patet, ergo ſecūdum: ergo inhæret alteri, quia accidentis eſſe eſt ineſſe: ergo media alia inexiſtentia, aut inhærentia, de qua rurſus inquiram eodem modo, an ſit ſubſtantia vel accidens, & ſic in infinitū. Reſpondetur, proprie & per ſe loquendo, inexiſtētiam illam non dici accidens, ſed actum, terminum, & modum accidentis, & ita non inhærebit media alia inhærentia, ſed erit id ratione cuius omnia accidentia ſubiecto inhæreant, & ſe ipſa inexiſtet *vt quo*, ſicut enim exiſtentia ſubſtantiæ, non exiſtit per aliam exiſtentiam, ſed ſe ipſa exiſtit *vt quo* ita inexiſtentia accidentis, non inexiſtit alia, ſed ſe ipſa inexiſtit, *vt quo*.

†

CA-

CAPVT VI.

DE QVANTITATE.

SECVNDVM Quantitati debitum locũ, tribuit illi Philoſophus, nõ quia perfectior ſit reliquis accidentibus, nec omnino prior omnibus illis, nam qualitates (præcipue ſpirituales) & priores ſunt quantitate, & illa etiam perfectiores. Sed primo quia magnam habet cum ſubſtantia affinitatem, nã neque habet contrarium, neque ſuſcipit magis, aut minus, quod etiam diximus conuenire ſubſtantiæ, qualitas autem proprie habet contrarium, & propriè etiam ſuſcipit magis aut minus. Secundo, quia inſtitutum Ariſtotelis in his prædicamentis, præcipue eſt, agere de ſubſtantia corporea, & materiali, eo quod vicinior ſit illa noſtris ſenſibus, ipſisque facilior ad cognoſcendum. Tertio, quia immediatius inhæret ſubſtantiæ, alia autem ſenſibilia accidentia media quantitate, & ita dici ſolet accidentium *ſubiectum quo*. Eſt autem huius capitis.

SVMMA TEXTVS.

TRes qnãtitatis diuiſsiones explicare, & tres item proprietates. Prima diuiſsio. Quantum, aliud per ſe, vt ipſa Quantitas, & cætera quanta poſtea enumeranda, aliud per accidens, vt ſubſtantia, quæ nõ eſt quanta, niſi ratione Quantitatis. Secũda. Quantũ per ſe, aliud continuũ, cuius partes copulantur termino cõmuni, diſcretũ aliud, cuius partes nullo cõmuni copulantur termino. Continui quinq; ſunt ſpecies. Linea, cuius partes copulãtur termino cõmuni, ſcilicet puncto

to, Superficies, cuius partes copulantur linea, Corpus, cuius partes copulantur ſuperficie. Tempus, cuius partes copulãtur inſtanti, & Locus, de cuius termino communi & copulatiuo & de his etiam omnibus infra dicam. Diſcreti autẽ duas ponit ſpecies, ſcilicet, Numerum & Orationem. Tertia diuiſsio. Quantum aliud conſtans ex partibus habẽtibus poſitionem interſe, ideſt diſpoſitionẽ & Situm; vt Linea, Superficies, Locus, & Corpus; Aliud quod conſtat partibus non habentibus poſitionẽ inter ſe, id eſt diſpoſitionem & Sitũ, ſed tãtum ordinem aliquem prioris & poſterioris, vt Tempus, Numerus, & Oratio.

Prima Quantitatis proprietas eſt, non habere contrariũ. Et ſi obijcias, magnum paruo contrariatur, & Locus inferior ſuperiori. Reſpondet Ariſtot. hæc non eſſe proprie & abſolute contraria, ſed tantum relatiuo oppoſita, quia idem reſpectu diuerſorum, eſt magnum, & paruum, ſuperius, & inferius. Secunda proprietas. Quantitas non poteſt ſuſcipere magis, aut minus ſecundum intenſionem. Tertia, Dixit Ariſt. maxime proprium Quantitatis eſt, quod ſecundũ illã dicamur æquales & inæquales.

ANNOTATIONES IN textum iſtum.

DVplex eſt præcipua Quantitatis acceptio, a S. Tho. propoſita 1. p. q. 42. ar. 1. ad primum. Prior eſt, in qua Quantitas ſignificat perfectionem, ſeu virtutem cuiuſcumq; naturæ, quæ ſignificatio adeo late patet, vt ſeſe per omnia diffundat prædicamenta, cum in omnibus illis natura reperiatur in ſuo genere perfecta; immo hæc acceptio etiam ſe exẽdit ad Deum, cuius natura eſt perfectiſsima. Vnde in Pſal. 47. magnus dicitur Dominvs, non corpore, ſed perfectione. Secundum illud D. Auguſtini 7. de Trinitate cap. 8. *In his quæ non mole magna ſunt, ſed virtute, idem eſt maius, quod perfectius*. Ex quo orta eſt communis diuiſsio Quantitatis, in quantitatẽ molis, & in quantitatem perfectionis. Secundo ergo ſumitur Quantitas, pro quantitate molis & magnitudinis materialis, latitudine V. g. aut profunditate cor-

corporis: de qua præcipue in hoc capite ſermo eſt.

Notandum etiam, Ariſtotelem habere Caput integrum de Quantitate 5. Meth. cap. 13 vbi magis ex profeſſo de illa diſſerit; eamq; (quod hic prætermiſit) ibi definit; Quare autem eam in præſenti non definierit varie ſoluitur ab authoribus. Caietanus Reſpondet ideo hic quantitatis definitionem non adduxiſſe Philoſophum, quia in præſenti non inſtituit rerum naturas & eſſentias explicare, ſed tantum quę, quibus locis contineantur oſtendere. Cum ergo definitio explicet eſſentiam, quod hic præcipue non intenditur, definitio adducta non eſt; & cum per diuiſionem colligatur, quænam ſpecies ſint, & quibus locis, & ſedibus collocentur, ideo a diuiſione ſumpſit initium Caput hoc. Sed hæc ſolutio non placet, primo, quia Ariſtoteles non poteſt non in præſenti de Quantitate agere ſecundum ſuam eſſentiam, vt in diſcurſu totius diſputationis patebit, tradenſq; in hoc capite Quantitatis proprietates neceſſario oportet eſſentiā conſideret, a qua proprietates illæ dimanant. Secundo, quia non poterit recte confici Prædicamentum, niſi eſſentia Generaliſsimi cognoſcatur, & eſſentia non poteſt recte cognoſci niſi definiatur. Hæc ergo ſolutio non ſufficit. Ideo dicendum exiſtimo, id non feciſſe Ariſtotelem. Primo, quia cum Quantitas ſit genus ſupremū, & nullum ſupra ſe aliud genus habeat, non poteſt recte definitione eſſentiali quæ genere cōſtat & differentia definiri; & ideo prius Ariſtotel. illius ſpecies & proprietates tradidit, vt ex illis, facile quiſque difinitionem aliquam deſcriptiuā elliceret. Vel ſecundo, ſufficit in Metaphiſica tradidiſſe tanquam in commodiori loco, vt inde ea quæ hic neceſſaria deſiderantur, ab Authoribus hoc caput explicantibus adducci poſsent. Definitio autem ab illo ibi adducta ſic habet, *Quantum eſt* (ſubintellige accidens) *diuiſibile in ea quæ inſunt, quorum vtrumq; vel vnum quodq; vnum quid aptum eſt eſſe. Diuiſibile* dicitur, ad differentiā ſpiritualium accidētium, quæ indiuiſsibilia ſunt *in ea quæ inſunt* id eſt in partes quibus cōſtat, *quorum vtrumq; vel vnū quodque* id eſt, quarum partium quælibet *vnum quid aptum eſt eſſe*, id eſt apta eſt eſſe totum quoddam Quantitatiuum, ſi a priori toto, reſpectu cuius pars erat diuidatur: pars enim ligni, quæ antea coniuncta toti, rationem habebat par-

partis, à toto illo ſeparata, rationem habet totius. In quo totum quantitatiuum diſtinguitur à toto Phyſico, cuius partes materia ſcilicet, & forma, etiam ſi ſeparentur, non fiunt tota, neque entia completa. Senſus ergo definitionis eſt. Quantum eſt accidens diuiſibile in ſuas partes, quarum quælibet, ſi à toto diuidatur, rationem habebit totius. Hãc autem definitionem exiſtimo, tantum de Quantitate permanenti traditam eſſe ab Ariſt. nam partes temporis, & cuiuſuis quanti ſucceſsiui non poſſunt ſeparatæ manere; quia ſunt in continuo fluxu, immo neq; in rigore conuenit Quantitati permanenti diſcretæ, quia binarius diuiditur in partes, quarũ quęlibet non poteſt eſſe vnum quid in genere numeri: diuiditur enim in vnitates; vnitas autem quælibet per ſe non poteſt numerum conſtituere. Quomodo autem Quantitas in communi definienda ſit, explicata eius eſſentia declarabitur.

Sed dubium eſt, quare Ariſtoteles nomine cõcreto, *Quãti*, potius quam nomine abſtracto *Quantitatis* in definitione vtatur. Duæ ſolent rationes reddi. Prior eſt, quia concreta nobis notiora ſunt, & ex eis facilius poteſt deduci ratio abſtracti; etenim cum accidẽtia ſeparata non ſint, ſed cum ſubſtantia ſimul concretum, aut connotatiuum componant, concreta notiora ſunt nobis. Vnde ſemel dicto Quantum eſſe diuiſibile, facile deducitur Quantitatem eſſe formam, à qua res quanta habet, vt illo modo diuiſibilis ſit. Et licet hoc commune ſit omnibus accidẽtibus, quia tamẽ Quãtitas eſt prior in tractatione, ſemel ſic in cõcreto definita Quãtitate, manu ducimur, vt eodẽ modo in cæteris accidentibus Philoſophemur.

Poſterior ratio peculiaris eſt huic Prædicamento, vt ſcilicet indicet Philoſophus, peculiarem conditionem Quantitatis, quæ non ſolum eſt forma qua aliud eſt Quantũ, ſed etiã ipſa Quanta denominatur. Vnde dicit, Quãtitas eſt quanta, nõ vero albedo eſt alba. Neque enim poteſt ipſa extendere rem aliam, niſi ſimul coextendatur illi, & ſuas proprias partes habeat correſpõdentes partibus ſui ſubiecti.

Sed hæc ratio alijs nõ placet, & vrgenter argumentãtur contra illam primo, quia cum Quãtitas eodẽ prorſus modo vniatur ſubiecto per inhæſionẽ, ſicut quodlibet aliud accidẽs, nõ erit maior ratio quare ipſa Quãtitas præhabeat in ſe

effectus quos dat ſubiecto, vt dicatur Quanta, quam aliud accidens verbigratia albedo, vt dicatur alba. Secundo, quia Quãtitas nihil aliud dat ſubiecto niſi ſe ipſam, ergo in ſe nõ præhabet niſi ſeipſam: ſed quodlibet etiam accidẽs præ habet ſeipſum, vt albedo albedinem, quam dat ſubiecto, ergo non eſt maior ratio quare albedo non dicatur alba, & Quantitas, quanta eſſe dicatur. 3. quia cũ dicitur Quãtitas eſt quãta, vel ly, quãta ſumitur adiectiue, & ſic falſa eſt propoſitio, quia ſenſus eſt. Quãtitas denominatur à Quãtitate; vna autem forma non poteſt denominari ab alia, quia forma non denominat formam, niſi ſubiectum; præcipue tamen ſi forma eſt omnino eadem, non poteſt enim prædicatio ſui, eſſe prædicatio denominatiua, ſed identica. Vnde ſenſus erit, quãtitas eſt quãtitas; hoc autẽ etiã cõuenit alijs, quia vere etiã albedo eſt albedo. Vel ly, *Quãtitas*, ſumitur ſubſtãtiue, & ſic ſẽſus erit, Quantitas eſt habens quãtitatem, ꝙ omnino eſt falſum: quia Quantitas cum ſit abſtractum, non dicit habens; & quia habens eſt ſubiectum, Quantitas autem, non eſt ſubiectum ſui. Dicunt ergo, communi modo loquendi percrebuiſſe vt in hoc prædicamento concretum ſumatur pro abſtracto, ſenſuſq; omnino eſt identicus, non formalis, in idoimate autem aut communi loquendi modo, non eſt alia ratio deſideranda, quam vſus plurium.

Negari tamen non poteſt, peculiarem aliquam rationẽ in Quantitate reperiri, vt abſtracto concreti denominatio tribuatur, quæ alijs accidẽtibus communis non eſt. Primo, quia eius ratio extenſio eſt, & vt in poſteriori ratione communis ſententiæ dicebatur, ipſa etiam extenſa eſt, & partes habet, ſimulq; coextenditur ad extẽſionem ſubiecti, vereq; diuiſibilis eſt; immo ſeparata à ſubſtantia, vt in Sacramento Euchariſtiæ, extenſionem & partes habet, vt patet, vereq; diuiditur, albedo autem in nullo ſenſu albificatur. Secundo, quia quantitas eſt quaſi accidens medium inter ſubſtantiam, & reliqua accidentia, quia media, illa reliquã ſenſibilia accidentia, ſubſtantiæ inhærent; ideoq; in ratione ſubſtandi magis accedit ad ſubſtantiam, & ad rationem ſubiecti accidentium, quòd alia accidentia non habent.

Dicendum ergo, quod ſi in rigore loquamur de propoſitionibus.

Digitized by Google

tionibus denominatiuus concreti, & abſtracti, ſeu abſoluti, & connotatiui, hæc propoſitio Quantitas eſt quanta, eſt falſa, quod probant aperte rationes ſecundo loco adductæ. Nihilominus, vt ea, quę peculiaria ſunt Quantitati, quæq; reliqua accidētia non habēt, etiam in modo prædicandi explicentur; recte Philoſophorum vſus obtinuit, vt peculiariter in hoc prædicamento cōcretum prædicetur de abſtracto, quod voluit prior & communis ſententia. Neque credendum eſt abſq; vlla alia ratione, pro libito tantum, Philoſophos adhuc hunc peculiarem prędicandi modum huic ſolum prædicamento tradidiſſe. In quo quidem nullam aliam aſsignans rationem deficiebat poſterior ſententia.

DISPVTATIO. XIII.

De Quantitatis ſecundi Prædicamenti Eſſentia & Natura.

MVlta ſe nobis, in hac offerunt diſputatione explicanda, & quidem difficilia, agendum enim eſt de eſſentia, & natura quantitatis in communi, de quantitate continua, & diſcreta, deq; eius ſpeciebus, vt ergo recto methodo procedamus, quod in re difficili, & obſcura claritatem, & facultatem parere ſolet, diſputationem hanc in tres præcipuas diſtribuemus partes, agentes in prima de natura, & eſſentia quantitatis in communi, nec non de paſſionibus eius. In ſecunda de quantitate continua, & eius ſpeciebus, tertium diſputationis locum quantitati diſcretæ relinquentes.

Digitized by Google

I. DISPVTATIONIS PARS.

De Natura & Eſſentia Quantitatis in communi.

Quia id quod præcipue in cognitione alicuius rei intẽditur eſt, eius naturã, eſſentiam, & quidditatẽ indagare, & quia natura ſpecierum, non recte niſi natura generis cognita, cognoſcitur, ideo à natura, & eſſentia quantitatis exordimur, vt cõmodius poſtea de alijs in ſequentibus diſſeramus.

QVÆSTIO I.

In quo conſiſtat eſſentialis ratio Quantitatis.

PRO explicatione hujus quæſtionis, & intelligentia plurium opinionũ, in quas Authores diuiſsi ſunt, Notandum eſt, in Quantitate triplicem extenſionẽ diſtingui poſſe, vna eſt extenſio entitatiua, ſeu in ordine ad ſe. Secunda extenſio localis, ſeu ſitualis in actu, ratione cuius, partes quãtitatis dici poſſunt, ſe ſe loco excludentes, de qua ſtatim. Alia deniq; eſt extenſio quantitatiua, quæ dici poteſt ſitualis, aut localis, non quidem actu, ſed aptitudine. Pro quo ſupponendum eſt, partes alicuius totius, dupliciter comparari poſſe, Primo in ordine ad ſe, Secundo in ordine ad extrinſecum locũ, cum enim res prius comparentur ad ſe quam ad extrinſecum, (prius enim res eſt in ſe quam ad aliud) prius etiam eſt corpus eſſe extenſum in ſe, quam in ordine ad locum. Prima ergo comparatio eſt partium inter ſe, ratione vnionum quibus qualibet pars vni immediate vnitur, & non alijs, & hæc eſt extenſio in ordine ad ſe, ideſt extenſio partium ratione mutuæ vnionis, ex qua habent, vt ſine vlla comparatione ad locum, caput V.g. immediate vniatur collo, non pectori, neq; manibus, atq; ita, inter

Digitized by Google

inter caput,& pectus,medium ſit collum,& ſic in alijs partibus,vnde diſtantia hæc, inter caput,& pectus mediante collo dicitur extenſio in ordine ad ſe. Secunda cōparatio partium in ordine ad locum eſt, quod vna pars totius reſpondeat vni parti loci, altera alteri,atq; ita ſit commenſuratio totius ad totum locum, & partium totius, ad partes loci, ex qua habetur partium diſtantia , non ſolum per partes intermedias eiuſdem rationis, quæ eſt extenſio in ordine ad ſe, ſed etiam per partes ipſius loci,quia ſcilicet loco, & ſitu diſtat vna pars ab alia. Hæc autem extenſio localis poteſt ſumi actu, vt quando actu partes quantitatis locatæ, reſpondent partibus loci,vel aptitudine ſolum , quandó ſcilicet hanc actualem extenſionē nō habent, aptæ tamen ſunt de ſe illam habere , vt conſtat de quantitate Chriſti , in Sacramento Euchariſtiæ, cuius corpus, totum eſt in tota hoſtia, & totum in qualibet parte, quod eſt eſſe modo indiuiſibili & inextenſo localiter, quantitas tamē eius, de ſe apta eſt extēſionem localem habere, & in qualibet quantitate actu localiter extenſa , actū ab aptitudine diſtinguimus, quatenus prius eſt,aut intelligitur quantitatem de ſe talem extenſionem poſtulare,quam illam habere.

Ex hac extenſione partium oritur in quantitate diuiſibilitas,quæ duplex poteſt intelligi,vel per aſsignationē,quatenus in quantitate deſignari poteſt vna pars quātitatis ab alia diſtincta,ſeu non alia , vel per realē ſeparationē, quatenus poteſt quātitas realiter diuidi in partes quas habet , ex qua diuiſione reſultat,vt portio quātitatis quę antea vnita erat pars, ſeparata, & diuiſſa, ſit totum.

Reperitur etiam in quantitate ratio menſurę, & menſurabilis, poſſe ſcilicet menſurare,& menſurari, hæc autem menſuræ ratio tam actu , quā aptitudine ſumi poteſt. Menſurare in actu nihil aliud eſt, quam vnius quantitatem ad aliam applicare , vt per eam cognoſci , vel notificari poſſit, ſic enim pannum menſuramus vlna,& ſimilia, vnde Philoſophus.10.Meth.cap. 2. inquit menſura eſt id quo quantum cognoſcimus, ſubiungitq;,cognoſcitur autem quantū, vt quantum,*aut vno , aut numero*, ideſt aut vna menſura, quæ ſemel applicata oſtendit rei quantitatem, *aut numero*, ideſt aut repetitione,& numeratione eiuſdem , quomodo

Digitized by Google

vtimur palmo, admetiendam vlnam, & pede, aut paſſu, admetiendum ſtadium. Notandum tamen, in propria quantitate continua menſuram, vt menſuram, complete eſſe per humanam accommodationẽ. Primo, quia nulla eſt maior ratio, quare hæc res menſuret illam, quam è conuerſo, ſi res ipſæ conſiderentur ſecundum ſe. Secundo, quia neq; longitudo tanta quantitatis V.g. palmi, eſt magis natura ſua menſura, quam maioris, vel minoris: ſemper ergo interuenit humana aliqua impoſitio. Dubitamus ergo, in quo horum ratio quantitatis conſtituenda ſit.

Relictaq; primo opinione Antonij Andreæ. 5. Meth. q. 10. & Iuſtiniani hic cap. 13. Aſſerentium nullam eſſentiã quantitatis, poſſe à nobis aſſignari, ſed illam omnino latẽtẽ eſſe, & obſcurã, quia vt ex dicẽdis patebit, vera quãtitatis eſſentia aſsignabilis eſt, cũ eam Authores aſsignent, & quantitatis eſſentiam eſſe omnino probent (vt videbimus:) hac inquam relicta ſententia. Prima in hac quæſtione fuit Alberti hic, cap. 16. quã etiã Caietano Toletus tribuit, videturq; exprę̃ſſa ſententia S. Thomæ Opuſculo de natura loci, quam etiam, alij ſequuntur, aſſerẽtes rationẽ menſuræ eſſe quantitatis eſſentiam, & primam illius rationẽ. Poteſt probari efficaci ratione. Primo, quia in hoc capite tradũtur ab Ariſtotele, locus & ſuperficies, vt duæ ſpecies quantitatis, ſed non poſſunt ſpecie diſtingui in ratione extenſionis, aut diuiſsibilitatis, habent enim eundem modum extenſionis, longitudinem ſcilicet, & latitudinem, ſolumq; in ratione menſuræ, ſpecie diſtingui poſſunt, quia locus eſt mẽſura extrinſeca locati, cum ipſi non inhęreat, ſuperficies autẽ eſt menſura intrinſeca, quia vere inhæret corpori cuius eſt menſura: ergo menſura eſt eſſentialis, & prima ratio quãtitatis. Confirmatur, quia probans Ariſtoteles orationem eſſe quantam, ſolum probat, quia menſuratur: menſura igitur eſt eſſentialis ratio quantitatis. Secundo, illud eſt de eſſentia alicuius, ſine quo, eſſe non poteſt & quod conuenit alijs per ipſum, ſed nulla poteſt dari quantitas ſine ratione menſuræ, & alijs conuenit hæc ratio menſuræ per quantitatem, hæc ergo eſſentia illius eſt.

Sed hæc ſententia abſq; dubio

Digitized by Google

bio falſa eſt, Primo, quia ratio menſurę ſupponit rationem extenſionis partium, ideo enim quantitas reddit menſurabilem rem quantã, quia reddit illam extenſam, prior ergo eſt ratio extenſionis, ſed illud eſt eſſentia alicuius rei, quo nihil in tali re intelligimus prius, eſſentia enim in vna quoq; primum eſt, vt per ſe patet, ergo cum ratio menſuræ ſit ratio extenſione poſterior, non poterit eſſe ratio eſſentialis quantitatis. Confirmatur, quia quantitas in tantum poteſt menſurari, in quantum poteſt eſſe ęqualis menſuræ, vel ſemel, vel ſæpius applicatę, ergo prius ſecundum rationem conuenit quantitati, eſſe æqualem, vel inæqualem, quam eſſe menſuram, at ratio illa cum ſit prior quam ratio menſurę, adhuc non eſt ratio omnino prima, & eſſentialis, ſed proprietas tantum, vt docuit Ariſtot. multo ergo minus menſuræ ratio erit eſſentialis quantitati. Ex quo argumentor Secundo, quia ratio menſuræ, formaliter eſt relatio, vt docuit Ariſtot. 1. lib. Meth. cap. 2. non ergo eſt de eſſentia quantitatis, quæ eſt accidens abſolutum. Tertio. Impoſsibile eſt dari rem ſine ſua eſſentia, ſed dari poteſt quantitas ſine menſura, ergo. Probatur minor dupliciter, Primo, quia poteſt dari quantitas ſine extenſione locali, vt de facto datur quantitas corporis Chriſti in Euchariſtia: ergo poteſt dari quantitas ſine ratione menſuræ, quia quantitas ſine extenſione locali, non poteſt menſurari.

Dices eſſe menſurabilem remote & radicaliter, & hanc eſſe eſſentiam quantitatis. Contra, quia ſi proxime non eſt menſurabilis, niſi proxime ſit extenſa localiter, prius erit eſſe remote extenſam localiter, quam eſſe remote menſurabilem, ſicut prius eſt proxime eſſe extenſam localiter, quam proxime eſſe menſurabilem. Secundo. Probatur eadem minor, quia ſi daretur linea infinita illa eſſet vere quantitas huius prædicamenti, & tamen non poſſet menſurare, aut menſurari, hoc enim infinitæ moli repugnat, ergo. Quarto, quia rei menſurabilitas ſolum eſt aptitudo quædam, vt rei magnitudo cognoſci poſsit per extrinſecum medium, ſed nullius rei eſſentia conſiſtit in aptitudine, vt per extrinſecum medium cognoſcatur, ſed ex intrinſeca, & ſibi pro-

pria ratione in eſſentiali ratione, à quouis medio extrinſeco independẽti. ergo. Adde, vnitatem formaliter non eſſe quantitatem, ſed quantitatis diſcretæ principium, eſt enim vnitas formaliter aliquid indiuiſſibile, & tamẽ Ariſt. 1. Meth. cap. 2. ait eſſe menſuram conuenire præcipue vnitati, ergo illa non eſt eſſentia quantitatis. Facile deniq; oſtẽdi poteſt rationem menſuræ, neque actiuę, neq; paſsiuę quantitati eſſe eſſentialem, præcipue cũ in menſura, vt dicebamus; ſit aliquid partinens ad humanã accommodationẽ, quę proinde trahit ſolum ex hac parte denominationem extrinſecã, quæ proinde ad eſſentiã entis realis pertinere non poteſt, ergo.

Ad primam rationẽ in oppoſitũ Reſpõdetur. Quicquid ſit de diſtinctione ſpecifica loci, & ſuperficiei (de quo in Phyſica neceſſario exprofeſſo differendum eſt, & in hoc eodem capite infra) hic Ariſtotelem diſtinxiſſe locum à ſuperficie, diſtinctione ſpecifica accidentali, nõ vt doceat has ſpecies eſſentialiter differre, ſed vt oſtendat, locum nõ eſſe omnino idem quod ſuperficies, licet per eam definiatur. Ad confirmationem Reſpondetur. Ariſtotelem à poſteriori, ex ratione menſuræ, probaſſe orationem eſſe quantitatem, per proprietatem quãtitatis, nõ vero à priori per eſſentiam. Quomodo autem ratio menſuræ, ſit paſsio, quæſt. 3. dicendum eſt. Neq; S. Tho. aut Caiet. aliud voluit, niſi quod menſura ſit ratio propriè conueniens quantitati; & ex qua eius eſſẽntia dignoſci poſsit, non vero quod ſit ratio eſſentialis. Addo, id dixiſſe peculiariter de ratione mẽſuræ, quia hæc ratio peculiariter, etiam à Logico, & Mathematico cõſideratur, nõ vero à Metaphyſico, vt docent Iabellus, Caietanus, Albertus, & alij; ſed de hac diſtinctione ſpecierum in ratione menſurę, quod attinet ad ſuperficiem, & locum, infra hoc eodem capite dicendum eſt.

Secunda igitur in hac quęſtione ſententia eſt. D. Thomæ. 5. Meth. lect. 15. Soncinatis, quęſt. 21. Iaoelli, quæſt. 20. Scoti in prædicam. quæſt. 17. ſignificat Capreolus in 2. diſt. 3. quęſt. 1. artic. 3. Ad vltimum Scoti contra ſecundam concluſionem, & diſtinct. 19. quæſt. 1. ad ſecundum contra primam concluſionem. Hi aſſerunt, primam & eſſentialem quantitatis rationem, eſſe diuiſsibilitatem, ſeu poſitam eſſe in hoc, quod conſtituat quan-

quantum per ſe diuiſsibile in partes eiuſdem rationis, quatenus quantæ ſunt. Probatur hæc ſententia, 1. ex definitione ſupra adducta, & explicata, in qua Ariſtoteles quãtũ per diuiſsibilitatem definit. Secundo, quia ſecundum diuerſos modos diuiſsibilitatis, diuiduntur ſpecies quantitatis, vt conſtat in quantitate cõtinua, quæ quatenus diuiſsibilis eſt ſecundum vnam, aut duas, aut tres dimenſiones, in plures ſpecies diſtinguitur, vt conſtat in linea, quæ ſecundũ longitudinem diuiſsibilis eſt, in ſuperficie, quæ ſecundum lõgitudinem, & latitudinem, & in corpus, quæ ſecundum trinam dimenſionem longigitudinis, latitudinis, & profunditatis, eſt diuiſsibile.

Sed ſententia hæc niſi explicetur de diuiſsibiiltate radicali, vt explicari ſolet non eſt vera; quoniam in quantitate, prius eſt habere partes extenſionis, quam quod intelligatur diuiſsibilis in illas; extenſio enim eſt radix diuiſsibilitatis. Secundo, quia diuiſsibilitas demonſtratur à priori de quantitate, ſed eſſentia nõ poteſt demonſtrari à priori, de re cuius eſt eſſentia; quia eſſentia eſt omnino primum in vnaquaq; re, & definitio quidditatiua, non probatur, ſed quaſi primum principiũ ſupponitur, ergo. Probatur minor, hac demonſtratione in Barbara. Omne extenſum eſt diuiſsibile, omnis quantitas eſt extẽſa, ergo omnis quãtitas eſt diuiſsibilis: ergo diuiſſibilitas niſi ſumatur pro radice, non eſt de eſſentia quantitatis; ſi vero intelligatur de diuiſsibilitate pro radice, hæc eſt extenſio, vnde hæc ſentẽtia coincidit cum ſequenti.

Eſt ergo Quarta ſententia Durandi in quarto diſt. 3. q. 1. in fine. Petri nigri. 2. p. Clypei quæſt. 15. Mag. Soto in præſenti, & Toleti. quæſt. 3. aſſerentium, eſſentiã quantitatis eſſe partem habere extra partem, quę omnino iam cõmuniter amplectitur ab omnibus. Grauis tamen difficultas eſt, quomodo ſit intelligenda hęc extenſio, quæ pertinere dicitur ad eſſentialem rationem quãtitatis, ſeu ad primariũ effectum formalem eius. Cũ enim initio huius quæſtionis dictũ ſit, triplicem eſſe extenſionẽ, entitatiuam, ſeu in ordine ad ſe, extenſionem localem actualem, ſeu ſitualem, & extenſionem localem aptitudinãlem. Variãt Authores in qua harum extenſionum, quantitatis eſſentia ſit collocanda.

Capreo-

Digitized by Google

Capreolus in ſecundo diſt. 3. quæſt. 1. artic. 3. & latius in 2. diſt. 18. quæſt. 1. ait diuiſsibilitatem quam confert quantitas, ſolū eſſe, quod vna pars non ſit alia, vbi aperte affirmat diuiſsibilitatem, aut extenſionem quam quantitas cōfert, eſſe entitatiuam, & conſequēter affirmat, ſubſtantiam ſine quantitate nō habere partes, & quod ſi Deus conſeruaret materiam ſine quantitate, illa partes non haberet, quia de intrinſeca, & formali ratione partium, vt partes ſunt, eſt quantitas. Hanc opinionem ſequitur Sonzinas 5. Meth. q. 19. & ideo quæſt. 22. exiſtimat implicare contractionem, materiam conſeruari ſine quantitate. Sed quia hæc ſententia ex profeſſo tractanda eſt quæſtione ſequenti, vbi oſtendemus ſubſtantiam ſine quantitate partes habere, & conſequenter extenſionem in ordine ad ſe, ac proinde talem extenſionem non eſſe quantitatis eſſentiam, cum conueniat ſubſtantiæ, non oportet amplius in huius ſententiæ explicatione & impugnatione immorari.

Nominales, OKam ſcilicet, in quarto ſentētiarum diſt. 4. & tractatu de Euchariſtia c. 29. Gabriel in 4. diſtinct. 10. & Aliacus eadem diſt. quæſt. 3. & alij aſſerunt, quantitatis eſſentiā, eſſe extenſionē in ordine ad locum actualem, & ſitualem, cuius ſententiæ fundamenta ſunt. Primum, Quantitas aduenіens ſubſtantiæ ſolū illi tribuit extenſionem localem, ergo talis extenſio, eſt eſſentia quantitatis, conſequētia patet, quia cum quantitas det ſe ipſam ſubſtantiæ, ſi per quantitatem nihil tribuitur illi, niſi extenſio localis, illa erit eſſentia quantitatis. Antecedens autem probatur, quia ſubſtantia ante quantitatem, ſeu quantitate præciſſa, habet partium extenſionem in ordine ad ſe, vt ſupponimus, ergo per aduentum quantitatis, ſolum poteſt intelligi in ſubſtantia, quod illæ partes in ordine ad locum extendantur, quod non habebat ſubſtantia ſine quantitate.

Secundum. Ideo duæ quantitates naturaliter penetrari nequeunt (recte tamen duæ ſubſtantiæ,) quia partes quantitatis extenſæ ſunt eſſentialiter in ordine ad locū, & ideo implicat, vnam eſſe intra alterius locum, quod eſt penetrari, partes vero ſubſtantiæ cum non ſint localiter extenſæ ſine quantitate, poſſunt penetrari: ergo quod diſtinguit eſſen-

eſſentialiter quantitatẽ a ſubſtantia in ratione extẽſionis, eſt extenſio localis, ac per cõſequens hęc erit eſſentia quantitatis.

Tertium. Omne quãtum finitum, & permanens, neceſſario debet eſſe figuratũ, ſed dari nõ poteſt figura ſine extẽſione locali, quia nihil aliud eſt figura, quam talis diſpoſitio partium in ordine ad locum, ergo extenſio localis erit de eſſentia quantitatis.

Sed hæc ſententia Nominalium non ſolum falſa, ſed ad minus temaria eſt. Conſtat enim in Sacramento Euchariſtiæ eſſe Chriſti corpus, veram habens quantitatem, & tamen eſt ibi, ſine extenſione locali, indiuiſibiliter, & inextenſe, cum ſit totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte: ergo. Nec vacat modo impugnare id quod Nominales aſſerunt, ſcilicet corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe quidem corpus, de prædicamento ſubſtantiæ, ratione cuius verificãtur verba. *Hoc eſt corpus meũ*, eſſe tamen ibi ſine quãtitate, vt indiuiſibiliter & ſacramẽtaliter exiſtat, cum quantitate enim inquiunt, & ſine extẽſione in ordine ad locum eſſe non poterat, Hæc (inquã) ſolutio per ſe patet in materia fidei periculoſa, & ex profeſſo eſt in materia de Euchariſtia impugnanda. Nũc autem cõtra illam argumentor, primo, quia vnum, & idem corpus per hoc quod ſit in duplici loco, non amittit accidens abſolutum, quia vnio abſoluti accidẽtis cum ſubiecto independens eſt à variatione, *vbi*, vt conſtat in motu locali, in quo licet varientur vbi, & vnũ ſuccedat alteri, ſtabiles autem, & permanentes ſunt vniones accidentium abſolutorum, præcipue quantitatis, corpus enim album, cum mouetur, licet in diuerſis locis ſit, candẽ tamen ſemper retinet albedinem, & quantitatem, ergo corpus Chriſti, quod in cœlo veram habet quantitatem, ex hoc quod in terra, ſub huius & illius hoſtiæ ſpeciebus ſit, non amittit quantitatem, ſed illam ſecum fert, vbicumque ponatur. Secundo, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. colligit ſanguinem eſſe ſub ſpeciebus corporis Chriſti per concomitantiam, quia realem connexionem habet ſanguis cum corpore, ſed quantitas naturalem, & realẽ habet connexionem cum corpore Chriſti etiam, ergo negari non poteſt, quod ibi ſit per concomitantiam. Tertio, quia ſi in Sacramento corpus Chriſti quantitatem non

habet

habet, quod ibi ſit inextenſe, & indiuiſsibiliter; naturale quid erit, non miraculoſum, quia ſubſtantiæ ſine quātitate nō debetur modus exiſtēdi diuiſsibiliter, & extēſe in ordine ad locum, ergo ſi illi talis modus exiſtendi non debetur, quod illum non habeat, nō debet cenſeri miraculoſum: ſed omnes Patres modum hunc exiſtendi in Sacramento, vt miraculoſum omnino venerā tur, vt ex materia de Euchariſtia ſuppono, & cuiq; fidelium notum eſt, ergo cum in Sacramento detur vere quantitas ſine extenſione locali, talis extenſio nō erit de eſſentia quātitatis.

Sed contra eandem ſententiam argumentor. Secundo, quia extēſio localis diſtinguitur realiter a quantitate, ergo non poteſt eſſe eſſentia eius, patet, quia eſſentia non poteſt diſtingui realiter, immo eſt prima formalitas, & entitas rei. Antecedēs autem probo, quia quantitas V.g. ante condenſationem, aut rarefactionem, extenſionem habebat localem, ergo vel illa extenſio localis, erat eſſētialis, vel nō, ſi non, intentum habeo, ſi erat, ergo ſalua quantitate amitti non poteſt, at per condenſationē inuariata manente quātitate ſecundum ſe, & nulla quantitatis parte, aut portione deperdita, quantitas quæ exiſtebat antea in magno ſpacio, occupat condēſata minorem locum, ergo deperdita eſt aliqua extenſio localis, ergo extenſio localis diſtincta eſt à quantitate.

Ad argumenta Nominaliū Reſpondetur. Ad primum negando antecedens, quantitas enim præter extenſionem localem dat ſubſtantiæ ſuam eſſentiam molis, & extenſionem primariam, quam habet, per quam ſubſtantia formaliter redditur quanta. Ad hanc autem eſſentialem extenſionem, ſequitur extenſio localis, tanquam proprietas. Vnde falſum eſt, quod per quantitatem ſolum adueniat ſubſtantię extenſio localis. Ad ſecundum Reſpōdetur, quod etiam ſi concedamus impenetrabilitatem oriri ex extenſione locali, dicendum eſſet tamen, ideo quantitatē nō poſſe penetrari cum alia quantitate naturaliter, quia habet extenſionem, quæ natura ſua poſtulat diuiſsibilitatem in ordine ad locum, quam proinde naturaliter ſemper debet habere, ſubſtantia autem cum hanc extenſionem localem natura ſua non poſtulet, non petit naturaliter impenetrabilitatem itaq;

radicalis

Digitized by Google

radicalis & eſſentialis ratio impenetrabilitatis, non eſt extenſio actualis in ordine ad locum, licet fortaſſe hæc ſit ratio proxima, ſed eſſentialis extenſio, quæ appellatur localis aptitudinalis, ad quā naturaliter conſequitur extenſio localis actualis, & impenetrabilitas. Secundo Reſpondetur, non eſſe extenſionem actualē localem rationem impenetrabilitatis, quia poſſunt optime duo corpora penetrari, retenta extenſione locali in vtroq; corpore, ſolumq; per penetrationem vtrumque corpus localiter extenſum, reſpondet tanto ſpacio, quanto antea quodlibet illorum reſpondebat, quodlibet ergo corpus ſuam extenſionē retinebit, nō enim vna numero extēſio, poteſt eſſe in vtroq; corpore, ita tamē, vt vtraq; extēſio vni tātū extrinſeco ſpacio reſpondeat.

Ex dictis ergo patet, eſſentiā quantitatis non conſiſtere, neque in extēſione in ordine ad ſe, cum hæc conueniat ſubſtantiæ, neq, in extēſione locali actuali, cum hæc diſtinguatur realiter, & de facto ſeparetur à quantitate; nec in ratione menſuræ, quia hæc eſt omnino poſterior, neque in diuiſsibilitate formaliter; hæc enim etiā poſterior eſt extenſione. Relinquitur ergo.

Dicendum. Quantitatis eſſentiam, conſiſtere in extenſione locali aptitudinali: clarius, & vniuerſaliꝰ, ratio formalis, & eſſentia quantitatis eſt, habere partes extēſionis, quarum quælibet natura ſua poſtulet eſſe extra aliam, aut ſecundum locum aut ſecundum durationem, vt ſic etiam quantitas ſucceſsiua includatur. Conſtat hæc concluſio à ſufficienti partium enumeratione, nihil enim remanet aliud in quo quantitatis eſſentia poſsit conſiſtere. Secundo, quia hæc explicatio eſſentiæ quantitatis omnia cōſiderat, quę quantitati eſſentialiter conueniunt & in quibus differt ab alijs, recteq; explicatur, quæ ſit vera, & propria ratio extenſionis in primis enim dicitur habere partes extra partes ad excludenda indiuiſsibilia, & quia diſtinctio partium in ordine ad ſe, potius dicitur de partibus entitatis, quam extenſionis, extenſio enim partes ſonat occupatiuas loci, & vnam eſſe extra aliam per naturalem repugnantiam eſſendi intra. Additur, has partes quantitatis poſtulare, quod vna ſit extra aliam, vel ſecundum locū, vel ſecundum durationem, vt ſic vera extenſionis ratio explicetur, & diſtinctio partium quan-

quantitatis, ab extenſione partium ſubſtantialium, & accidentium corporeorum, quæ hanc magnitudinis, aut molis extenſionem loci occupatiuã non habent. Deniq; hoc explicatur per aptitudinem, dum dicitur, hanc extenſionem loci poſtulare, vt denotetur poſſe actualem extenſionem in ordine ad locum ſeparari à quantitate, vt conſtat in quantitate Corporis Chriſti in Eucharistia. Similiter illa ratio eſſendi extra, per naturalem repugnantiam penetrationis partium, & eſſendi vna intra aliam, hoc enim ſonat illud, *extra*, in definitione poſita, per aptitudinem definitur, de facto enim bene poſſunt duo corpora, diuina potentia penetrari, vt conſtat in natiuitate Chriſti ex vtero virginali, & in reſurrectione, exiuit enim de ſepulchro, lapide irreuoluto, in Aſcenſione ſimiliter cælos penetrando, & quando ianuis clauſis, ad diſcipulos penetrauit.

Sed contra hanc ſententiã duo reſtant argumenta ſoluenda. Primum eſt, quia Deus poteſt conſeruare ſubſtantiam materialem ſine quantitate extenſam in ordine ad locum, vt ſi modo de facto, à corpore quanto in ordine ad locũ extenſo auferret in inſtanti quãtitatem, tunc maneret ſubſtantia extenſa, & commenſurata ſpacio præſentia locali, & diuiſibili, ergo aptitudo ad exiſtendum in loco, præſentia locali, & extenſa, non eſt eſſentia quantitatis, ſi quidem poteſt etiam conuenire ſubſtantiæ. Sed Reſpondetur facile, de eſſentia partium quantitatis eſſe, quod naturaliter poſtulent hanc extenſionem, & naturaliter eam non poſſint non habere, partes autem ſubſtantiæ, licet aliquando hanc habeant extenſionem, eam tamen naturaliter, & neceſſario non poſtulant, quinimo, licet ſubſtantia ſemel exiſtens ſub quantitate, ſi ſeparetur ab ea, quantitas eundum modum exiſtendi in loco retineat, quẽ antea ſub quantitate exiſtens retinebat, hoc tamen etiam quodammodo habuit à quantitate quaſi radicaliter, quatenus illa extenſio in ordine ad locum quę reſpondebat ſubſtãtiæ, illi ab initio non conueniebat, niſi vt affectæ quantitate, qua ſemel affecta, & in inſtanti ſeparata, potuit modũ illum exiſtendi in loco habere. Dixi, *potuit*, quia poſſet etiam naturaliter alio modo in extenſo, & indiuiſibili, localiter eſſe, quantitas autẽ nũquam poteſt naturaliter aliũ modum exiſtendi in loco indiuiſilem,

Digitized by Google

diuiſsibilem, & extenſum habere, ac proinde ſatis diuerſa eſt illa aptitudo quantitatis, ab aptitudine ſubſtantiæ, in ordine ad extenſionem localem, & actualem ſituationem. Addo, quod eſſe in loco extẽſe, & diuiſsibiliter, ſi propriè loquendũ eſt, cum dicat æqualitatem locati ad locum, & immediationem aut contiguationem duarum ſuperficierũ, hocque non poſsit niſi inter duo corpora actualiter affecta quãtitate reperiri, non poteſt hic modus exiſtendi in loco naturaliter quantitati debitus, ſubſtantiæ ſine quantitate vlla ratione conuenire.

Secundum argumentũ eſt, quia videmus naturaliter, eãdem quantitatem poſſe occupare maiorem, vel minorem locum, vt conſtat in condenſatione & rare factione, ergo nõ conſiſtit ratio formalis quantitatis in radicali extenſione partium in ordine ad locum, ſi quidem hac radice inuariata, poteſt illa localis extenſio variari. Sed Reſpõdetur (relictis multis quæ de rarefactione, & condenſatione dici poterant, & fortaſſe argumentũ poſtulabat, pertinent enim ad libros phiſicorum) quantitatem quidem extendere ſubſtantiam, & dare illi molem corpoream, ex ſe tamen, non determinare certum terminũ extenſionis in ordine ad ſpacium, quod replere poteſt, ſed hoc indeterminate quidem à quantitate eſſe ſumendum, determinate vero, & complete ab illa iuxta modum maioris aut minoris condenſationis, quod fit abſq; penetratione per intrinſecam mutationem, in modo ipſius quantitatis, cõcurrente, etiam ad hunc terminum extenſionis (vt ſic dicam) ſpacij repletiuæ. Et hæc de hac quęſtione.

QVAES-

Digitized by Google

QVÆSTIO. II.

Vtrum Subſtantia ſine Quantitate partes habeat.

QVæſtio hæc circa primũ librum phiſicorum cap. 2. controuerti ſolet, moueturq; ibi circa textũ quintum, vbi Ariſt. docet ſubſtantiam ſecundum ſe, non eſſe finitam, vel infinitam, ſicut neq; diuiſsibilem, ſed hoc totum illi prouenire à Quantitate. Hic tamen non abs re diſputari ſolet, immo neceſſaria omnino videtur eius reſolutio, vt ratio formalis quantitatis intelligatur. Suppoſuimus enim in quæſtione præcedenti id quod in præſenti explicandũ, & probandum eſt, ſubſtantiã ſcilicet ex ſe partes habere, ac proinde in hac partium extẽſione in ordine ad ſe, non poſſe eſſentiam quantitatis conſtitui. Sed Pro intelligentia quęſtionis. Notandum eſt primo, ſubſtantiam aliam eſſe ſpiritualem, vt Deus & Angeli de qua non loquimur, hæc enim ſpiritualis ſubſtantia eſt omnino ſimplex & incompoſita ex partibus phyſicis immo in rigore ex partibus, Angeli enim ſolum componuntur ex eſſentia, & ſubſiſtẽtia, quę non eſt compoſitio partium, ſed rei & modi. Alia vero ſubſtantia eſt corporea, & materialis, quæ ratione ſuæ materialitatis capax eſt quãtitatis, vt ſubſtantia equi, Leonis, & quæuis ſubſtantia corporea.

Notandum ſecundo eſt, in hac materiali ſubſtantia, duplicẽ quoad præſens attinet, compoſitionem poſſe diſtingui, alia eſt compoſitio phyſica, quæ appellatur integralis, conſtans partibus integrantibus, quæ quidẽ in altera parte compoſiti phyſici reperiri poteſt V.g. in homine, compoſitio ex corpore & anima, eſt compoſitio phyſica eſſentialis, compoſitio vero partium corporis inter ſe, vt capitis cũ collo, brachijs, &c. compoſitio dicitur integralis, & in quouis quanto partes ſubſtantiæ, quatenus immediate quã-

Digitized by Google

titati reſpondent, integrales partes dici poſſunt. Dubium ergo eſt de partibus integrantibus, & extenſis, quantitati reſpondentibus, an ſcilicet diſtinctio partium integrantiũ quam habet ſubſtantia corporea cum quantitate, tribuatur a quantitate ipſa tanquam effectus formalis a forma, an vero ſubſtãtia de ſe illam habeat partium diſtinctionem, & in illo priori naturæ, in quo quantitati ſupponitur, hæc etiam entitatiua partium diſtinctio ſupponatur.

In qua quæſtione ſic explicata, Prior ſententia eſt in præcedenti quæſtione iam tacta, Capreoli, Durandi, Caietani, Sonzinatis, Toleti, & aliorum, citariq; ſolet S. Tho. 4. contra gentes cap. 65. in fine, & in 2. diſtinct. 30. quæſt. 2. ar. 1. videturque expreſſa Ariſtotelis citato loco 1. libro Phiſicorum, vbi aſſerit ſubſtantiã de ſe non eſſe finitam, neque infinitam, neque diuiſsibilem, eſt ergo in diuiſsibilis, ergo non habet partes, quia ad extenſionem partium, ſequitur diuiſsibilitas. Ratione probatur. Primo, quia diuiſsibilitas eſt propria paſsio quantitatis, ex 5. Metaph. cap. 13 ergo ſeparata quantitate a ſubſtantia, remouetur diuiſsibilitas, a quo enim remouetur eſſentia, remouetur propria paſsio, ergo ſubſtantia ſine quantitate non manet diuiſsibilis, & conſequenter non habet partes. Secundo, ſi ſubſtantia haberet partes de ſe, nõ minus eſſet ad illam motus, quam ad quantitatem. ſed ex Ariſtotele 5. Phiſicorum ad ſubſtantiam non eſt per ſe motus, ſed mutatio, ergo ſubſtantia non habet partes de ſe. Minor eſt Ariſtotelis: maior probatur, quoniam ad quantitatem ideo poteſt eſſe motus, quia cum habeant partes extẽſas, poſſunt illæ per motum ſucceſsiue acquiri, ergo ſi ſubſtantia etiam habet partes, poterit etiam ſucceſsiue acquiri per motum. Tertio, in homine hæc extenſio non poteſt conuenire formæ, quæ eſt ſpiritualis, immo in viuentibus perfectis, quorũ forma nõ eſt diuiſſibilis in partes, ſed quaſi in indiuiſsibili cõſiſtens, hæc extenſio ſolũ in materia reperiri poteſt; ſed materia ſine quãtitate incapax eſt prædictę extẽſionis; ergo. Minor probatur. Primo, quia cũ materia ſit pura potentia, nõ poteſt in ea intelligi diſtinctio partium, niſi per quantitatem, quia actus eſt qui diſtinguit. 7. Meth. text. 49. Secundo, quia materia ante

quantitatem eſſet compoſita, quod repugnat, cum prima cõpoſitio ſit ex actu & potentia, ex 8. Meth. tex. 8. quæ compoſitio non poteſt in materia ſecundum ſe præ intelligi, quia eſt potentia.

Oppoſitam tamen ſententiam, ſcilicet ſubſtantiam corpoream, & materialem ſine quantitate habere partes diſtinctas ſubſtantialiter, in quas diuiſsibilis eſt, docent Scotus, qui licet in 2. diſt. 2. quæſt. 4. ſub dubio relinquat: tenet tamen expreſſe 2. diſt. 12. quæſti. 2. §. reſpondeo ad quæſtionem in fine, vbi hæc verba habet. Quod ſi inquiras an materia ſine forma, habeat partes dico, quod partes ſubſtantiales habet, illas enim non habet a quantitate. Tenet etiam cum Scoto, Aureolus, Gofredus & Maior ibi. quæſt. 2. art. 2. Gabr. diſtinct. 10. quæſt. 1. AEgidius Theoremate 30. Enrriq. quodlib. 3. q. 4. OKam etiam, & alij Nominales. Et ex modernis Sotus capit. de quantitate, quæſt. 2. & 1. Phiſ. quæſt. 6. poſt ſecundam concluſionem, qui hanc concluſionem iudicat probabiliorem. Aſtudillo. 1. Phiſ. quæſt. 5. Veracruz hic quæſt. 2. Pater Suarez 2. tomo Meth. diſp. 40. ſect. 4. num. 7. & fauere videtur Sonzinas 8. Meth. quæſ. 4. qui in eſſentia materiæ præſcindendo a quantitate, admittit plus & minus. & S. Tho. hanc extenſionem partium in ordine ad ſe, admittit expreſſo in 2. diſt. 30. q. 2. ar. 1. corpore circa medium, vbi loquens de augmento materiæ, expreſſe admittit, nouam & diſtinctam materiæ portionem, & partes eius, ex quo quia mentionem fecimus huius augmenti, euidens (vt credo) pro hac noſtra ſententia conficitur argumentum ſic. Quoties aliquid ſucceſsiue producitur, neceſſario debet habere partes reſpõdentes partibus motus productiui, quarum vna nunc producatur, poſtea alia, aliàs non erit ſucceſsio, ſed ſubſtantia corporea, ſecundum ſe ſucceſsiue producitur, ergo illa habet partes. Minor probatur in nutritione, quę motus ſucceſiuus eſt, per quam ſubſtantia ſucceſſiue acquiritur. Oportet ergo partes ſubſtantiæ reſpondere partibus nutritionis, & ſiue pars ſubſtantiæ, quæ hodie acquiritur, acquiratur in inſtanti, ſiue non, certum eſt in vno V. g. anno diuerſas partes ſubſtantiæ eſſe acquiſitas, cum aliqua quotidie denuo acquiratur, & hodie acquiſita non ſit eadem, quæ heri, aut mane, idem

Digitized by Google

idem argumentum fieri poteſt de partibus ſubſtantiæ, quæ deperduntur. Confirmatur, quia Deus clare videt in Petro, aliquam partem materiæ, quam ab inſtanti ſuæ generationis habuit, & aliam, quam acquiſiuit, per nutritionem, ſed implicat has ſubſtantias, ſaltim partialiter, non eſſe diuerſas, hæc enim quæ nūc acquiritur, in inſtanti generationis non erat, ergo neceſſario diſtinguitur ab illa, quæ in illo inſtanti generationis erat, alias ſequeretur idem ſimul eſſe, & non eſſe, quod implicat. Reſpondebis, hanc diuerſitatem partium, reſpondentium nutritioni, ideo in ſubſtantia reperiri, quia acquiruntur ſimul cum quantitate. Cōtra, quia ſubſtantia acquiritur per nutritionem, per quam actionem non producitur quantitas, ergo in termino nutritionis præciſſo, & formali intelligitur pluralitas partium, præcipue, quia nutritio præſuponitur, ſaltim natura augmentationi, per quam producitur quantitas. Ex quo fit ſecundo, vt cum ſubſtantia ſit prior natura quantitate, & nutritio augmentatione, ſubſtantia producta per nutritionem, poſſit conſeruari, a Deo ſine quantitate, in quo caſu certum eſt non eſſe diſtinctam a ſubſtantia præexiſtenti per quantitatem.

Secundo probatur. Subſtantia ſubiectum eſt quantitatis, ergo ſaltim natura præcedit quantitatem, ſed quemadmodum, tota ſubſtantia totius quantitatis ſubiectum eſt, ita partes ſubſtantiæ ſubiectum ſunt partium quantitatis, ergo ſicut tota ſubſtantia præcedit natura totam quantitatem, ita partes ſubſtantiæ priores ſunt natura, partibus quantitatis, ergo ſubſtantia vt prior natura quantitate, & ſecundum ſe, partes habet. Reſpondebis, hoc recte concludere de partibus quoad entitatem, non vero quoad partialitatem, ſeu quoad eſſe partium. Hoc enim eſſe partium habent a quantitate. Sed contra argumentor, quia eſſe partium ſupra entitatem earum, nihil addit, niſi vel relationem prædicamentalem, quæ eſt impertinens ad propoſitum, cum ſit poſterior compoſitione, & vnione partium, inde enim reſultat, vel vnionem inter entitates partiales ad componendum totum, & hæc etiam ſupponitur ordine naturæ quantitati, quia ſupponitur totum, quod eſt ſubſtan-

materialis,ſed totũ nihil aliud eſt,quam partes ſimul ſumptę, & vnitæ,nec in tota illa entitate ſubſtantiæ materialis poſſunt ſupponi partes,vt actu diuiſſæ, id enim impoſsibile eſt vt patet,partes enim non componunt,vt ab inuicem ſeparatę,ſed vt cum compartibus ad totius compoſitionem accedunt,ergo ſupponuntur vt vnitæ. Addo,vnionem illam partium eſſe ſubſtantialem pertinereq; ad conſtitutionem vnius per ſe, non per accidens, conuenit ergo ſubſtãtiæ ex ſe, & vt præuenit quantitatẽ. Tertio,cœlum,maiorẽ natura ſua, poſtulat quantitatem, quã granum frumenti,ergo propter aliquam,vt ita dicam maioritatem ſubſtantialem,quam in ſe habeat ex natura ſua, quia ſicut quãtitas ſimpliciter,ſequitur ſubſtantiam materialem vt ſic,ſic tanta aut maior quãtitas,tantam aut maiorem ſubſtantiam, ergo ante quantitatem cœlum intelligitur maius maioritate ſubſtantiali,quam frumentum,ſunt ergo in cœlo plures partes ſubſtantiæ,quam in frumenti grano:cuius rationis doctrina, expreſſa eſt S. Tho. citato loco ſecundi ſententiarũ,vbi diſputãs,quomodo alimentum tranſeat in veritatẽ humanæ naturæ, impugnat ſententiã eorũ,qui aſſerũt, quod quia materia prima ex ſe caret omni quantitate,ęqualiter ſe habet ad omnẽ quantitatem,ita vt quantumcũq; parum ſit de materia prima in quouis paruo corpore, poteſt recipere quãtãlibet quantitatẽ,qui modus (inquit S.Tho.) multipliciter deficit,probatq; ibi quantitatẽ proportionari debere partibus materiæ, addens deficere modũ illũ, quia imaginatur indiuiſsibilitatem materiæ ad modũ puncti, hoc autẽ inquit nõ eſt verũ,ſed materia dicitur indiuiſsibilis per negationẽ totiꝰ quãtitatis. Ex quo duo habemus. Primũ,materiã partes habere extẽſionis, tũ, quia debet proportionari partibꝰ quãtitatis. Tũ ſecũdo, quia ſi eſſet indiuiſsibilis, non habẽs partes,recte poſſet imaginari indiuiſsibilitas materię ad modũ puncti,immo Authores oppoſiti eã ſic imaginãtur dũ aſſerunt, ſubſtantiã ablata quantitate,ad punctũ confluere. Habemꝰ ſecũdo,quomodo ſit intelligẽda indiuiſsibilitas materię,aut ſubſtãtię materialis, ſcilicet per negationẽ totiꝰ quãtitatis,ſolũ ergo dicitur indiuiſsibilis, quia nõ habet diuiſsibilitatẽ quãtitatiuam, quod ſi omnino eſſet indiuiſsibilis,nõ oporteret addere eſſe in-

Digitized by Google

indiuiſsibilem per negationē cuiuſcumq; diuiſsibilitatis, eſt ergo noſtra ſententia expræſſa S. Thomæ.

Quarto probatur. Supponēdo prius, Deum poſſe conſeruare ſubſtantiam ſine quantitate, nā ſi Deus conſeruat quantitatem ſine ſubſtātia, quo modo negari poteſt poſſe conſeruare ſubſtantiam ſine quantitate, cum multo maior ſit dependentia accidentis a ſubſtātia, quam ſubſtantiæ ab accidenti. Tunc ſic argumentor, ſeparata quantitate a ſubſtantia, conſeruaretur tota entitas partium corporis, quæ antea erat, ergo ſicut antea erant entitatiue diſtinctæ, ita etiam ablata quantitate manebūt, quia non poteſt vna res ab alia realiter diſtincta, ita identificari cum illa, vt ex vtraque fiat vna ſimplex, quia illa non eſſet conſeruatio præexiſtentium partium, ſed conuerſio earum in vnam tertiam ſimplicem. Confirmatur quia ſi a ligno trium palmorum, tollat Deus quantitatem palmorum extremorum, relicta ſubſtantia in illis, & etiam quantitate in palmo medio, tunc partes extremæ illius lineæ diſtinguerentur, vt conſtat, quia vnum palmum non eſt aliud, & tamen non haberet quantitatem, ergo in ſubſtantia, quantitate ſecluſa reperiuntur partes.

Quinto, ablata quantitate à ſubſtātia Occeani in inſtanti, peto, an tota illius aquæ ſubſtantia maneat diuiſsibilis, an non? ſi manet diuiſsibilis, intentum habeo, ſi non, neceſſario aqua indiuiſsibilis ad punctum confluerent, hoc autem, non minus implicat, quam dari motum in inſtanti. Secundo, non eſſet maior ratio, quare fluerent ad hoc punctum, quam ad illud, & ita ad nullum confluerent. Tertio, ſi tota illa aqua indiuiſsibilis maneret, ſequeretur quod bibens guttam ex illa, Occeanum biberet, quia indiuiſsibile cum attingitur, attingitur ſecundū ſe totum.

Tandem ſexto, quia vna ſubſtantia materialis, per ſe habet propriam entitatem diſtinctam ab altera ſubſtantia materiali; & in illa vere reperitur ſubſtantia manus, pedis, &c. ergo ſicut hæ partes ſubſtantiæ, per ſe habent veram entitatem, per ſe etiam habebunt veram diſtinctionem, & identitatem, & non a quantitate, patet conſequentia, quia idem, & diuerſum conſequuntur ens. Plura alia poſſent adduci, ſed hæc ſatis ſuperque hanc ſentētiam veram eſſe oſtendunt.

Ad argumenta in oppoſitū Reſpondetur Ariſtotelē & S. Tho. locutos eſſe de diuiſsibilitate quantitatiua, vt ex eodē S. Tho. viſſum eſt. Diuiſsibilitas autem, & extenſio quantitatiua, per Antonomaſiā dicitur diuiſsibilitas & extenſio, tum, quia veluti complet extenſionem ſubſtantiæ, tum etiam, quia ſenſibilis eſt & magis nota, actualiſq; diuiſsio, ſeu ſecatio ſine quantitate fieri non poteſt. Tum tertio, quia ex illa ſequitur extenſio in ordine ad locum, & impenetrabilitas, cui proprie conuenit riguroſa ſignificatio illius *extra aliam*, partes autem ſubſtantiales, licet extenſæ, penetrabiles tamen ſunt. Propter quæ omnia diuiſsibilitas, & extenſio abſolute prolata, cenſetur propria quātitatis. Ex quo patet ad primam rationem, negamus enim omnem diuiſsibilitatem eſſe paſsionem quantitatis, conſtat enim nō omnem extēſionem ad eſſentiam quātitatis pertinere. Ad ſecūdam Reſpondetur, quod licet ad ſubſtantiam primo productam, non ſit per ſe motus, quia producitur in inſtanti, ad ſubſtantiam vero nutritam, optime poteſt eſſe nutritiua ſuceſsio, quæ ex hoc recte arguit partes in ſubſtantia. An vero ex alio capite deficiat, nutritioni vera ratio motus, in 5. Phiſicor. vel in libris de generatione dicendum eſt. Ad tertium Reſpondetur, materiam carere omni compoſitione eſſentiali ex materia & forma, non vero omni compoſitione integrali ex partibus. Dicitur autem pura potentia in genere actus formalis, quia de ſe indifferēs eſt ad omnem formā, hæc autem extenſio (ſi ita loqui licet, aliqui enim hanc vocem ſolum tribuunt quantitati) non tollit ſimplicitatem in genere compoſitionis eſſentialis, ſed facit vnum in genere ſubſtantiæ per continuationem. Addo tamen, has determinatas materiæ partes non poſtulare materiā primam ex ſe, quia hæc, (vt ſic dicam) tantitas, cui etiam reſpondet tanta vel tanta quantitas, hoc totum ſumitur ex tali forma, quę magis vel minus materiæ & quantitatis poſtulat. In quo ſenſu ſi loquamur de materia prima in communi, poſset dici indiuiſsibilis, ideſt ex ſe nō poſtulans hanc vel illam diuiſſibilitatem, aut extenſionem, ſed hoc habere ratione formæ.

Continuatio autem non propriè cenſetur compoſitio, quia hæc reperitur in accidētibus, quæ tamen ſunt formæ ſolæ, & in hoc ſenſu cenſentur entitates

tes ſimplices;prima,ergo compoſitio eſt ex actu & potentia, quia nō cenſetur propriè compoſitum & completum, niſi quod ex materia & forma, aut ex ſubiecto & forma componitur.

QVÆSTIO III.

An Quantitas paſsiones habeat, & quas.

QVantitatem habere paſsiones, facile conſtat ex Ariſtotele in Textu, vbi tres enumerat,ſcilicet non habere contrarium, non poſſe ſuſcipere magis aut minus,eſſe æqualem vel inæqualem:aliæ etiam ab Authoribus adducuntur, quas etiam poſtea explicabimus.

Et quidem circa primam, ſcilicet non habere contrariū. Hoc primo debet eſſe certū, non eſſe proprium quarto modo,cum non conueniat ſoli,ex eodem Ariſtotele capite præcedenti de ſubſtantia,vbi hoc etiam ſubſtantiæ aſſerit conuenire. Intelligenda eſt autem hæc proprietas, vt ibi etiam fuit intellecta,de cōtrarietate omnino perfecta & rigoroſa, qua ratione,contrariantur duę formæ,quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſe viciſsim expellunt ſubiecto, vt calor & frigus, quarum vna in aliam agit,& hoc modo hęc contrarietas non cōuenit quātitati,vt conſtat:nec enim quātitates vt ſic, ſe mutuo expellunt,linea enim non excludit ſuperficiem a ſubiecto in quo eſt, neque ſuperficies corpus, &c. nec vna quantitas agit in aliam.

Sed contra obijcies. Licet in quantitatibus continuis, inter ſe id nōn reperiatur, quantitas autem continua vere contrariatur diſcretæ, ſed quantitas continua & diſcreta ſunt verè quantitates, habet ergo quantitas contrarium. Maiorem probo,quia quantitas cōtinua dicit vnionem partium, diſcreta autem diſiunctionē, at coniunctio & diſiunctio cōtrariæ ſunt,ergo Quantitas cōiuncta & diſiuncta contrariæ

etiam cenſendæ ſunt. Addo, Ariſt. 10. Meth. cap. 5. vnum aſſeruiſſe contrarie opponi multitudini, ſed quantitas diſcreta eſt multitudo, continua vero vnum, ergo contrarie opponũtur. Sed ex dictis poſſet reſponderi, hanc non eſſe veram contrarietatem, de qua loquimur, quia neque quantitas diſcreta agit in continuam, neque è cõtra: ſimiliter, quia quãtitas diſcreta componitur materialiter ex continuis, quod non habent vera contraria, cum frigus nulla ratione componatur aut intendatur ex calore. Aliqui addunt, Ariſtotelem id ſolum aſſeruiſſe in ſpeciebus infimis quantitatis reperiri, non vero in generibus, aut ſpeciebus ſubalternis, quales ſũt quãtitas continua & diſcreta. Reſponderi tamen ſecũdo poteſt, in his non reperiri contrariũ, quia ſi loquamur de ipſa diſtinctione, quatenus dicit priuationem vnitatis, ſeu nõ vnum, (dixi enim quæſtione de vnitate formali, vnum eſſe quid poſitiuum, & diuiſionem quodammodo priuatiuum) priuatiue opponuntur tantum, & ita non ſunt contraria eo modo quo hic loquimur, quia cõtraria propriè ſumpta, poſitiua debent eſſe, vt patet in frigore & calore, nec enim proprie loquendo priuatiuum poteſt agere in aliud, immo neque ſecundum iſtam priuationem præciſſe; diſcreta quantitas ſpeciem conſtituit, quia poſitiui generis ſpecies quale eſt quantitas per poſitiuum debet conſtitui; ſi vero loquamur de illa entitate multitudinis ſecundum modum poſitiuum quem habet, & ſecundũ quem conſtituitur in ratione ſpeciei quantitatis diſcretæ, quem poſtea late explicabo, ſcilicet numerabilitatem, hoc modo, tantum opponitur diſcretio cõtinuationi, tanquam modus incompoſsibilis inducens priuationem eius, ſicut etiam diximus formã cadaueris non proprie cõtrariari formæ ſubſtantiali hominis, niſi tantũ vt modus incõpoſsibilis, inducens in illa materia priuationem formæ humanæ. Et hac ratione intelligendus eſt Ariſtoteles.

Obijcit tamen contra ſe Ariſtoteles, magnum & paruum contraria videri, quæ reperiuntur in quantitate, immo & S. Tho. 3. Meth. lect. 5. magnum & paruũ inter paſsiones quantitatis enumerat, ergo contraria ſunt. Reſpondet Philoſophus, quod licet magnum & paruum ſint fundamentaliter quantitas, formaliter tamen ſunt relata, quod probat, quia illa ſunt relata, quæ ſunt ad aliud,

aliud, ſed magnum dicitur in ordine ad paruum, & è contra, nihil enim magnum, aut paruum diceretur abſolute, niſi in ordine ad aliud. Addo tamen, quantitatem eſſe fundamentum harum relationum, potius oſtendere, in quantitate non eſſe proprie contrarietatem, quam id quod intendebat obiectio, quia cõtraria expellunt ſe ab eodem ſubiecto, ſed quantitas montis, ſeu iddẽ montis ſubiectum, poteſt eſſe fundamentum relationis magni & parui, magni quidem reſpectu minoris, parui autem reſpectu maioris, ergo, &c. & hoc tantum voluit S. Tho. ſcilicet, eſſe paſſionem quantitatis, quod fundet relationem magni & parui, opponuntur ergo magnum, & paruum relatiue, relatione inæqualitatis excedentis & exceſſi, non vero propria contrarietate, vt ſatis conſtat.

Obijcit ſecundo Philoſophus. Locum ſurſum & deorſum contrariari, non tamen ſoluit. Cui obiectioni occurremus, ſi aduertamus, loca conſiderari poſſe ſecundum quod habent diuerſas qualitates cõſeruatiuas locati: V. g. ſphera ignis, quatenus habet qualitates conſeruatiuas ignis, & locus aquæ, quatenus etiam qualitates conſeruatiuas habet, & hoc modo contraria ſunt, non quatenus quantitates præciſſẽ ſed quatenus talibus qualitatibus afficiuntur, vel ſecundum quod vnus dicit ſurſum, deorſum alius, relatiuè opponuntur relatione ſuperioris, & inferioris, ſicut de magno & paruo dictum eſt, non vero ſecundum hanc præciſſe rationem propria contrarietate.

Secunda proprietas eſt. Quantitatem non poſſe ſuſcipere magis & minus, hæc autem ſequitur ex præcedentibus, ſuſcipere enim magis & minus, vt in præſenti ſumitur, de intenſione aut remiſsione proprijſsimè ſumpta intelligendum eſt, & ſic, ſola qualitas intenditur & remittitur, vt etiam de ſubſtantia agentes, (cui etiam hæc proprietas cõmunis eſt, vnde non propria quãtitatis quarto modo) diximus. Ratio autem huius eſt, quia ſuſcipere magis aut minus hoc modo, prouenit ex hoc, quod plures partes formæ ſint in eadem parte ſubiecti, & proprijſsimè eſt inter qualitates, quæ habent contrarium, cum ergo quantitas, neque contrarium habeat, conſtetque partibus exigentibus natura ſua diuerſam

ſubiecti

Digitized by Google

ſubiecti & loci partem, non poteſt intendi, aut remitti.

Sed obijcies. S.Tho. 2.2.q. 24.ar.5.ad primum. Qui videtur aſſerere quòd in quantitate datur augmentum ſecundũ intenſionem, vt quando rarefit, vel condenſatur. Reſpondetur, quod, vt latius dicemus in libris Phiſicorum, neq; per cõdenſationem quantitas fit minor, neq; per raritatem maior: raritas autem ipſa & condenſatio, quæ ſunt qualitates quædam, ſubſtantiæ ratione quantitatis conuenientes, ipſæ ſuſcipiunt augmentum intenſionis, quia quo rarefactio eſt maior, eo eſt minor denſitas, & maior raritas, & quo maior eſt condenſatio, eo minor eſt raritas, & maior denſitas. In quantitate autem, per raritatem non additur noua pars quantitatis, neq; per condenſationem aufertur, moles enim quantitatis eadem ſine additione aut ablatione manens, nunc rarefit, nunc condenſatur. Vnde non proprie erit in quantitate intenſio aut remiſſio, quia intenſio addit gradũ illius rei quæ intenditur, aufert aliquem remiſsio, & in hoc ſenſu intelligendus eſt S. Tho. ſcilicet, de ipſa raritate aut dẽſitate, quæ ſubſtantiæ tantum conuenit ratione quantitatis.

Tertia denique ab Ariſtotele conſtituta proprietas eſt. Quantitatem eſſe ęqualem vel inæqualem, vel quod ratione eius ſubſtantia dicatur æqualis, aut inæqualis. Nota autem, quod hic loquitur Ariſt. de æqualitate molis, non vero perfectionis, hæc autem æqualitas ex numero partium quantitatis, vel ex quantitatum extenſione petenda eſt; æquales enim quantitates dicũtur, quę einſdem ſunt extenſionis, aut quæ eodem partium æqualiũ numero conſtãt, inæquales vero quæ hoc non habent, ſicut in qualitate, qualitates eorundem graduum intenſionis ſimiles, diuerſorum vero, diſsimiles nuncupantur. Per quod ſoluuntur aliqua quæ hic obijci ſolent, ſcilicet, quòd qualitates eorundem graduum, & ſubſtantiæ etiam, aliquando ęquales dici conſueuerunt. Reſpondetur enim, æquales dici poſſe in perfectione, nõ vero in mole, immo quælibet æqualitas in quibuscumq; a quantitate talis dicitur, quia ſi æqualitas eſt in perfectione, a quantitate perfectionis, ſi vero in mole a quantitate ſumitur molis.

Sed contra. Pondus vt ſic, nõn eſt proprie quantitas, ſed qualitas, nempe grauitas, & tamen in ponderibus proprie dici-

Digitized by Google

dicitur eſſe æqualitas vel inæqualitas, ergo, &c. Reſpondetur: Grauitatem & pondus vt ſic, licet non ſint niſi in quantitate, proprie tamen qualitates ſunt; & ita inter pondera, potius ſimilitudo quam æqualitas reperitur, quia tamen in ponderibus, aut corporibus ponderoſis eiuſdem ſpeciei, maior, aut minor grauitas ſequitur ex maiori aut minori multitudine materiæ, & partium quantitatis, ideo ſimilitudo & diſsimilitudo in pondere, æqualitas, aut inæqualitas dici ſolet, in pondere enim formaliter tantum, vt pondus eſt, ſimilitudo inuenitur, quatenus autem talem quantitatis partium multitudinem habet, æqualitas eſt, aut inæqualitas.

Sed contra. Si vna quantitas ſolum eſſet in rerum natura, non eſſet æqualis aut inæqualis, & tamen quãtitas eſſet ergo, &c. Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Non eſſet æqualis aut inæqualis formaliter, concedo; nõ eſſet talis fundamentaliter, nego. Paſsio autem quantitatis proprie loquendo, non eſt ipſa æqualitatis relatio, ſed quod poſsit eſſe fundamentum talis relationis, quod haberet quãtitas illa etiam ſola.

Enumeratis iam paſsionibus illis quas Ariſt. numerauit, numeremus oportet alias, quas in præſenti Authores enumerant. Eſt ergo præter has, quarta proprietas quantitatis (quam (& idem dico de alijs) non numerauit Philoſophus, quia hic non intendebat perfectiſsimam, & omnino completam notitiam tradere quãtitatis) diuiſsibilitas in partes extenſionis, ideſt natura ſua exigentes eſſe extra alias, quę vt ſic, maximè propria eſt quãtitati continuæ. Duo dixi in hac proprietate, ſcilicet quod conueniat quantitati, & non cuicumque, ſed continuę. Quorum primum (quod fatentur omnes) patet; quia ſicut nulli alteri rei, huiuſmodi partes cõuenit habere, ita neque diuiſsibilitas ſecundum illas, alteri à quantitate proprie poterit conuenire. Secundum autem, quod tantum quantitati continuæ conueniat, quod diffitẽtur communiter, probo aperte.

Primo. Diſcretum vt diſcretum, eſt actu diuiſſum; & nondum diſcretum eſt donec actu habeat diuiſsionem, ergo non eſt diuiſsibilis. Conſequentia probatur; quia ſicut repugnat iam factum, vt fit de nouo fieri, ſic repugnat iam diuiſsũ vt fit de nouo diuidi in partes in quas antea diuiſsũ erat.

Se-

Secundo. Diſcretum conſtituitur per diuiſionem continui, ergo ſolum continuum eſt hac diuiſione diuiſibile, patet, quia ſi diſcretum vt diſcretū, eſſet diuiſibile, per diuiſionē diſcreti, vt diſcreti, conſtitueretur etiam diſcretum: hoc autem nullus vnquam dixit, & experientia patet eſſe falſum, quando enim ex vno ligno numerus fit, aut ex duobus, certum eſt diuidi, & fieri ex illis plures vnitates, aut plura ligna vna, non vt diſcreta præciſſe, ſed vt continua, vt ſcilicet continent in ſe plures partes, quas vnitas præciſſe & vt ſic, non dicit, cum dicat indiuiſibilitatem.

Sed obijciunt Authores. Id quod actu exiſtit, poſsibile eſt vt exiſtat, ergo id quod actu diuiſſum eſt, poſsibile eſt, quod diuidatur, ergo eſt diuiſibile. Reſpondetur. Aliquas eſſe potentias paſsiuas ad actus, quibus perficiuntur, qua ratione poſsibilitas perficitur per exiſtētiam, materia per receptionem formæ, &c. Alias eſſe ad actus quibus deſtruuntur, vt corruptibile, mortale, diuiſſibile, per diuiſionem enim deſtructa eſt eſſentia continui, vt ſic, illud enim quod ante diuiſionem continuum erat, iā fit diuiſione diſcretum, potentiæ ergo priores, dicuntur cum actibus ipſis permanere, non ſic poſteriores, immo de prioribus etiam non permanent cum actibus ſuis, ſi de poſsibilitate ad eundem actum iterum recipiendum ſermo ſit, neq; enim aliquis homo naturaliter poteſt iterum naſci, aut exiſtere, aut eundem numero actum intelligendi, iterum producere.

Vt tamen hæc proprietas omni conueniat quantitati, de diuiſibilitate ſecundum aſsignationem interpretari optime poteſt. Diuiſibilitas enim Phiſica & realis, non tantum non conuenit quantitati diſcretæ, vt probaui, ſed neque quantitati continuæ ſucceſsiuæ: neque enim Phiſicè & realiter vna pars temporis ab alia ſeparari poteſt, aut permanere ſine alia, cum in cōtinuo fluxu & ſucceſsione eſſentialiter tempus conſiſtat, quod etiam ſupra tetigi, definitionē quantitatis explicans. Itaque diuiſibilitas realis, eſt de numero earum paſsionum quæ dicunt potentiam ad actum deſtruentem, reſpectu cōtinui permanentis, vt mortalitas & corruptibilitas reſpectu animalis.

Quinta Quantitatis proprietas, eſt extenſio partium in ordine ad Locum, quæ proprietas, tantum quantitati conti-

nuæ

Digitized by Google

nuę permanenti cōuenit. Quis enim dicat ſucceſsiuam quantitatem, V.g. tempus, eſſe in loco? Diſcreta etiam non eſt in illo, niſi ratione continuorum ex quibus componitur. Extenſio autē localis nihil eſt aliud, quam quædam commenſuratio qua locata quantitas ita ſe habet ad locum, vt tota reſpō deat toti loco, & pars parti: quæ proprie naſcitur ex hoc puod habeat partes conſiſtentes & extenſas. Quod autem ſit paſsio, patet, quia naturaliter non poteſt eſſe quantitas permanens ſine hac extenſione, & ex hac partium conſiſtentia in rerum natura exiſtente quaſi fluit, poteſt tamen ſupernaturaliter impediri, vt ſæpe de quantitate Chriſti Domini in Euchariſtia dictum manet.

Sexta quātitatis proprietas eſt, eſſe finitam, intellige in extenſione, & in numero partiū exigentium vnam eſſe extra aliam, vt ſic finitum in intenſione, & ſecundum entitatiuam perfectionem, quæ alijs etiam communis eſſe poteſt, excludas. Cum autem Ariſt. paſsionem quantitatis eſſe finitam, vel infinitam aſſerit, vt de infinitatē verificetur, ex ſuppoſitione loquitur, non abſolutè, ſcilicet, ſi eſſet poſsibilis infinita quantitas, id enim quod abſolute & naturaliter, immo ſecundum probabilem opinionem ſupernaturaliter eſt impoſsibile, non poteſt eſſe paſſio alicuius rei, abſolute tamē quantitatem eſſe finitam, vel infinitam verum eſt, quia ad veritatem diſiunctiuæ, vnius membri veritas ſufficit.

Vltima tandem proprietas, eſt ratio menſuræ, ſiue quod quantitas ſit menſura. Cum autem menſura duplex ſit, alia actiua, qua aliquid dicitur poſſe menſurare: paſſiua alia, qua menſurari poteſt quid. Prima, proprie loquendo non eſt paſsio quantitatis ex natura ſua, quia menſura, teſte Sanct. Thom. debet eſſe minima in eodem genere in quo eſt menſura, qualis eſt vnitas in numero, ſyllaba in oratione; at in continuo non inuenitur minimum, niſi ex humana inſtitutione, quod multiplicatum reddit totum quod menſurat ergo. Menſurabilitas autem, ſeu mē ſura paſsiua, omni conuenit quantitati, cuius partes menſurari poſſunt alia quantitate, ſaltim ad placitum ſumpta ab omnibus vt menſura, qua ratione tempus, quod eſt quātitas ſucceſsiua, menſuratur horologio, ſolidum permanens, vlnis. V.g. liquidum me-

metretis, &c. Immo ſi non ita riguroſe loquamur, de menſura actiua, poſſe menſurare ſecundum extẽſionem partium quantitatiuarum, ſiue eſſe mẽſuram ſimilis extenſionis in alio, eſt proprietas illius.

Notandum tamen eſt, quod ſicut infinitas (vt vidimus) non eſt paſsio quantitatis, ita neque linea infinita proprie loquendo eſſet menſurabilis, niſi forte ſecundum aliquas partes, & ſicut quantitas vel eſt finita, vel infinita, ita in eodem ſenſu dici poſſet, vel eſſe menſurabilem, vel non menſurabilem (loquor de menſurabilitate ſecundum ſe totam) menſurabilis quidem, ſi eſſet finita, non menſurabilis autem ſi infinita. Notandum etiam eſt, quantitatem dici menſuram inſtrumentalem, intellectum autem principalem, quatenus ipſe intellectus eſt qui certificatur de quantitate, medio aliquo alio quod aſſumit, vt per illud certificetur: & ideo hoc quod aſſumitur menſura dicitur inſtrumentalis, quod cum ſit quantitas, inſtrumentalis menſura dicitur eſſe.

Sed contra. Vna quantitas eſt menſura inſtrumentalis reſpectu alterius, & illa eſt menſurabilis per aliam, & illa per aliam, datur ergo proceſſus in infinitum. Reſpondetur, quod vt dixi, non eſt proprie menſura actiua, niſi quod eſt minimum in tali genere, vt vnitas in numero, &c. & ita ibi ſiſtitur, vel ſaltim ſiſti debet in illo, quod ad placitum habet rationem menſuræ, vt libra, vncia, &c. Adde etiam, quod idẽ poteſt menſurari ab alio, & menſurare illud, ſi ſint omnino ſimilia, vt vna libra aliam, duæ vlnæ ad inuicem, &c.

QVAES-

QVÆSTIO IIII.

Vtrum Diuiſiones Quantitatis ab Ariſtotele traditæ rectæ ſint.

QVatuor in præſenti videtur Ariſtoteles conſtituere Quantitatis diuiſiones, quæ explicãdæ ſunt ſigillatim. Prima eſt: Quantum, aliud per ſe, aliud per accidens. Quãtum per ſe dicitur illud, quod intrinſice & eſſentialiter participat rationẽ quantitatis. Quantum vero per accidens illud eſt, quod non à ſe habet quantitatem, ſed denominatur quãtum a quantitate ipſa, ſeu ab eo quod eſt quantum per ſe, vt ſubſtantia, quæ a quantitate denominatur quanta. In hæc autem duo membra certum eſt quantum non poſſe diuidi niſi diuiſione Analogi in Analogata, cum quantum per ſe, intrinſice, & eſſentialiter rationem participet quantitatis: Quantum vero per accidens non niſi ratione huius, & accidentaliter. Similiter hoc vtrumque quantum ab eadem quantitate dicitur tale, vnum eſſentialiter & intrinſice, aliud vero extrinſice & accidentaliter afficiente. Rogabis. Quare Ariſtoteles hanc diuiſionem per ſe, & per accidens, potius faciat in quantitate quam in alijs prædicamentis accidentium? Reſpondent communiter, hoc eſſe peculiare huic prædicamẽto, vt ipſa quantitas ſit quanta per ſe, prahabet enim in ſe, id quod communicat ſubſtantię, ſcilicet partium extenſionem & impenetrabilitatem; & ideo reperitur in illo quantum per ſe, in alijs autem prædicamentis non ita, neque enim albedo eſt alba, &c. vt omnes concedunt. Sed hoc qua ratione intelligendum ſit, in Annotationibus ad textum huius Capitis explicuimus.

Secunda diuiſio, qua diuiditur quantitas in continuam & diſcretam, ex omnium fere ſententia eſt generis in ſpecies. Patet primo, quoniam huius quòd eſt habere partes exigentes aliquam diſtantiam inter ſe, in qua quantitatis ratio

tio ſita eſt, certe immediatiores, & magis per ſe differentiæ videntur eſſe, habere partes illas vnitas, aut non vnitas, ſi ergo quantitas continua & diſcreta per has differentias conſtituũtur, & diſtinguuntur, ſpecies erunt quantitatis cenſendæ. Secundo, quia alias ſequeretur dari in hoc prædicamento, duo ſuprema genera. Patet, quia quantitas continua genus eſt ad quinq; ſpecies quantitatis continuæ, quas hic numerauit Ariſt. Diſcreta item, ad alias duas, numerum ſcilicet, & orationem, ergo duo ſuprema genera. Conſequentia probatur. Quia vel hæc duo genera habent ſupra ſe aliud genus quantitatis, vel non habent, ſi habent, & ego intentum, erunt enim ſpecies ſubalternæ illius ſupremi generis, quod intendo, ſi non habent, ergo duo ſuprema genera ſunt, quia genus ſupremum eſt illud, quod non habet ſupra ſe aliud. Tandem tertio, quia non numeraſſet Ariſtot. immediatas ſummi generis huius prædicamenti ſpecies, quod tamen ad eius ordinationem, in quo prædicamenti ratio conſiſtit, erat maxime neceſſarium.

Sed contra obijcies primo, vna ſpecies non fit ex alia, ſed quantitas diſcreta fit ex continuis, ergo non ſunt duæ ſpecies diſtinctæ. Reſpondetur, quantitatẽ diſcretã nõ fieri ex continuis formaliter ſumptis, ſed ex vnitatibus continuorũ ratione vnitatũ, hoc autẽ nullum eſt inconueniens, quia nõ cõponitur vna ſpecies formaliter ex alia, etiam formaliter ſumpta. Addo & explico; quod ſicut ex ligno fit ignis; deſtructa tamen forma ligni, ſic ex cõtinuo fit diſcretum, deſtructa per diuiſsionem forma continui, diuiſſum enim formaliter vt ſic, non dicit cõtinuum. Sed contra. Numerus denominat quantitates continuas, & accidit illis vt ſic, ſed vna ſpecies neq; denominat aliã, neq; accidit illi, vt patet in homine, & equo, ergo, &c. Reſpondetur primo, negãdo minorẽ, genus enim quod eſt ſpecies vniuerſalis, denominatiue eſt ſpecies reſpectu huius, & illiꝰ generis, & tamen genus & ſpecies duæ vniuerſalis ſpecies ſunt. Addo ſecũdo. Nõ denominare Quantũ continuũ, præciſſe & formaliter vt continuum eſt, ſed vt componit diſcretum in ſenſu iam explicato.

Tertia diuiſsio eſt. Quantũ, aliud conſtat ex partibus habentibus poſitionem inter ſe; aliud ex non habentibus. Partes habentes poſitionem, ſunt partes ita inter ſe ordinatę, vt

vna

Digitized by Google

vna ſit veluti locus & ſedes al terius,quomodo digitus eſt in manu,manus in brachio, brachium in corpore,&c.& hanc poſitionem, tantum aſſeruit Ariſtot. conuenire quantitati continuæ permanenti, quia partes quātitatis diſcretæ inter ſe vnitæ non ſunt, neq;etiā partes temporis, quod eſt quantitas ſucceſsiua, talem habent poſitionem, quia non habent conſiſtentiam in duratione, atque adeo vna pars non erit in alia, non enim dicimus præteritum tempus eſſe in præſenti, aut in futuro, neque è contra,ſicut neq; vnā vnitatem numeri eſſe in alia. Tria ergo requiruntur, vt aliquæ partes propriè habeant poſitionem,ſcilicet, vnio partium inter ſe, *exclude quantitatem diſcretam*,Secūdum,permanentia, & ſimultas, *exclude ſucceſsiuam*, Tertium deniq;ordo & diſpoſitio eorum ſecundum locum,quod quantitati ſucceſsiuæ non conuenit, & licet diſcretæ conueniat,nō tamen habet partes cum poſitione, quia duę aliæ deficiunt conditiones.

Hæc autem diuiſio,eſt ſubiecti in accidentia,nam habere poſitionem aut non habere, accidit ſpeciebus quantitatis,licet ex earum eſſentia naturaliter ſequatur, poſitio enim partium nihil eſt aliud formaliter, niſi ordo quidam earum in toto, & in loco, qui conſequitur ex eo, quod partes ſint extra partes inter ſe vnitæ & permanentes: de ordine ſic ad locum intellige, quod naturaliter id petāt, idq; naturaliter habeant niſi impediantur. Diuiditur tandem Quantum in permanens, & ſucceſsiuum.Sed de his dicam ſtatim.

II. PARS DISPUTATIONIS.

De Quantitate continua, & eius ſpeciebus.

Ratio & eſſentia Quantitatis continuæ, eſt habere partes, quarũ ſingulæ natura ſua exigant extra aliàs eſſe, copulatas aliquo indiuiſsibili, quod appellauit Ariſt. *terminũ communẽ*; fortaſſe, quia munus eius eſt quaſi communicare vnam partem alteri, ſeu eſſe cauſam quare partes quæ ſunt vna extra aliam, per continuationem communicẽtur & ſint vnitæ. Cùm enim quæuis pars quantitatis continuæ natura ſua, petat eſſe extra aliam, quia quantitas continua vt quantitas eſt, petit partes extra partes, & ex alia parte, vna continuetur alteri, quia vt continua petit quod continuentur, certe niſi medio aliquo indiuiſsibili id fiat, nõ apparet quomodo vna pars & poſsit eſſe extra aliã, & illi continua, quia partes quantitatis non poſſunt omnino immediatè, naturaliter eſſe ſimul, cum vna petat eſſe extra aliam, cum illo autem cõtinuatiuo & manet pars extra partem, quia non ſunt omnino vna intra aliam, & manent continuatæ, quia medio aliquo indiuiſsibili continuãtur, & hæc eſt ratio conſtituendi hæc indiuiſsibilia. Terminus autem iſte communis, in linea eſt punctum, partes enim lineæ copulantur punctis; ſimiliter partes ſuperficiei copulantur lineis, quæ ſunt indiuiſsibiles ſecundum latitudinem, & partes corporis copulantur ſuperficiebus, quę ſecundum profunditatem indiuiſsibiles ſunt. Iſta autem indiuiſsibilia, licet per negationem aliquam extenſionis, aliquando definiantur, vt Euclydes, & cum eo Mathematici, punctum definiunt, *cuius nulla eſt pars*, ſunt tamen abſq; dubio aliquid poſitiuum, quia medijs illis fit continuatio, ſed continuatio partium quantitatis quæ eſt quid reale, non poteſt perfici ſolis negationibus, ergo. Contigua etiam teſte Philoſopho lib. 5. phiſicorum text. 26. ſunt, *quorum extrema ſunt ſimul*, quæ ideo contigua dicuntur, quia medijs extremitatibus ſe contingunt, ſed hìc mutuus contactus

tactus

Digitized by Google

tactus & ſimultas non eſt ſecundum negationes, vt patet, non eſt ſecundum partes ipſas, quia hæ naturaliter nequeunt eſſe ſimul, vt dixi, & quia quæuis quantitas aliquo indiuiſibili terminatur, ergo indiuiſibilia ſunt aliquid poſitiuum in quantitatibus, medijs quibus dicuntur eſſe ſimul, & quibus medijs quantitates ſe contingendo, cõtiguæ ſunt. Quæ omnia iam clarius explicabuntur.

QVÆSTIO. I.

An linea, ſuperficies, & corpus, ſint vera ſpecies Quantitatis continuæ.

ESSENTIAE Quantitatis continuæ in communi prælibato aliquo iam, explicemus oportet rationem illius in particulari. Poſuit autem Ariſtoteles quinque quãtitatis continuæ ſpecies, ſcilicet lineam, ſuperficiem, corpus, tempus, & locum Dequorum tribus primis præſens eſt quæſtio agitanda.

Pro eius tamen deciſsioſione Præmitto primo. Triplicem in quouis corpore quanto excogitari poſſe extenſionem. Prima eſt, quaſi à ſurſum ad deorſum, aut è contra, non conſiderando latera corporis; & hęc dicitur longitudo & linea. Secunda extenſio eſt, latitudo quaſi à latere ad latus, ſine hoc quod conſideremus profunditatem, & hæc dicitur ſuperficies, quia eſt quod tantum apparet extra & ſuperficialiter, ſine hoc quod interius aliquid penetretur. Et hinc intelligetis, quare illi qui tantum ſecundum ea quæ apparent exterius iudicant, non penetrando rerum naturam, neq; ſe *vt ita dicam,* in earum eſſentiam intromittendo, ſuperficialiter loqui dicantur. Tertia denique extenſio, eſt profunditas, quæ corporis(liceat ſic loqui) ima petit, partes penetrat, & ab interioribus, ſeu exterioribus, ad interiores

riores poſterioreſq; tendit, & vadit: & ideo etiam, qui de re aliqua rectè loquitur, eius penetrando naturam, profundè loqui dici conſueuit.

Explicant autẽ Mathematici has extenſiones ſic. Supponendo, quod ſit quædã entitas minima omnino indiuiſsibilis, etiam ſecundum lõgitudinem & latitudinem, & quouis alio modo; quod appellant punctum, hoc ergo punctum (inquiunt) ſi fingamus ſeparatum fluere à loco in locum, veſtigiũ illud quod imaginamur relinquere, id appellatur linea, ſiue longitudo: ſimiliter ſi tota ipſa linea, non ſurſum verſus, aut deorſum, ſed verſus latera moueatur, veſtigium ex tali lineæ fluxu relictum, eſt ſuperficies, ſeu latitudo. Deniq; ſi tota ipſa ſuperficies moueretur quaſi deorſum, & ſeſe intromitẽdo, ac velut profundizando, veſtigium illud dicitur corpus & profunditas. Vnde lineã eſſe longitudinem ſine latitudine, ſuperficiem, latitudinem ſine profunditate, corpus vero, ex trina dimenſione conſtans, definiunt Mathematici, appellantq; lineam, longitudinem illatabillem, ideſt expertem latitudinis, ſuperficiem, planum, & corpus, profundum & ſolidum. Ratio etiam ſuperficiei explicatur optime in vmbra quam facit corpus opacum, cum nullam habeat profunditatem, ſolumq; appareat lata & lõga. Profunditas etiã optime poteſt explicari in corpore lucido chriſtalo, V. g. in quo non ſolum videmus quaſi partes exteriores, ſed etiam quæ intra, in profundo & in imo ſunt. De His ergo tribus ſigillatim dicendũ eſt, & primo de corpore, in quo minor eſt difficultas, quod ſi aliqua poteſt eſſe, tantum ex æquiuocatione emanabit, quę vt tollatur.

Præmittẽdum eſt ſecundo. Corpus multipliciter ſumi poſſe. Primo ſumitur pro corpore, quod eſt compoſitum quoddã ſubſtantiale ex materia & forma, & vt ſic cõſtituit vnum ex generibus ſubalternis, in recta ſubſtantiæ linea conſtitutis. Secundo ſumitur pro altera parte cõpoſiti ſubſtantialis, qua ratione dicitur homo conſtat corpore, (ecce partem vnam) & anima (ecce aliam.) Tertio deniq; pro quadam ſpecie quantitatis cõtinuæ ſumitur, quæ iam explicata eſt. Appellatur autẽ corpus, fortaſſe, vel quia eſt paſſio corporis ſubſtantialis, vel quia magnã tribuit ſubſtantię molem, quæ aliena eſt à creaturis omnino incorporeis.

Hoc

Hoc ergo corpus, quantitatis eſſe ſpeciem, in dubium cadere exiſtimo minime poſſe, habet enim partes natura ſua exigētes extenſionem, immo ſecundum omnem dimenſionem extenſum eſt. Cum ergo eſſentialem quantitatis rationem participet perfectiſsimè, & ſit quoddā ens completū, & in genere extenſionis præcipuum, nihil poteſt eſſe quod illud à ratione quanti, & ſpecie quantitatis remoueat. In quo quia clara res eſt, non immoror.

De linea autem, & ſuperficie, non eſt ita certum, ac de præcedenti, cum enim lineam dixerimus eſſe indiuiſibile quid, & continuatiuum ſuperficiei, & ſuperficiem etiam eodem modo reſpectu corporis, videntur entia eſſe incompleta, & natura ſua ad alterius conſtitutionem ordinata, ac per conſequens non poterunt eſſe ſpecies. Quod ſecundo ſic corroboro. Ea quæ ad conſtitutionem phyſicam compoſiti ſubſtantialis pertinent, ſunt quid incompletum in illo genere, & prædicamento ſubſtātiæ; ergo quicquid natura ſua pertinet ad compoſitionem integrantem quantitatis, non pertinebit per ſe & directe ad hoc prædicamentum, ſed tantum tanquam quid incompletum, & reductiue, at ſicut ſe habet linea reſpectu ſuperficiei, ſic ſuperficies reſpectu corporis, ergo non ſunt per ſe quantitatis ſpecies.

Aliud ſimile eſt de puncto, (quo id tertio confirmo.) Punctum enim eſt ens incompletum, quia ex natura ſua ordinatur ad componendam lineam, eius partes continuandas, & terminandas, ſed linea & ſuperficies ſic ſe habent, prima enim ad componendam terminandamq; ſuperficiem ordinatur, alia autem ad conſtitutionem corporis, eiuſq; partes copulandas; pertinebunt ergo reductiuè ad quantitatem ſicut punctum, neq; erunt ſpecies illius ſicut illud.

His tamen non obſtantibus, eſt cōmunis cōcluſio omnium expoſitorum, & Ariſt. hic & 5. Meth. cap. 13. & primo de cœlo cap. 1. lineam & ſuperficiem eſſe diſtinctas & veras quantitatis ſpecies, in recta huius prædicamenti linea collocandas. Ratione probo. Primo, quia habent partes, quæ natura ſua exigunt vnam eſſe extra aliam, partes itē extenſas ſecundum aliquam dimenſionem, linea ſecundum longitudinem, & ſuperficies ſecūdum latitudinē, ergo ſunt ſpecies, cum in eſ-

ſentia quantitatis conueniât, & ex alia parte proprias habeant differentias eſſentiales, (ſcilicet ſecundum longitudinem, aut latitudinẽ) per quas diſtinguantur. Secũdo. Probatur ratione Ariſt. quia ea quæ participant eſſentiam quantitatis continuæ, & habẽt diuerſa continuatiua, ſunt diſtinctę ſpecies continuæ quantitatis, cum enim continuatiua ſint de intrinſeca ratione cõtinui, vbi fuerint diuerſę rationis cõtinuatiua, erunt etiam diuerſę ſpecies quantitatis continuæ, ſed hæc duo habent partes extenſas vnitas, quæ eſt eſſentia quantitatis continuæ, habent etiam diuerſa continuatiua eſſentialiter, cum linea punctis, ſuperficies lineis continuetur, ergo erunt diuerſæ quantitatis ſpecies. Tertio. Quãtitas quę habet partes natura ſua extenſas ſecundum profunditatem, eſt vera ſpecies quantitatis continuæ, ergo etiam illæ quæ habent partes natura ſua extenſas ſecundum longitudinem, aut latitudinẽ, quia omnes participant extenſionem vnitam: & quod vna aliã continuet, (quod poterat ea à ratione ſpecierum diſtrahere,) non impedit, (vt videbimus.)

Dices. Quid ſint iſta continuatiua? ſed de hoc dicẽdum eſt ex profeſſo. 6. Phyſic. Nũc autem Dico, quòd hæc continuatiua nihil ſunt aliud, quam quædam entia indiuiſsibilia, quę non ſunt partes continui, quia eius partes debẽt eſſe diuiſsibiles, deſeruiunt tamẽ ad hoc, quod eſt coniungere, ſiue continuare partes ipſas, & terminare, ac finire illas: linea enim non tantum in extremitatibus his indiuiſsibilibus conſtat, ſed etiam in medio, & in omnibus partibus lineæ reperiuntur iſta puncta, ita quod inter qua libet duas partes ſit vnum punctum, & quęlibet pars etiã terminetur duobus punctis, quibus cum alijs partibus continuatur: in ſuperficiebus etiam, lineæ non quatenus ſunt diuiſsibiles in longitudine, ſed quatenus in latitudine indiuiſsibiles ſunt, ſuperficiẽ, quæ eſſentialiter eſt latitudo, continuãt; ſicut enim lineę cõtinuatiuũ in ratione lõgitudinis debet eſſe indiuiſsibile, quia ſi diuiſsibile eſſet, eſſet pars, ac proinde naturaliter vna pars eſſet cum alia, ita cõtinuatiuũ ſuperficiei in ratione latitudinis, debet eſſe indiuiſsibile propter eandem rationẽ. Idem dicendũ eſt de ſuperficie reſpectu corporis, eſt enim indiuiſsibilis in ratione profunditatis: Itaq; linea vt indiuiſsibilis ſecundũ latitudinem,

nem, terminat & continuat, licet vt diuiſsibilis ſecũdũ lõgitudinem, ſit ſpecies, & idẽ de ſuperficie. Hæc autem continuatiua vt ſic, reductiuè ponuntur in ſpecie ſui continui, vt punctum reductiue in ſpecie lineæ, &c.

Ex quo ad obiecta patet ſolutio. Alia enim ratione continuant, & alia ſunt ſpecies: cõtinuant quidẽ ſecundũ indiuiſſibilitatẽ (vt dixi) & vt ſic præciſſe ordinãtur ad cõtinuationẽ aliorũ, qua ratione nõ ſunt ſpecies, ſed vt dicunt propriã diuiſsibilitatẽ, & ita diuerſa ratio eſt de partibus phyſicis, V. g. materia & forma, cũ tota earum entitas, ſit in ordine ad cõpoſitum, & nõ habeãt rationẽ entis cõpleti. Diuerſa etiã eſt ratio de puncto, cũ punctũ eſſentialiter, & omnino, ſecundũ quãuis conſiderationem ſit indiuiſsibile. Vnde, (vt aliud ſoluas argumentũ) licet linea pertineat ad cõſtitutionẽ intrinſecã & eſſentialẽ ſuperficiei, quod videtur repugnare vni ſpeciei reſpectu alteri9, hoc tamen non habet ſecundum diuiſsibilitatem longitudinis, ſecundum quam eſt ſpecies, ſed ſecundum indiuiſsibilitatem latitudinis, ſecundum quam continuatiuum eſt.

Sed contra vrgenter obijcio. Indiuiſsibilitas illa ſecundũ latitudinẽ in linea, non eſt aliqua ratio poſitiua, aliquo modo diuerſa ab ipſa longitudine lineæ, vel ergo continuatio ſuperficiei tribuenda eſt ipſi lineę, vt longa, vel alicui priuationi; q eſt contra dicta. Reſp. Inextenſionẽ ſecundum latitudinem vt ſic, eſſe rationẽ aliquam, licet non realiter, aliquo tamẽ modo à lõgitudine lineæ diuerſam: in puncto enim reperitur indiuiſsibilitas ſecũdũ latitudinẽ, in quo tamen nõ reperitur lõgitudo, & in ſuperficie intelligitur extẽſio ſecũdũ latitudinẽ, ſine indiuiſsibilitate ſecundũ latitudinẽ, inextenſio tamen ſecundum latitudinem, non quomodocũq; eſt continuatiua ſuperficiei, ſed vt fundata in longitudine lineę, ſicut etiã inextenſio ſecundũ profunditatẽm, eſt continuatiua corporis, vt fundata in latitudine ſuperficiei.

Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, quia vel illa ratio inextenſionis ſecundum latitudinem, vt formaliter diuerſa à longitudine, eſt quid poſitiuũ, vel non, nõ primũ, quia vt ſic præciſſe, tantum dicit inextenſionem, inextenſio autem priuatiuum quid eſt, nõ poſitiuũ, Patet. Extenſio eſt aliquid poſitiuũ, ergo inextenſio aliquid priuatiuum eſt, ergo dicendũ eſt ſecũdum, ſcilicet quòd nõ

ſit quid poſitiuum, ac per conſequens, quod formaliter, vt continuatiuum, non ſit poſitiuum quid; quod eſt contra dicta. Patet rurſus, quia nõ eſt continuatiuum, niſi vt quid formaliter diſtinctum à longitudine, ſed vt ſic, aliquid priuatiuum eſt, (vt probaui) ergo, &c.

Reſpondetur. Non poſſum negare, formalitatem inextẽſionis omnino formaliter ſumptam, eſſe aliquid priuatiuũ, ſed tamen non continuat omnino formaliter ſumpta, ſed vt fundata in longitudine lineæ, ſicut inextenſio puncti ſecundum longitudinem, non continuat lineam, niſi fundata in entitate poſitiua puncti, ſufficit autem ad poſitiuitatẽ (vt ita dicam) continuatiui, vt entitas in qua fundatur, quæq; vt illam habet priuationem, intrat ad compoſitionem continui, reale quid ſit, & poſitiuum, licet componere non poſsit, niſi vt priuata tali diuiſsibilitate, & extẽſione. Sic enim Ariſt. 1. Phyſicorum, priuationem cõſtituit inter principia rei naturalis, quia materia non componit, niſi vt priuata forma generanda, quid mirum quòd in compoſitione integrante, quæ imperfectior eſt, & in modo componẽdi continuatiuorum, qui eſt imperfectiſsimus, componat & continuet aliqua entitas poſitiua, vt extenſione continui compoſiti caret, & vt eſt fundamentum talis priuationis?

Sed contra hanc concluſionem objicio ſecũdo. Vna ſpecies non poteſt in vno cõceptu, includere eſſentialiter conceptum alterius ſpeciei, neq; enim conceptus hominis conceptũ equi includere poteſt, ſed ratio & cõceptus lineæ eſt longitudo, ratio & conceptus ſuperficiei eſt longitudo, & latitudo, ratio & conceptus corporis, eſt longitudo, latitudo, & profunditas; igitur ſpecies diuerſę non ſunt. Cõfirmo hoc ex Ariſt. 5. Meth. cap. 13. lineã definiente, *eſſe continuam ad vnum*, ideſt ſecundum vnam dimenſionem, longitudinem ſcilicet, *ſuperficiem ad duo*, ideſt ſecundum duas dimenſiones, ſcilicet longitudinem & latitudinem, *corpus vero ad tria*, ideſt ſecundum trinam dimenſionem iam explicatam.

Pro huius argumenti ſolutione. Notandum eſt, non eſſe Dubium in ſuperficie eſſe longitudinem, quam ſecum affert linea, quæ intrinſicè illam terminat & continuat, & in corpore longitudinem & latitudinem, quam ſecum afferunt linea & ſuperficies. Dubium ergo tantum eſt, An corpus,

Digitized by Google

pus, verbi gratia prout diſtinguitur à ſuperficie, & intelligitur vt terminabile per illã, includat latitudinem, & an ſuperficies prout à linea diſtinguitur, longitudinem etiã includat.

In qua re (quicquid alij velint) Reſpondetur. Rationem & eſſentiam lineæ, tantum eſſe longitudinem, rationem ſuperficiei, latitudinem, rationẽ deniq; corporis, profunditatem, quamuis corpus includat ſuperficiem, vt continuatiuum, & ſuperficies lineam. Probatur primo ex Ariſtot. 5. Meth. text. 18. vbi ſolàm profunditatem appellat corpus. Secundo. De corpore & ſuperficie, de quibus tantum poteſt eſſe dubium, probatur. Si ſuperficies longitudinem lineæ, qua terminatur, includeret eſſentialiter aliam longitudinẽ, ſequeretur, ſuperficiem aut duplici longitudine eſſe longam, aut eius latitudinem duplici longitudine terminari, quod eſt ſuperfluum. Tertio. Sequitur etiam in differentia vnius ſpeciei formaliter ſumpta, includi eſſentialiter differẽtiam alterius, quod capite de differentia vidimus eſſe impoſsibile. Sequelã probo. Differentia lineæ, eſt longitudo, ſed hæc per te eſſentialiter includitur in ratione ſuperficiei, vt eſt ſpecies diſtincta à linea. ergo, &c.

Dices. Nõ eſt eadem longitudo lineæ, ſed alia diſtincta. Contra, quia licet non ſit eadem numero, eſt tamen eadem ſpecie, ac per conſequẽs ratio ſpecifica vnius ſpeciei, includetur in ratione ſpecifica alterius, quod intendebã. Quarto. Longitudo eſt magnitudo, conſtans partibus vnitis puncto, ergo ſi in ſuperficie prout diſtinguitur à linea, eſt longitudo, in ſuperficie prout à linea diſtincta, erunt puncta, & ita habebit duo cõtinuatiua, adhuc vt diſtincta ab alijs ſpeciebus, imo vt ſic, erit duæ ſpecies. Probo, quia vt diſtincta ab alijs ſpeciebus, habet continuatiua diuerſæ rationis, ſcilicet punctum, & lineam, ſed continuatiua diuerſę rationis, diuerſam etiam rationem arguunt in continuatis, ergo &c. Imo rurſus ſequitur, quod in ſuperficie prout diſtincta à linea, formaliter ſit linea, & prout diſtincta à longitudine, ſit longitudo, quæ omnia à fortiori probant in corpore; in illo enim poteſt probari proportionaliter, quòd vna ſpecies formaliter ſit triplex, vt facile patebit diſcurrenti.

Vnde ad obiectionem facilis eſt ſolutio, negando minorem,

rem, quod ſuperficies in ſua eſſentia includat longitudinem, niſi tantum vt continuatiuũ, idẽ de corpore reſpectũ ſuperficiei, quod nihil facit contra nos, vt probatum eſt, & probari rurſus poterit à ſimili. Eſſentia lineæ cõſiſtit in ſola extẽſione ſecundũ lõgitudinẽ, quãuis pro termino ſuarum partiũ habeat entitatem poſitiuam vndequaq; indiuiſſibilem, ergo eſſentia ſuperficiei aut corporis, in ſola latitudine aut profunditate cõſiſtet, quãuis pro termino habeat lineam indiuiſsibilẽ ſecũdum latitudinem, & ſuperficiem ſecũdũ profũditatem.

Ad confirmationẽ ex Ariſt. Reſp. Vere lineam eſſe continuã, aut diuiſsibilem ad vnũ, ſuperficiẽ ad duo, quia includit lineas, & eas quaſi ſupponit neceſſario, & ita ratio lineæ quã includit vt terminũ, diuiſsibilis eſt, & extenſa ſecũdum longitudinẽ, ratione autẽ ſuæ eſſentiæ propriè eſt continua, & extenſa ſecundũ latitudinẽ; idem de corpore dicẽdum eſt, & ſic intelligẽdæ ſunt authoritates tam Ariſtotelis, qui Euclydis, Mathematicorum Principis, qui pro contraria ſententia ab aliquibus adduci ſolet.

Dices. Si ergo ſola profunditas eſt de ratione corporis, intelligi, & reperiri poterit ſolum cũ illa, ſine longitudine, & latitudine. Reſp. Non poſſe, quia cum corpus ſit quantitas cõtinua, implicat illã ſine continuatiuis intelligere, nõ quia ſint de cõceptu vltimo præciſſo & formali eius (vt explicui) ſed quia continuatũ ſine cõtinuatiuis eſſe non poteſt, quia ergo corpus cõtinuatur ſuperficiebus, ſuperficies lineis, ideo ſine illis eſſe non poteſt.

Sed contra obijcies. Superficies nõ eſt continuatiuũ corporis, niſi tantũ vt dicit indiuiſsibilitatẽ ſecũdũ profunditatẽ, ſed vt ſic nõ continuatur lineis, ergo vt eſt in corpore nõ eſt cõtinuata illis, ac proinde ex hoc quod ſuperficies ſit continuatiuũ corporis, non ſequitur in corpore eſſe longitudinem. Reſp. Inextenſionẽ illã ſecundũ profunditatem, nõ poſſe cõtinuare corpus, niſi vt fundata eſt in latitudine ſuperficiei, quæ latitudo non poteſt cõtinuari inextenſione ſecundum latitudinẽ, niſi vt fundata in diuiſsibilitate ſecundum latitudinẽ (vt dixi) vnde de primo ad vltimũ hæc trina dimẽſio in corpore reperitur.

Dices. An iſtę ſpecies infimę ſint, an ſubalternæ? Reſp. Infimas eſſe. Patet, quia in omnibus lineis reperitur eadẽ ratio & eſſentia extẽſionis, ſcilicet

cet

cet longitudo, in omnibus ſuperficiebus, eadē ratio latitudinis, & in corporibus eadem ratio & extēſio ſecundum profunditatē, ita quod quælibet alia differentia, V.g. lineæ bicubitæ, aut tricubitæ, curuæ, aut rectę, accidentales ſint, tātum ergo ſunt ſpecies infimę.

Sed contra obijcies S.Tho. dicentē, bicubitā, aut tricubitā lineā, ſpecie differre. Reſp. hoc intelligendū eſſe in ratione figurę, non vero in ratione extenſionis. Cōtra. Figura eſt paſsio quātitatis, ſi ergo in ratione figurę differunt, differūt in paſsione, ergo in eſſentia. Reſp. Paſsionem quantitatis non eſſe hanc aut illlam figurā, ſed figuram aliquam in cōmuni, & vt ſic tantum.

Queres tandē. An magnitudinis (ſic enim appellatur quātitas cōtinua permanens) ſint plures ſpecies his? Reſp. Nō eſſe, & probatur. Quantitas continua permanēs debet habere partes copulatas termino cōmuni, ſeu indiuiſsibili aliquo permanenti, ſed iſtud indiuiſſibile permanēs ſolum eſt triplex. Ergo &c. Minor probatur, quia vel eſt vndequaq; indiuiſsibile, & ſic eſt punctum, vel indiuiſsibile ſecundū duas dimenſiones, ſcilicet latitudinē & profunditatē, & ſic eſt linea, vel deniq; ſecundū vnam tantum, ſcilicet profunditatē, & ſic eſt ſuperficies, ergo quātitas continua permanens tantum erit triplex, ſcilicet, vna quæ punctis, alia quæ lineis, alia deniq; quæ ſuperficiebus continuetur.

HÆC DICTA SINT PRO COMMUNI ſententia.

PLacet tamen, quia oppoſita ſatis probabilis eſt, ſcilicet in corpore diuerſam eſſe longitudinē, & latitudinē, à longitudine, & latitudine lineæ & ſuperficiei, & in ſuperficie diuerſam eſſe lōgitudinē, à longitudine lineę, conſequēterq; iuxta eā, quę intendebat adducta obiectio, non eſſe veras & cōpletas quātitatis ſpecies, lineam & ſuperficiē. Hæc inquā ſententia probabilis ſatis eſt, ne dicā probabilior, ſūt enim pro illa vrgētia argumēta. Primū eſt. Quantūuis in ſuperficie pręſcindas latitudinē, à linea, in extenſione illa lata longitudo quędā eſt, & hęc nō eſt lōgitudo lineę, quia ſuppono lineā præciſſam, ergo eſt lōgitudo alia diſtincta à lōgitudine lineæ. Maior probatur, quia ipſā latitudinē linea metimur, & ad minꝰ metiri poteſt, ſed linea non poteſt metiri latitudinem

titudinem (vt latitudo) ſed vt longitudinem habet, ergo. Secundo, & hoc ipſum amplius explicatur. Sumamus lineam terminantem ſuperficiē, quæ extenditur extenſione longa à ſurſum vſque deorſum, vel à latere in latus, hæc linea verſus eandem partem extenſionis non eſt immediata alteri lineę, mediat ergo extenſio ſuperficiei, ergo verſus eandem partē longitudinis eſt extēſio mediās inter lineā, & lineā ergo illa extenſio cum ſit diſtincta à linea, & verſus eandem partem longitudinis, neceſſario debet habere extenſionē longitudinis diſtinctam ab extenſione longitudinis lineæ. Explico tertio. Quia ſicut pūctum non extendit lineam formaliter, ſed potius quaſi penetratur parti lineæ, illamq; terminat, ſic linea quatenus terminat ſuperficiem, illi penetratur, nequillam extendit, ſed tota linea longa, V. g. palmi vnius, penetratur cum ſuperficie, ita vt in ſuperficiè illa immediatè, aliqua extenſio proportionata palmo illi reſpondeat, ergo hæc extēſio ſic proportionata, & reſpondens palmo lineæ, longitudinem habet; & hæc non eſt longitudo lineæ, habet ergo ſuperficies longitudinē a linea diſtinctā.

Idē argumentū fieri poteſt de corpore, inter ſuperficiē enim & ſuperficiē, mediat profunditas reſpondens toti extēſioni ſuperficiei; ergo eſt etiā latitudo in partibus corporis vt diſtinctis à ſuperficie, vbi explicationes adductæ applicari facile queunt. Addo, axioma cōmune aſſerens, de eſſentiá corporis de prædicamēto quātitatis, eſſe trinam dimēſionem, facilius multò ſecundū hanc ſententiam explicari poſſe, ac proinde videri Ariſt. placito magis conformē: etenim cum quantū à continuatiuis, non ſumat extenſionē, ſed potius extenſio in illo ſupponatur, vt in ratione continui vt ſic, continuatiuis continuetur; lineæ q; & ſuperficies ſint continuatiua corporis, ſit, vt trina extēſio aut dimēſio quę in corpore ab omnibus conceditur, non ſumatur à lineis & ſuperficiebus, ſed verè corpus ipſum cōtinuatum, illā in ſe habeat. Trina autē dimenſio dicit longitudinē, latitudinē, & profunditatē, ergo non habet lōgitudinē à linea, ſeu latitudinē à ſuperficie, ſed vtrūq; à ſe.

Sed Reſp. P. Suarez. Ex his ſolū probari in ſuperficie, aut corpore reperiri lineas ex omni parte, & ſecundū omnē poſitionē, atq; ita eſſe pmixtas has dimēſiones, vt nō poſsit aliqua planities vel pfūditas reperiri

in qua non ſit interpoſita longitudo. Sed hęc ſolutio potius confirmat noſtram ſententiã, cum enim illa interpoſitio lõgitudinis ſit ſine immediatione linearum, quantũuis enim interponantur lineæ non ſunt immediatæ, ergo mediat extẽſio aliqua, quaſi replens illam mediationem linearum, reſpondenſq; earum longitudini, ergo ſecundum hanc rationẽ qua reſpõdẽt lõgitudini linearum, longitudinem habent diſtinctam.

Dices. In quo ergo diſtinguitur longitudo lineæ à longitudine ſuperficiei; & latitudo ſuperficiei à latitudine corporis? Reſpondetur, quod ſicut ſubſtantia materialis reſpondens quantitati corporeæ habet etiam ſubſtantialem lõgitudinem, latitudinẽ, & profunditatem, aliàs non haberet partes extenſas adhuc ſub quantitate, quantitaſq; in ſubiecto indiuiſsibili reciperetur, quod iam probauimus eſſe falſum, ſic latitudo & longitudo corporis diſtinguitur à latitudine ſuperficiei, & longitudine lineæ multipliciter. Primo. Quia hę extenſiones vt ſunt corporis, naturaliter penetrari non poſſunt, neq; ſimul coexiſtere eidẽ loco, ſicut & partes ipſius corporis, prout tamen iſtæ extenſiones ſunt ſuperficiei & lineę, naturaliter penetrari poſſunt, neque pugnant in eodem loco, vt conſtat in ſuperficie cõcaua & conuexa vnius cæli, quas penetrari conſtat, cum adæquate reſpondeant, & intime pręſentes ſint eidem loco; præcipue, quia hoc ipſo quod ſint indiuiſsibilia ſecundum profunditatẽ duę ſuperficies, & ſe tangant, non poſſunt non penetrari, quia tangunt ſe, ſecundum ſe totas; in indiuiſsibili enim non eſt aliquid, quo ſe tangat, & quo non, quod conſtat aperte ex ratione indiuiſsibilis, ideoq; dicitur, indiuiſsibile additum indiuiſsibili, non facit maius. Differunt ſecundo. Quòd hæ dimenſiones corporis, perfectè intelliguntur ſine longitudine & latitudine ſuperficiei, vel lineę, quia linea & ſuperficies ſolum requiruntur tanquam continuatiua, non vero vt dent extenſionem corpori, & ita longitudo & latitudo lineæ & ſuperficiei, non ſunt de eſſentia extenſionis corporis, bene tamen de eſſentia lineæ & ſuperficiei. Differunt tertio. Quòd longitudo lineæ vt lineæ, poſtulat indiuiſsibilitatem ſecũdum latitudinem, & latitudo ſuperficiei, indiuiſsibilitatem ſecundum profunditatem, ita vt hæc indiuiſsibilitas conſequatur

quatur eſſentiā eorum; diſtinguanturq; realiter modaliter à profunditate & latitudine corporis, quam continuant, lõgitudo tamen corporis, vt corporis eſt, nõ eſt indiuiſsibilis ſecundum latitudinem, & profunditatem, ſed cõſtat ex partibus latis & profundis, ita vt tota longitudo corporis identificetur cum tota latitudine & profunditate illius, & ſimiliter tota latitudo identificetur cum tota profunditate, ſicut & tanta pars longitudinis identificatur cum tanta parte profunditatis. Ratio eſt, quia quęlibet pars corporis eſt corpus, ac proinde longum, latũ, & profundum, ſeu trinè menſurabile, ſed longitudo & latitudo corporis, de quibus nũc loquimur, pertinet ad partes corporis, non ad continuatiua, ergo realiter quęlibet pars longa cum ſit corporis, debet eſſe lata & profunda. Dixi realiter, quia præciſsione intellectus diſtingui poteſt in corpore lõgitudo à latitudine, prout corpus vt longum, lineæ æquiualet, & vt latum ſuperficiei, ſemper tamẽ ſi lõgitudo corporis vt corporis, ſumẽda eſt, non poteſt adhuc per intellectum ſeparari ab identitate cum latitudine & profunditate, quia hæc identitas eſt eſſentialis, ſine qua proinde res intelligi nequit. Hinc ſequitur neceſsitas conſtituendi lineam & ſuperficiẽ in corpore, etiam ſi longitudo alia & latitudo, reperiantur in illo. Linea enim & ſuperficies cum trahat indiuiſsibilitatem explicatã, requiruntur vt continuatiua partium corporis, quę adhuc vt latæ indiuiſsibilitatẽ profunditatis nõ adducunt, & ita in parte corpori latare ſpondente, ſuperficiei terminanti, nõ eſt diſtinguibilis mera latitudo à profunditate, aliàs neq; eſſet pars corporis, nec duæ ſuperficies eſſent mediatæ, ſed immediatæ.

Obijcies. Sit corpus longitudinis vnius vlnæ, & auferatur ab eo aliquid profunditatis, manebit ita longũ ac antea, non autem ita profundũ, ergo iſtę extenſiones prout corporis, non ſunt idem, ſi quidem aliqua perit, alia manente. Reſpondetur negando manere ita longũ, quia licet maneat vnius vlneæ, illa tamen longitudo, (vt ſic dicã) vlnealis, non manet toties multiplicata ac antea, cum ablata fuerit pars illius.

Vrget iã argumentũ factũ ſuperius, ad probandum lineã & ſuperficiem non eſſe proprias & completas quantitatis ſpecies. Cum enim ſolutio

in eo

in eo ſita fuerit, quod corpus ſolum dicit profunditatem, nõ longitudinem, aut latitudinẽ, & ſuperficies ſolum latitudinem non longitudinem, hocq; vt patet impugnatum ſit, oppoſitumq; vt omnino probabilius aſſertum, corruit ſolutio; argumentum tenet..

Secundo ad probandũ hoc ipſum argumentor. Quia impenetrabilitas eſt paſsio vere & proprie quantitatis, ſed extenſiones lineæ & ſuperficiei penetrari poſſunt, vt ſupra oſtẽdimus, & eidem loco correſpondere naturaliter, ergo non habent rationem veræ & proprię quantitatis. Reſpondebis, non penetrari vt extenſæ, ſed vt indiuiſsibiles, ſuperficies quidem ſecundum profunditatẽ, lineæ vero ſecundũ latitudinem. Contra argumentor, quia licet indiuiſsibiles ſint, verè tamen extenſio lata eſt, quę penetratur, ſuperficies enim ſecundum ſuam extenſionem penetratur alteri ſuperficiei, ergo cum eadem extenſio, ratione cuius ſuperficies eſt quanta, eadem penetretur, non poterit habere perfectam, & completam eſſentiã quantitatis; vnde ſi ex hoc quod ſit indiuiſsibilis recte colligitur penetratio, rectè etiã colligetur imperfectio ſpecifica.

Tertio. Entitas poſitiua ſuperficiei, vt ad illam conſequitur indiuiſsibilitas, formaliter eſt cõtinuatiua, quia vt ſupra vidimus, non eſt alia poſitiua cõſideratio ratione cuius poſſit illi conuenire eſſe cõtinuatiuam, ergo ſecundum hanc conſiderationem eſt ens incõpletum, at non poteſt à ſuperficie præſcindi hæc conſequtio indiuiſsibilitatis, & formaliſsima ratio illam fundandi & trahendi, ergo quocumq; modo conſideretur ſuperficies; eſt ens incompletum. Minorem probo, quia latitudo vt ſic, indifferens eſt ad latitudinem corporis, & ad latitudinem ſuperficiei, ſolumq; differunt, quod latitudo corporis eſt latitudo profunda, latitudo vero ſuperficiei eſt latitudo indiuiſsibilis ſecundũ profunditatem, ergo illa ratio fundandi & trahendi indiuiſsibilitatem, eſt illi eſſentialis & differentialis; ac proinde ab illa pręſcindi nequit, quæ quidem ſi in actu exercito continuandi practice, *vt ſic dicam* incompleta eſt, eadẽ in actu ſignato continuatiui erit etiã incõpleta & imperfecta. Hæc ſufficiant, vt quid pro vtraq; parte in hac Quæſtione dici poteſt, maneat explicatum.

(?)

QVAES-

QVÆSTIO. II.

Quid ſint Locus & Tempus, & an ſint Species Quantitatis.

QVia de loco & Tempore latè tractandum eſt quarto Phyſicorum, breuiter in præſenti ad doctrinæ complementum hanc de tempore & loco quæſtionem explicabimus. Præmittendum igitur eſt, duplicem poſſe diſtingui in corpore ſuperficiē, aliam conuexam, ſeu exteriorem primam, qua ab alio immediato corpore continetur, cum enim non detur vacuum, ſuperficies prima exterior cōtiguari debet immediato corpori continenti, aut ambienti, & ideo dicimus ſuperficiē conuexam, eſſe ſuperficiem qua corpus cōtinetur, ſeu ambitur ab alio. Alia eſt ſuperficies concaua, qua corpus continet & ambit aliud; exemplū eſt in vaſe, cuius concaua & interior ſuperficies continet aquam V.g. Superficies autē conuexa, ſeu exterior vaſis, ab exteriori aere ambiente vas, cōtinetur. Definit ergo Ariſt. locum ſic. *Locus eſt ſuperficies vltima, ſeu concaua corporis continentis*, & ita in exemplo adducto de vaſe, locus aquę erit ſuperficies concaua vaſis, aquam continentis, & locus vaſis erit ſuperficies concaua aeris, vas ambientis.

Hoc ergo ſuppoſito, locum eſſe ſpeciem quātitatis, tenuere cum Ariſt. in pręſenti Ammonius, Simplicius, Deuxippus in commentarijs huius loci, Themiſtius, & Aberro. D. Tho. 5. lib. Meth. cap. 23. & in opuſculo de natura loci, & omnes communiter. Probatur à priori, quia loco conuenit extenſio molis, & habere partē extra partem, vnde Ariſtot. locum ait eſſe ſuperficiem; ſed hæc extenſio molis & ratio ſuperficiei eſſentialiter quantitas eſt, ergo & locus. Secundo à poſteriori, quia loco conueniunt proprietates quantitatis, V.g. eſſe menſuram, & eſſe æqualem, ergo conuenit etiā eſſentia quantitatis.

Dico ſecundo: locum non eſſe ſpeciem quantitatis à ſuperficie diſtinctam, docet S. Tho.

Digitized by Google

Thom. 5. Meth. lect. 15. tenet Aberr. eodem 5. Meth. text. 28 Alber. de Sax. 4. lib. Phiſ. q. 1. Scotus in Logica q. 23. Sonzinas 5. Meth. q. 40. Fonſeca ibi cap. 13. q. 7. per totam, Paulus Venetus hoc loco, Valles controuerſia 23. Louanienſes hic, Pereira lib. 11. ſuæ Philoſoph. cap. 7. Probatur primo, quia locus eſt ſuperficies, quod autem additur, ſcilicet, *eſſe corporis continentis*, non poteſt variare ſpeciē, hoc enim reſpectu quantitatis & ſuperficiei, tantum eſt accidentalis differentia, ergo. Minorem probo, quia in ſuperficie iſta continente, aut concaua, quocumq; modo conſideretur, non poteſt alia extenſionis ratio fingi quam latitudo, quæ eſt eſſētia ſuperficiei, ergo nō eſt alia ratio quantitatis. Secūdo probatur, & explicatur concluſio, quia in loco, præter extenſionem ſuperficiei, poteſt conſiderari, vel eſſe concauā, ſeu cōcauitas ipſa, & hoc nihil eſt aliud quam figura, ſecundum quam pertinet ad prædicamētum qualitatis, non quantitatis, vel poteſt conſiderari ratio continentiæ, vel commenſurationis actualis cū locato, & ſic nihil etiam addit ad prędicamentum quantitatis pertinens, nam illa denominatio locantis, nullam extenſionē aut magnitudinem illi corpori addit, ſed ſolum propinquitatem alterius corporis, vel relationem ad illud.

Quod autem obijci poſſet, Ariſtotelem ſcilicet enumeraſſe locum inter ſpecies quantitatis, præter ſuperficiem, & D. Tho. loco citato aſſeruiſſe differre a ſuperficie in ratione menſuræ, iam quæſtione prima de eſſentia quantitatis ſolutum eſt. Sed nunc Reſpondetur. Ariſt. 5. Meth. cap. 13. in numerandis ſpeciebus quantitatis continuæ, locū ommiſiſſe, ibi autē exacte de natura quātitatis agebat, non ſic in prędicamentis, vbi eas numerauit ſpecies, quę in aliorum ore circunferebantur; & multi ſatis probabiliter cenſent hic, per locū intellexiſſe ſpaciū, quod antiqui putabant proprijs dimenſionibus plenū eſſe, quam ſententiā refutauit quarto Phiſicorū, non vero in hoc tractatu prædicamentorum. S. autē Thomas in illo loco prius aſſeruit, non differre locum & ſuperficiem in ratione Quantitatis, quo iam ſuppoſito, differentiam accidentalem in ratione menſuræ explicuit. Præcipue, quia ſi illa ratio menſuræ intrinſicæ aut extrinſicæ, in ſuperficie ſufficit diſtinguere duas ſpecies quantitatis, poterunt etiam aliæ duæ in linea

Digitized by Google

diſtingui, quatenus ſcilicet, menſurat intrinſice ſubſtantiam in qua eſt, & extrinſice corpus aliud contiguum, immo in tempore poſſent diſtingui duæ aliæ ſpecies, quia tempus eſt intrinſeca duratio & menſura motus in quo eſt, & extrinſeca mẽſura eorum quæ tempore durant, vt hominis, equi, &c. Addo, ſuperficiẽ non proprie menſurare ſubſtantiã, quia ratio menſuræ paſsiuæ, eſt propria quantitatis, non ſubſtantiæ, ergo ſi ſubſtantia proprie ſecundum ſe, non poteſt menſurari, nec ſuperficies eius, eam poterit menſurare. Præterea, adhuc reſpectu corporis locati, nõ habet proprie vt locus eſt, rationem mẽſuræ, quia quod hic locus poſsit eſſe æqualis, & aſſumi vt menſura, non fundatur in propria ratione loci, aut formæ extrinſecæ, ſed in propria ratione quãtitatis, & ſuperficiei: cuius ſignum eſt, quod etiam locatum ratione ſuæ ſuperficiei, habet quod poſsit eſſe æquale, & aſſumi etiam in menſuram ipſius loci, ſi quantitas locati nõtior ſit, hæc ergo ratio menſuræ, quæ in loco reperitur, ratione cuius dicitur intrinſeca menſura ſubſtantiæ, & extrinſeca locato, ſatis impropria, & ſatis accidentalis eſt, ex qua proinde improprie ſpecifica diſtinctio ſumeretur, quia tamen huius impropriæ, & accidentalis menſuræ ratio, ad cognitionem loci, & diſtinctionem accidentalem eius a ſuperficie, conducere poterat, non fuit prætermittenda a S. Thom. neque ab Ariſtot. & ideo eam explicarunt. Itaque quod attinet ad ſpeciem, & eſſentiam quantitatis, idem de loco, quod de ſuperficie dicendum eſt, ita vt ſi ſequamur cõmunem opinionem aſſerentem, ſuperficiem eſſe veram quantitatis ſpeciem, idem de loco dicamus: ſecus vero, ſi ſecundam ſententiam in fine præcedentis quæſtionis explicatam, vt probabiliorem iudicemus.

Dicamus iam brebiter de tempore. Pro cuius naturæ intelligentia, quæ ſatis difficilis eſt, & ex profeſſo quarto Phiſicorum explicanda: præmittendũ eſt. Tẽpus eſſe ſucceſsiuam durationem motus: in quolibet enim ſucceſsiuo motu reperitur iſta intrinſeca duratio, quæ eſt veluti paſsio, & proprietas eius, quæ continuatur ſuis indiuiſsibilibus, ſcilicet inſtantibus, ſicut linea punctis: V.g. duratio motus primi mobilis (hæc enim communiter appellatur tempus) tempus dicitur, & menſura intrinſeca eius, quæ menſurat extrinſice du-

durationem eorum quæ ſunt in tempore, vt hominis, equi &c. Hæc autem duratio, videtur non conſtituere quantitatis ſpeciem, quia Ariſt. 5. Meth. cap. 13. tempus docet eſſe quantitatem per accidens, ſed ſpecies quantitatis eſt quantitas per ſe, ergo.

Dico tamen brebiter. Tempus eſſe propriam quantitatis ſpeciem, a reliquis condiſtinctam. Probatur ex Ariſt. eam hic vt talem enumerante, vbi etiam docet, partes temporis eſſe continuas, & continuari medijs inſtantibus. Ex quo ſic deduco argumentum. Illa eſt quantitatis ſpecies, quæ habet partes quantas & extenſas, ergo illa erit ſpecies quantitatis continuæ, quæ habet partes continuas, ſed tempus vt hic dixit Ariſtoteles non tantũ partibus, ſed etiam partibus continuis conſtat, erit ergo continua quantitas. Rurſus, inter quantitates cõtinuas, quæ diuerſæ rationis continuatiuis continuantur, diuerſæ ſpecies quantitatis continuæ ſunt, (vt vidimus) at continuatiua temporis, inſtantia ſcilicet, diuerſæ rationis ſunt ab alijs, ergo & tempus diuerſa etiam ſpecies erit. Addo, nullam partem temporis naturaliter poſſe eſſe intra aliam, eſt enim eſſentialiter ſucceſsiuum, quod dicit vnum poſt aliud, vnde quando vna pars eſt, aliæ non ſunt, petunt ergo partes eius, quod vna ſit extra aliam, ſaltim ſecundum durationem, quod eſt de eſſentia quantitatis. Addo tandẽ, per hoc quod eſt eſſe quantitatem continuã, diſtingui a diſcreta; per hoc vero quod eſt eſſe ſucceſsiuam a tribus alijs magnitudinis ſpeciebus enumeratis, (quæ quantitates ſunt permanentes) diſtingui. An autem & quomodo diſtinguatur a motu, non eſt capax locus iſte huius dubitationis: in Phiſica explicabitur commode, vbi etiam de motu, an proprie ſit quantitatis ſpecies, in libro Tertio, qui circa motus naturam conſiderandam totus fere occupatur, quid ſit tenendum, dicemus.

Ad Ariſt. Tempus dici quãtum per accidens, quia licet propriam habeat extenſionẽ, dependentem, eam habet a multitudine partium motus, cuius duratio eſt, eſt ergo proprie & vere quantum per ſe, habet enim entitatem, & extenſionem in ſe, vere & proprie diſtinctam eſſentialiter a quauis alia, vt probaui. Depẽdentia autem hæc, non eſt dependentia partis, quæ videbatur eſſe contra rationem ſpeciei.

De pondere hîc inquiri ſolet, An ſit quantitas, nec ne, ſed iam dixi, qualitatem eſſe, quod probaui,& rurſus probo, quia in cœlo eſt vere quantitas, non vero grauitas, aut pondus. Poſſunt etiam dari corpora aliqua,quæ magis habeant quantitatis. V.g. longitudinis,latitudinis,aut profunditatis,& tamen minus ponderis,vt patet.

III. DISP. PARS.

De Quantitate diſcreta,& eius ſpeciebus.

EGIMVS de quantitate continua, & eius ſpeciebus, agamus iam,vltimo huius diſputationis loco,de ſpeciebus quantitatis diſcretæ,& iure vltimo,ſunt enim in ratione quātitatis & ſpeciei imperfectiores alijs,ac proinde in illis maior dubitatio eſt,an ad quantitatē pertineāt tanquā ſpecies, quā in alijs prædictis: & quia præcipua harum ſpecierū eſt Numerus, & hæc cōſtat ex vnitatibus formaliter ſumptis, explicabit.

QVÆSTIO I.

Quid ſit vnitas prædicamentalis, & an ſit aliquid poſitiuum.

SIcut vnitas tranſcendentalis,ſeu vnū tranſcēdētaliter, nihil aliud eſt quā ens indiuiſū,ita vnū prędicamētale,nihil aliud eſt, quam quantitas vt indiuiſſa, & ſicut ex tranſcendentalibus vnitatibus, numerus fit tranſcēdētalis, ita ex pre-

prædicamẽtalibus vnitatibus, numerus componitur prædicamentalis. Solet obijci Ariſt. 6. Phiſicor, aſſerens, quantitatem ex indiuiſibilibus non cõponi, ſed vnitates indiuiſibiles ſunt formaliter, numerus ergo qui aliquod quantum eſt, non componetur ex vnitatibus. Soletq; Reſpõderi, numerum non componi ex omnino indiuiſibilibus, vt punctis, aut inſtantibus, ſed ex vnitatibus, quæ ſaltim diuiſione continui diuiſibiles ſunt. Sed licet hoc verũ ſit, non plene ſolutũ. Primo, quia numerus cõponitur ex vnitatibus formaliter vt indiuiſibiles ſunt. Secũdo, quia ſi ſufficeret ad quãlibet cõpoſitionẽ quãtitatis, quod illud ex quo componitur, nõ ſit omnino indiuiſibile, ſed ſufficeret vt materialiter, aut alio genere extẽſionis ſit indiuiſibile, ſequeretur ſuperficiẽ poſſe cõponi tãtũ ex lineis, quia lineæ nõ ſunt omnino indiuiſibiles, ſed materialiter & extẽſione lõgitudinis diuiſibiles, ſequela autẽ omnino falſa eſt (vt vidimus) ergo. Reſpondetur igitur. Ariſt. ibi tãtũ fuiſſe loquutũ de quãtitate cõtinua, quæ cũ neceſſario habeat cõtinuã extẽſionẽ, non poteſt non ex diuiſibilibus cõponi, quia indiuiſibilia vt ſic, non extendunt, quantitas autẽ diſcreta, cum formaliter vt diſcreta, nõ petat continuam extẽſionem, poteſt componi ſecundum rationem diſcreti formaliter ex indiuiſsibilibus, licet materialiter ratione quantitatis, petat vnitates quæ quantæ ſunt, ac proinde quæ diuiſibiles. Ex quo fit, numerum materialiter, ſcilicet ratione rerum ex quibus componitur (quia cõponitur ex quantitatibus) eſſe quid poſitiuum, & ſimiliter vnitatem prædicamentalẽ, pro materiali aliquid etiam dicere poſitiuum, ſcilicet quantitatem. Dubium igitur eſt, An vnitas iſta pro formali dicat aliquid poſitiuum.

Prior ergo ſententia eſt, Vnitatem prædicamentalem nihil dicere poſitiuum reale ſupra ipſam quantitatem, ſed ſolum indiuiſionem illius, ſeu negationem in plures quantitates. Sic tenent Durand. in 1. diſtinct. 24. quæſt. 2. Deza ibidem, quæſt. 1. Maior. d. 24. q. 2. ar. 1. Marſilius relatus a Capreolo in 2. diſt. 18. ad 9. Sonzinas, 10. Meth. quæſt. 3. Tolet. 3. Phiſ. cap. 8. q. 5. Sotus hic, & alij. Probant primo. Quia vnitas trãſcendẽtalis nõ addit ſupra ens, niſi negationem diuiſionis, ergo & vnitas prædicamẽtalis, nõ addet ſupra quãtitatẽ, niſi negationẽ ſeu carentiam diuiſionis quantitatiuę.

Secundo, quia illud poſitiuum quod addit vnitas ſupra quantitatem continuam, vel eſt abſolutum vel relatiuum: nõ hoc ſecundum, quia quantitas non fit vna per relationem; ſed ante quã vel relatio oriatur, aut ſubiectetur in illa, intelligitur vna. Deinde, quia numerus quantitatiuus eſt formaliter quid abſolutum, ergo non cõponitur ex relationibus, at cõponitur ex vnitatibus formaliter, ergo vnitas formaliter nõ eſt quid relatiuum. Neque eſt abſolutum. Probo. Quia vel eſſet quantitas continua, vel diſcreta (entitas enim alterius generis eſſe non poteſt, quia res non fit vna per entitatem generis alterius, & quia numerus eſt totum quantitatiuum compoſitum ex vnitatibus, totum autem & partes in eodẽ entis genere ſunt) non continua, quia iam nihil adderet ſupra quantitatem continuam quã dicit pro materiali, quod intẽdimus; neq; diſcreta, quia iam numerus componeretur ex diſcretis, & ſic daretur proceſſus in infinitum, quia illud diſcretum haberet etiam partes diſcretas, & ſic in infinitũ. Tum ſecundo, quia vnitas formaliter dicit indiuiſionem, diſcretum autem diuiſionẽ. Tertio, ſi vnitas ſupra entitatem rei quæ eſt vna, addit aliquid poſitiuum, ſequitur rem eſſe minus vnam cum illa vnitate ſuperaddita, quam ſine illa, ſed hoc eſt contra naturam vnitatis, vt patet, quia cum illa det entitati eſſe vnam, non poſſet entitas eſſe magis vna ſine illa, immo neque poſſet eſſe abſolute vna, ſine illa ratione ſuperaddita. Sequela vero probatur, quia illud eſt magis vnum, quod eſt magis indiuiſum, ſed res quæ eſt vna cum illa poſitiua ratione vnitatis ſuperaddita, potius eſt diuiſsibilis in propriam entitatẽ, & in illud poſsitiuum vnitatis ſuperadditum, ergo hoc poſitiuum quod per te additur, potius diuidit quam faciat indiuiſſum, entitasq; ſine poſitiuo vnitatis magis indiuiſſa intelligeretur, quod implicat, vnũ ergo ſolum addit ſupra ens negationem diuiſsionis.

Oppoſita tamen ſententia, expreſſa eſt S. Thom. 1. p. q. 30. ar. 2. in corpore aſſerentis, vnitatem prædicamentalem addere aliquid poſitiuum ſupra rem cuius eſt vnitas, ſic docet Capreolus, in 1. diſt. 24. q. 1. & Iabellus 4. Meth. q. 8. & alij. Probatur. Primo, ex oppoſito fundamento, vnitas tranſcendentalis (vt dixi quæſtione de vnitate formali) in aliquo poſitiuo conſiſtit; ergo & prædicamentalis. Antecedens probatum

Digitized by Google

batum eſt ibi, conſequentiam autem probat contraria ſententia, de qua vtraq; vnitate pari ratione Philoſophatur, vnde in eo quod nobis videtur contradicere, fauet multum. Secundo & vrgentius, numerus prædicamentalis formaliter eſt quid poſitiuum, quia vt ſic, eſt ſpecies quantitatis, ergo vnitates ex quibus componitur, per aliquid poſitiuum debent conſtitui. Reſpondebis ſatis eſſe, vnitates pro materiali eſſe quid poſitiuum. Contra argumentor, quia numerus nō tantum materialiter eſt quid poſitiuum, ſed formaliter (vt dixi) ergo vnitates ex quibus componitur, non tantum debent eſſe aliquid poſitiuū pro materiali, ſed pro formali. Adde, numerū componi ex quantitatibus vt vnitates ſunt, in eſſe autem vnitatis vt ſic, non cōſtituuntur niſi per indiuiſsionem, ergo dicit aliquid poſitiuum formaliter, præter poſitiuum quantitatis continuę. Cōſequentia patet, quia quantitas continua pro materiali dicit extenſionem & diuiſsibilitatem, vnitas formaliter indiuiſsionem, & vt vnitas componit numerum, ergo componit pro formali, ergo pro formali eſt quid poſitiuum, quia vt cōponit quid poſitiuum eſt. Sed adhuc reſpondetur primo, idē argumentum fieri poſſe de numero tranſcendentali. Ita fateor, & ſic vnitas tranſcendentalis aliquid dicit poſitiuum, (vt dixi.) Reſpōdetur ſecūdo, quod quando dicitur numerū cōponi ex vnitatibus pro formali, non intelligitur quod cōponatur ex illis vt indiuiſsibilibus formaliter, ſed ex materialitate vnitatum, licet conditio ſine qua non, ſit indiuiſsibilitas. Sed hoc non ſoluit argumentum: Primo, quia præter conditionem ſine qua non, debet dari aliquid ſecūdū quod formaliter componat, conditio enim ſine qua non, non cōponit, de hac ergo ratione formali inquiram, an ſit materialitas, an formalitas vnitatis, & argumentum ſupra factum cōficiam. Secundo, quia ſi vnitas pro materiali componit, ſequitur ternarium quantorum magnorum, eſſe magis ternarium formaliter; quam ternarium quātorum minorum: Sequela patet, quia vnitates priores pro materiali, magis vnitates ſunt, quam poſteriores; ergo ſi pro materiali componūt ternarium, ſequitur ternarium compoſitum ex illis, eſſe magis ternarium formaliter quā aliud, quod eſt abſurdum. Tertio; quantitas continua ſeu vnitates illæ componunt continuum, vt diuiſsibiles ſunt; ergo

go ſecundum eandem rationē formalem non poſſunt componere diſcretum, cum diſcretū & continuum diuerſæ rationis ſint. Tertio principaliter probo ſententiam hanc. Quia vnitas iſta quantitatiua ex vnione aliqua Phiſica & reali reſultat: ſicut diuiſio reſultat ex deſtructione iſtius vnionis, ergo eſt aliquid poſitiuum. Cōſequentia patet, quia ex vnione Phiſica & reali, Phiſicū aliquid & reale reſultat, ſicut ex vnione Metaphiſica aliquid Metaphiſicū. Quarto; quia vt tetigi loco de vnitate formali citato, diuiſio in quantitate potius cauſat corruptionem, & res quo magis eſt diuiſſa, eo magis tendit ad corruptionē, ergo carētia illius eſt aliquid poſitiuum; quod ex dicendis quæſtione ſequenti conſtabit magis.

Dico ſecundo. Hæc vnitas non addit aliquid poſitiuum realiter diſtinctū ab ipſa quantitate: ſicut in vnitate tranſcēdentali dixi, vnum tranſcendentale addere ſupra ens aliquid poſitiuū, non tamen realiter diſtinctum ab ente, ita dico, vnum prædicamentale dicere formalitatem poſitiuam, formaliter diſtinctam ab ipſa quantitate continua, non realiter. Itaq; ſicut res eadem vt dicit habere eſſe, ſine hoc quod dicat diuiſſum aut indiuiſſum, dicitur ens & formaliter vt indiuiſſum vnum; ita eadem quantitas quatenus habet partes extra partes præciſſe, dicitur quantitas, quatenus eſt diuiſsibilis in illas, & eas habet copulatas cōmuni termino, dicitur continua, quę etiam abſq; dubio eſt formalitas realis, quia vt ſic, cōſtituit ſpeciem: quatenus deniq; licet diuiſsibilis ſit, eſt tamen ab alijs quantitatibus diuiſſa, & in diuiſſa in ſe, dicitur vna.

Primum argumentum contrariæ ſententiæ iam ſolutum eſt.

Ad ſecundum Reſpondetur. Illud poſitiuum quod dicit vnitas, non diſtingui a quantitate continua (vt diximus) ſed eſſe eandemmet quantitatem vt indiuiſſam, ac proinde eandem entitatem cenſeri, & ad eandem pertinere. Argumentum autem tantum probat, nō addere aliquid diſtinctum a quantitate continua, quod fatemur. Dices, quantitas continua dicit diuiſsibilitatem, vnitas dicit indiuiſsionem, potius ergo videntur opponi, quam identificari. Reſpondetur, etiā eſſe indiuiſsionem diuiſsibilis, quatenus totum illud diuiſsibile ſi diuidatur, non eſt idem totum, aut idem vnum quod antea, perijt enim ratio illa totius

tius,& vnius,quæ antea erat,licet diuiſſa materialitas maneat.Reſponderi poſſet ſecundo. Hanc formalitatem indiuiſsionis, reductiuè pertinere ad quãtitatem diſcretam, quatenus eſt pars,ex qua ordo numerabilitatis infra explicandus reſultat:ad hoc autẽ quod ponatur tanquam pars in genere quantitatis diſcretæ, non tantum non debet formaliter eſſe quãtitas diſcreta , ſed nec poteſt,quia alias daretur proceſſus in infinitum,& quia nõ quælibet pars numeri eſt numerus,in quo ſenſu , numerus ex partibus æterçogeneis cõponitur.Dices, ſit tantum vna vnitas in rerum natura,illa nõ eſt pars numeri,& tamẽ habet illud poſitiuum quod dicit vnitas,ergo hoc non recte explicatur per rationem partis numeri.Reſpondetur, eſſe partẽ fundamentaliter,& in potẽtia, & in hoc conſiſtere poſitiuum vnitatis quantitatiuæ , non vero in eo quod ſit pars actu.

Ad tertium Reſpondetur. Quod ratio entitatis vt ſic, cũ ens diuidatur per vnũ & multa,abſtrahit a diuiſsione & indiuiſsione,ac proinde ratio entis(vt ſic)& ex ſe,non eſſe magis indiuiſſam ſine poſitiua formalitate vnitatis,quia hęc poſitiua formalitas quæ additur, indifferentiam entitatis , qua etiam ad diuiſsionem indifferens erat,contrahit & limitat, vt iam entitas ſit indiuiſſa , & diuiſsionẽ excludat, quam indifferentia entitatis vt ſic,non excludebat.

Sed adhuc obijcies S. Tho. loco citato primæ partis dixiſſe,addere vnitatem prædicamentalem ſupra rem cuius eſt vnitas aliquid, diuerſo modo ac vnitas tranſcẽdentalis,cum tamen nos eodem prorſus modo, de vtraq; Philoſophati ſimus.Reſpondetur S.Thom.in hac quam inſinuauit diſtinctione,tantum voluiſſe, tranſcẽdentalem vnitatẽ nihil omnino poſitiuum addere realiter diſtinctum a re quæ eſt vna;vnitas autem prædicamentalis, licet nihil addat diſtinctum ab ipſa quantitate , quia tamen quantum includit ſubſtãtiam, ſupra quam vnitas pędicamẽtalis aliquid realiter diſtinctũ addit,quia ſubſtantia & quantitas diſtinguuntur realiter, ideo hoc peculiare in vnitate prædicamentali explicans, S. Thom.diuerſo modo quantũ ad hoc, de vtraq; vnitate Philoſophatur.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

Utrum Numerus ſit vnum per ſe & vera ſpecies Quantitatis.

EXplicemus pro tituli explicatione, quid ſit Numerus, & quid Vnum per ſe, inde enim deciſsio quæſtionis facilior multo reddetur. Pro quo.

Præmitto. Numerum tripliciter ſumi poſſe. Primo, pro numero numerato. Secundo, pro numero numerante. Tertio, pro ipſa formalitate numeri, ſeu pro illo accidenti quo res dicuntur, tot, vel tot. Numerus numeratus ſunt res ipſæ numeratæ materialiter ſumptę; Numerus numerans eſt ipſe intellectus, quo res numeramus; Numerus formaliter eſt (vt dixi) accidens illud, ſiue res ipſę non materialiter, ſed formaliter, vt dicunt numerabilitatē ipſam, ſeu poſſe ordinari & numerari. Itaque vnitates componentes numerū poſſunt conſiderari materialiter, prout tā tum dicunt eſſe corpora & ligna, &c. vel prout ordinatæ & relatę ſunt inter ſe, & vt ſic, proprie componunt numerum numeratum, numeratum enim eſſe eſt, quod a numero numerāte, ſcilicet a ratione pēdet aut intellectu, qui illam fecit actualem ordinationem. Poſſunt deniq; ſumi, vt ſunt ſpeciali numerabilitate numerabiles & ordinabiles, & hoc vt patet, habent a ſe ante intellectum, & ratione huius numerabilitatis, numerus capax eſt & fundamentum actualis numerationis, ordinis, & relationis.

Ex quo patet Reſponſio, ad id quod in præſenti quæri ſolet. An ſcilicet Numerus ſit ens reale, an vero habens complementum ab intellectu: ſi enim de numerato numero, ſiue actualiter ordinato loquamur, habet vere complementum a ratione, cum ab ea habeat numeratum eſſe, numerus autem formaliter ante intellectum eſt, ac per conſequēs quid reale, non enim a numeratione ſed a numerabilitate ſumitur, quæ eſt ante intellectum

tum

Digitized by Google

tum. Adde etiam, quod numerus eſt uera quãtitatis ſpecies, vt hac eadem quæſtione probabo, ſed ſpecies realis, & realis generis non debet compleri ab intellectu, ſed realiter: numerus ergo ante intellectum a parte rei eſt ens reale complectum. Quod non exiſtimo ſufficienter probari ab aliquibus dicentibus obiectum ſenſus eſſe ens reale, ſed numerus eſt obiectum viſſus, ergo. Non (inquam) valet, quia numerus licet videatur materialiter, vt coloratis aut viſibilibus vnitatibus conſtat, non autem formaliter: quis enim dicat, ſecundum iſtam formalitatem numerabilitatis, quæ vix ab intellectu percipi poteſt, actionem videndi quæ a potentia materiali eſt, terminare, & a viſu ſentiri? numerabilitas enim non eſt materiale aut viſibile quid. Sed contra, Ariſt. 4. Phiſicorum cap. vltimo aſſerit, ſi non eſſet intellectus non eſſet numerus. Reſpondetur, ibi loqui de numero numerato actualiter, hæc tamen actualis numeratio eſsẽtiæ numeri formalis accidit.

Sed quod in hac parte difficultatem habet, antequam ad aliud accedamus eſt. Suppoſito quod Numerus iſte formalis dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet vt a rebus auulſus & abſtractus. V.g. binarius, aut ternarius, vt ſic abſolute ſumptus, & etiam vt coniunctus, concretus, & applicatus rebus ipſis quæ numerantur, vt cum dicimus quinque equos, aut quatuor homines, An vtroq; modo numerus quid reale ſit. De hoc ſecundo non eſt dubium eſſe aliquid reale, & hic eſt qui proprie eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, diximus enim neceſſario reperiri, ſeu cõfici ex continuis quãtitatibus. Quod ergo difficultatem habet, eſt, An numerus abſtractus, ternarius. V.g. vt ſic, non explicando aliquas vnitates materiales eius, realis ſit, an rationis.

Quidam aſſerunt eſſe ens reale, & probant primo. Quia Numerus abſtractus nihil eſt aliud quam numerus ſecundũ ſuam eſſentiam conſideratus, nõ determinando materiam, ſed hęc eſſentia numeri eſt realis, ergo licet aliquo modo pẽdeat ab intellectu in hoc quod eſt abſtrahi, res tamen abſtracta & conſiderata ens reale erit, ſicut natura hominis abſtracta, quid reale eſt, licet in abſtractione ab intellectu pendeat. Secundo, quia obiectum Arithmet. ſecũdum omnes eſt ens reale, ſed numerus abſtractus a materia, eſt obiectum illius, ergo eſt quid reale.

Alij aſſerunt eſſe Ens rationis,

nis,de quorum numero eſt Sō zinas 10.Meth.q.8.& fauet S. Tho.1.p.q.30.ar.1.ad quartū dicens, numerum abſtractum a rebus eſſe ens rationis. Probari etiā poteſt, quia numerabilitas illa,nihil eſt diſtinctum ab vnitatibus numerabilibus formaliter ſumptis,ſed tota entitas aut realitas harum vnitatum vt ſic,eſt eadem cum realitate vnitatis materialiter ſūptæ, hac ergo realitate materialis vnitatis abſtracta,abſtrahetur etiam realitas vnitatis formalis, ergo nihil manet iam reale in illo numero, ac per conſequens erit ens rationis.

Sed certe vtrumq; hoc probabile eſt,diſtinctionis tamen & claritatis gratia. Cenſeo, quod ſi loquamur de numero proprie ſumpto, eſt abſq; dubio ens reale etiā abſtractus. Dixi de numero proprie ſumpto,quia cum vnitates rationis non ſint proprie entia, neque erunt propriæ vnitates, quia vnum & ens idem ſunt, ac per conſequens, numerus ex illis compoſitus vnitatibus non erit proprie numerus:numerus ergo proprie a realibus vnitatibus debet abſtrahi,ac per cōſequēs erit ens reale, vt ſtatim probabo. Si vero de numero in omni ſua latitudine conſiderato ſermo ſit,mediū quoddam inter hæc duo extrema iudico eſſe tenēdum, ita quod vt ſic,neque ſit formaliter ens reale,neq; rationis:ſi enim accōmodetur vnitatibus rationis,erit ens rationis, ſi vero vnitatibus realibus ens reale erit.Quod probo primo, quia numerus vt ſic,eſt collectio vnitatum, ſicut ergo vnitas latiſsime ſumpta,non dicit vnitatem realem,nec rationis, ſic collectio vnitatum quæ eſt numerus, non dicit reale quid, nec rationis,ſed ſi vnitates reales fuerint, realis erit,ſi rationis,rationis.Explico & probo rurſus,quales ſunt vnitates,talis eſt numerus, ſi tranſcendentes, tranſcendens, ſi prædicamentales,prædicamentalis, ergo ſi vnitates fuerint rationis, & numerus ipſe rationis erit. Tertio,id explico argumento facto pro ſecundo modo dicēdi. Numerabilitas nō eſt quid diſtinctum ab vnitatibus formaliter ſumptis,ergo ſi vnitates adhuc ſumptæ formaliter non fuerint entia realia,numerabilitas illa non erit quid reale,neq; enim dicit potentiam, vt intellectus aliquas ibi numeret realitates.

Quod ſi dicas, vnitatem etiam in abſtracto dicere quid reale & poſitiuum. Diſtinguā, ſi abſtrahatur ab vnitatibus concretis realibus,concedam: ſin autem, minime, quia realitas

tas vnitatis formalis eadem eſt cum realitate materialis vnitatis, vbi ergo non fuerit materialitas realis, neque formalitas realis (quæ poſsit abſtrahi) poterit eſſe.

Dices. Ergo numerus abſtractus ab vnitatibus realibus non erit realis. Probo, quia in abſtractione non eſt materiali tas ipſa vnitatum, a qua per te realitas ſumitur. Reſpondetur negando conſequentiam, quia eo ipſo quod numerabilitas illa eſt in vnitatibus materialibus realibus, realis eſt, ac proinde ratio illa quam abſtraho rei, realis eſt, licet hæc realitas eadem ſit cum materialitate vnitatum, & non poſsit reperiri ſine illa.

Explico exemplo, realitas animalitatis, nõ eſt niſi in ſingularibus, & eſt eadem cum illis: nihilominus eo ipſo, quod animalitatem in ſingularibus exiſtentem abſtraxi, etiam ſi ſingularia ipſa non conſiderẽ, abſtraxi quid reale: ſic ſimiliter, formalitas realis numeri eſt idem realiter cum vnitatibus materialibus realibus, nihilominus eo ipſo quod illam a realibus vnitatibus abſtraxi, aliquid abſtraxi reale, quia abſtraxi id quod erat in illis, quod tamen reale eſt. Confirmo tandem, quia ideo numerus prædicamentalis de quo loquimur, non definitur tantũ collectio vnitatum, ſed multitudo compoſita ex pluribus quantis permanentibus, non vnitis termino communi; vnde cum quantitates ex quibus componitur, reales ſint, ſemper eſt realis, etiam abſtractus vt explicui.

Per quod patet ſolutio ad argumenta primæ ſententiæ. Si enim de eſsẽtia numeri prædicamentalis, (immo & tranſcendentalis realis) etiam abſtracti loquatur, de qua loqui videtur, vera eſt minor; ſi vero de numero latiſsime ſumpto, falſa, vt patet ex dictis. Similiter Arithmeticæ obiectum eſt numerus prædicamẽtalis, qui etiam abſtractus quid reale eſt, & hoc patet: quia Arithmetica eſt vna ex præcipuis Mathematicis, Mathematici autem quantitatem conſiderãt.

Ad authoritatem S. Thomę pro alia ſententia adductam Reſpondetur. S. Thomã id expreſſe (vt citatur) nõ dixiſſe, ſed tantum talẽ numerum abſtractum non reperiri niſi in intellectu, quod nos fatemur: quia a parte rei, omnis res cõcreta eſt & ſingularis, nihilominus tamen natura quę abſtrahitur realis eſt. Ratio autem tantum probat, numerum vt ſic, ab omnibus vnitatibus abſtrahentẽ, nõ eſſe ens reale, quod fatemur

ſed

ſed neq; vt ſic, determinate eſt ens rationis. Illud autem quod ſtatim inſinuat, ſcilicet quod abſtractis vnitatibus materialibus non manet realitas, iam declaratum eſt, quomodo eo ipſo quod abſtrahatur ab vnitatibus realibus, natura illa abſtracta realis ſit.

Secundum quod erat explicandũ eſt. An ſit Numerus ens per ſe. Pro cuius explicatione Præmitto ſecũdo in hac quęſt. *Ens per ſe*, tripliciter poſſe ſumi. Primo, prout diſtinguitur contra *eſſe in alio*, qua ratione eſt modus quidam conſtitutiuus ſubſtantiæ; & ſic certum eſt, numerum non eſſe *ens per ſe*, cum ſit accidens nõ ſubſtãtia. Secundo ſumitur *ens per ſe* prout diſtinguitur contra *ens per accidens*, qua ratione ſpecies cuiuſuis prædicamenti debet eſſe ens per ſe, quia ens per accidens ſupra dixi pertinere ad plura prædicamenta ex æquo, et cum ens per ſe, & vnum per ſe ſint idem, vnum per ſe (prout diſtinguitur contra vnum per accidẽs, ſeu vnum per aggregationẽ, quod conſtat pluribus entibus in actu, vt cumulus lapidum nullo ordine conſtitutorũ, hoc enim ſonat cumulus, & aggregatio) eſt duplex. Aliud ſecundum ſimplicitatem perfectiſſime, & proprijſsime, quod ſcilicet nullam habet pluralitatẽ partium, neq; compoſitionẽ, qua ratione D. O. M. eſt vnum per ſe, quia eſt omnino ſimplex. Aliud ſecundum compoſitionem: & hoc rurſus, aliud per compoſitionem ex materia & forma, vt ſubſtantia materialis, & hoc etiam perfecte & proprie eſt vnum per ſe. Aliud eſt vnum per compoſitionem ex continuatione reſultãtem, vt quantitates continuæ, linea, &c. de quibus iã. Aliud deniq; eſt ens per ſe, licet non ita proprie, quod conſtat ex pluribus entibus in actu faciẽtibus aliquomodo vnum, ſcilicet ſecundum ordinem. V. g. numerus ſecundum numerabilitatem. Neq; ratio vnius per ſe in indiuiſibili conſiſtit; ſed vnũ poteſt eſſe magis ens per ſe, quã aliud, vt cõſtat in Deo reſpectu Angelorũ, in Angelo reſpectu ſubſtãtiæ materialis, & in materiali ſubſtantia, reſpectu accidentiũ aliquorum.

Dices. Ens per accidens etiam componitur ex pluribus entibus in actu, quæ ergo differentia eſt inter ens ſeu vnum per accidens, & vnum per ſe, hoc vltimo modo ſumptum? Reſpondetur, quod ens per accidens conſtat pluribus entibus in actu, vt plura ſunt, acerbus tritici pluribus granis: cumulus lapidũ pluribus lapidibus,

b9, vt omnino plures ſunt; at vero vnum per ſe ſecundum ordinem, licet ex pluribus entibus componatur; non tamẽ vt ſunt plura entia habentia diuerſas formas, ſed componentia vnam totalem formam: domus enim eſt ens & vnum per ſe hoc modo, quia licet lignis, & lapidibus, quæ diuerſa entia diuerſas habẽtia formas ſunt, componatur, non tamen illis cõſtat, prout plura entia, quia quamuis in ratione ſubſtantię plura ſint, in ratione tamen figuræ non item: & forma domus nõ manet in qualibet eius parte, ſed in totis ſimul: in entibus autem per accidens vt ſic, ſunt plures formę vt plures, quarum quælibet in qualibet eius parte reperitur, vt homo albus; in numero ergo licet plures vnitates veniant ad cõponendum, componunt vt aliquomodo vnum, & reſultat ex illis numerus vnus, vnius formæ, & eſſentiæ, & ita forma numeri nõ reperitur in qualibet vnitate, ſed in omnibus ſimul.

Dices Rurſus. In aceruo lapidum etiam eſt figura acerui & hæc non reperitur in quolibet lapide, ſed in omnibus ſimul. Reſpondetur, quod ſi loquaris de acerbo præciſſe, vt dicit figuram illam quaſi rotũdam, fateor etiam vnum per ſe hoc modo dici, nihilominus quia in aceruo non attenditur ad figuram vllo modo, quando exemplificatur in ente per accidens, ſed ad hoc tãtũ quod ibi aggregẽtur multa inordinate, ideo nomine acerui non intelligunt authores figuram, ſeu plura illa, vt figuram componunt, ſed vt continet multa quaſi coaceruatim non ordinata. Addo, plura alia exempla eſſe entis per accidens, ſcilicet homo albus, & ſimilia, in quibus ſignificant ex æquo plura, vt plura ſunt. Et eodem modo Reſpondetur ſi obijcias, multitudinem acerui numerabilem eſſe; ſi enim vt ſic præciſſe ſumatur, poteſt eſſe quantitas diſcreta, cuius ratio in numerabilitate conſiſtit: ſi vero vt ſunt plura, ſimpliciter coaceruatim, & ſine ordine ſumpta, non item.

Dico ergo in hac quæſtione, quaſi Secundo. Numerus eſt vere vnum per ſe hoc vltimo modo, ſcilicet per compoſitionem. Quod ſit vnum per ſe probatur expreſſe ex Ariſtotel. 8. Meth. capit. 5. vbi dicit, numerum eſſe vnũ, quia ſecus (inqnit) non diſtingueretur a congerie, & ſubdit, inquirendũ eſſe, quid nã ſit illud, quod vnũ ex multis facit in numero, quamuis ibi ipſe non

non explicet. Ratione probatur. Primo, quia ad vnitatem per ſe hoc modo ſumptam, ſufficit vnitas ſecundum compoſitionem explicatam, quam etiam in numero explicatum eſt reperiri. Quod rurſus explico. Numerus non eſt multa vtcumq; ſumpta, ſed eſt multitudo compoſita (vt ſupra dixi) ecce vnitatem ex pluribus vnitatibus, ergo non eſt ens per accidẽs, quod vt ſic, ex æquo plura vt plura dicit. Addo, Ariſtotelem quantitatem diſcretam partes habere dixiſſe, at proprie nõ habet partes, niſi quod eſt aliquo modo vnum, plura enim vt plura non dicũtur partes, ſed tota, ergo. Tertio, ens per accidens vt ſic, non eſt obiectum ſcientiæ, ſed de numero prædicamentali habetur ſcientia, Arithmetica ſcilicet, ergo numerus non eſt ens per accidens. Deinde, genera & ſpecies ſunt entia per ſe, ſed numerus ex ſententia Ariſtotelis (quod etiam infra probabo) eſt ſpecies quantitatis, ergo eſt vnum per ſe. Tandem hoc probo ex Damaſceno, qui capite 33. ſuæ dialecticæ: *Numerus* (inquit) *conſtat ex vnitate, & vnitate,* (ecce partes) *cõuenientibus,* (ecce vnitatem) *ex quibus fiunt duo,* ideſt binarius, & ſubdit, *vnum & vnum dicere eſſe duo, coniũctio eſt,* ideſt, *vnitas.* Hæc autem vnitas relictis aliquibus ſententijs, quæ mihi non placent, ſumenda eſt tantum ex numerabilitate ſeu ex fundamento talis aut talis ordinis, ſeu relationis actualis, in ſenſu ſupra explicato. Quod autẽ ratione huius numerabilitatis ſit vna, ꝓbatur ratione. Ratione ordinis quem habet numerus numeratus per intellectum, numerata multitudo dicitur vna, ergo ratione numerabilitatis qua multitudo ſecũdum partes numerabilis eſt ante intellectum, dici etiã poterit vna: præſertim quia (vt dixi) hæc numerabilitas fundamentum eſt illius ordinis actualis, quem habet per intellectũ, nihil enim aliud eſt quã entitates ipſæ vnitatum, ſecundum quod ſunt ſubiectum numerationis.

Sed contra obijcies primo. Numerus non tantum conſtat ex pluribꝰ entibus in actu, ſed etiam vt diſiunctis, quia vt nõ copulantur termino communi, ergo ex illis vt pluribus. Patet, quia diſiuncta vt diſiuncta, plura ſunt, ergo eſt vnum per accidens. Reſpondetur, diſtinguendo ly *vt diſiunctis* vnione Phiſica & vnitate continui, fateor, diſiunctis etiam unitate diſcreti, id nego, hæc autem vnitas, quæ imperfecta nimis eſt, tantum poſtulat

quan-

quas commune conjunctionem per ſe partium; vnde ad illam ſufficit, quod partes vniantur inter ſe aliquo ordine, & habitudine numerabilitatis ſupra explicato.

Obijcies ſecundo. Multitudo & vnum opponuntur, & ens per vnum & multa tanquã per oppoſita membra diuiditur, ſed numerus eſt multitudo vnitatum, ergo non poteſt eſſe per ſe vnum. Reſpondetur, quod vnitati per ſe vniuerſaliter ſumptæ, (vt etiam hanc vnitatem imperfectam includit) tantum opponitur multitudo coaceruatim, aut congeries (vt tetigit Ariſt.) ſine ordine vllo, non vero numerus, qui vt ſic, in alio membro vnitatis per ſe continetur. Vnde ſi quãdo Ariſt. numerum per multitudinem definit, per multitudinem compoſitam, & nõ coaceruatim ſumptam, intelligendum eſt definire.

Obijcies tertio. Vnum per ſe accidens non poteſt eſſe in pluribus numero ſubiectis, ſed numerus eſt in pluribus numero vnitatibus, ergo non eſt vnum per ſe. Reſpondetur, vnum per ſe accidens, tantum poteſt eſſe in vno ſubiecto adequato, ſiue in multis vt habent rationem vnius, in multis autem, non niſi in inadequatis, & hoc modo numerus eſt in vnitatibus, vt in inadæquatis ſubiectis, ex quibus omnibus fit vnum adæquatũ. Cuius ratio eſt, quia cum habeat partes omnino extra partes, poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis partialibus, ſecundũ diuerſas etiam inadæquatas partes.

Ex dictis conſtat iam facile, id quod Dicendum eſt tertio. Scilicet Numerum eſſe veram quantitatis ſpeciem, quod conſtat ex Ariſtot. hoc loco, & 5. Meth. capit. 13. Probatur primo, eſſentia quãtitatis eſt habere partes natura ſua exigẽtes eſſe extra partes, vt patet ex dictis, ſed quãtitas diſcreta partes habet natura ſua exigentes eſſe extra partes, immo & de facto ita exiſtentes, ergo eſt vere & per ſe quantitas, & ex alia parte habet per ſe vnitatẽ, ergo eſt vnum per ſe quantũ, ergo ſpecies quantitatis. Secundo, cõponitur ex genere & differentia, ſcilicet ex quantitate, quæ eſt genus, & ex numerabilitate diſcreta, (vt dixi) tanquam ex differẽtia, ergo eſt ſpecies. Quod etiam probant ea quæ diximus in diuiſione quantitatis continuæ & diſcretæ.

Dices: An ſit ſpecies ſubalterna vel infima. Reſpondetur formaliter loquendo de numero: eſſe ſubalternam. Pa-

tet ex Ariſt. 8. Meth. text. 10. dicente, quod addita vel ſublata aliqua vnitate, variatur ſpecies numeri, & etiam alias ſpecies ſicut numeros (inquit) eſſe.

Sed contra. Sicut ſe habet magnum & paruum in quātitate continua, ita multum & paucum in diſcreta, ſed linea V.g. magna, non differt ſpecie à parua, ergo neq; numerus multus, V.g. Denarius ſpecie differt a binario. Reſpōdetur negando maiorem, ita enim cum vnitatibus iuncta eſt forma numeri, vt variatis illis cōſequenter varietur & ipſa, forma enim binarij eſt bineitas, (vt ita dicam) quę addita tertia vnitate iam erit ternitas, in alijs autem continuis ſemper manet forma lineæ, &c. Ratio poteſt eſſe, quia cū vnitas in ratione vnitatis indiuiſibilis ſit, non poteſt (vt ita dicam) dimidiari vnitas, aut fieri minor intra eandem rationem numeri. Vnde numerus non poteſt maior fieri, aut minor, niſi per additionē, aut ablationem alicuius vnitatis, qua addita aut ablata, variatur etiam eſſentia. V.g. ternarij in quaternariū, aut binarium in hunc, ſi auferas: in illum, ſi addas: ſi tamen vnitates ſumas materialiter, vt diuiſibiles ſint, numerus ex maioribus vnitatibus cōſtās, non differt ſpecie ab eodem, minoribus vnitatibus conſtāte (vt dictum eſt.)

Sed contra, in ſpeciebus nō datur proceſſus in infinitum, quia ſpecies ſunt de perfectione vniuerſi, ſed in numeris datur verſus finem, ergo nō ſunt ſpecies. Reſpondetur, id tantum habere verum (ſi forte verū habet) in ſpeciebus perfectis, quæ propriè ſunt de perfectione vniuerſi, non autē in imperfectis quales ſunt numeri. Dixi (ſi forte verum habet,) quia exiſtimo non tot eſſe ſpecies, quin plures etiam dari queant.

Sed obijcies rurſus, ex multis non fit vnum per ſe, niſi alterum ſe habeat vt potentia, aliud vt actus, ex Ariſtot. 10. Meth. text. 10. Sed inter vnitates vna non ſe habet magis vt potentia, quam alia, ergo numerus non eſt vnum per ſe.

Hoc argumentum non recte poteſt ſolui niſi explicemus.

(?)

AN

AN VLTIMA VNITAS SIT forma numeri, nec ne.

CVI quæſtioni,(quicquid alij velint.) Reſpõdeo, nõ eſſe. Probo vrgentiſsime, quia compoſitio accidentiũ, quando non eſt cum ſubſtantia, nõ eſt compoſitio materię & formæ, præſertim in quantitate, cuius partes ſunt inter ſe eiuſdẽ rationis. Secundo, præcipue, in hac diſcreta, quia cõpoſitio materię & formæ requirit vnionem propriè, non tantum cũ toto, ſed vtriuſque inter ſe. Hæc autem inter ſe vnio, repugnat diſcretæ quantitati, vt patet. Tertio & maxime, quoniam in ternario triũ vnitatum ſimul productarũ, ibi non eſt determinate vltima vnitas, ergo ſi vltima vnitas eſt forma, non eſt determinate forma numeri ibi, quod implicat, quia ſpecies determinata determinatam etiam habet formam.

Dici ſolet, non eſſe formam numeri hanc vel illam vltimã vnitatem, ſed vltimam in confuſſo. Sed hoc magis cõfundit, & reddit difficilem contrariã ſententiã, determinatũ enim cõpoſitum, & nõ confuſſum, determinata & non confuſſa forma cõſtituitur: & nũquã (ſi hoc eſſet verum) determinate & explicite, ſed confuſſe tantum, poſſet ternarius V. g. cognoſci. Quod ſi rurſus reſpondeas, vt reſponderi ſolet, quãcumq; vnitatem prout aptam numerari priori loco, eſſe materiam, & quancũq; prout aptam numerari poſteriori eſſe formam. Contra hoc eſt Primo, quia adhuc manet forma indeterminata, cum non magis hæc, quã illa vnitas apta ſit priori vel poſteriori loco enumerari. Secundo, quia ſequitur quãuis vnitatem habere ſimul rationẽ materiæ & formæ, reſpectu eiuſdẽ numeri, quia quęuis illarũ ſicut poteſt ſumi ante vnam, ita poſt illam, ergo ſi ex hoc quod poſſit aſſumi primo loco eſt materia, & ex hoc quod poſsit ſecundo, eſt forma, ſimul materia & forma erit, ex quo abſurda plura poſſent multiplicari. Dices adhuc, non niſi ex hoc quod aſſumatur. Contra, quia aſſumi actualiter, eſt per intellectum, ergo numerus habebit iam complementũ ſui eſſe, & ſuam formam per intellectum, ac proinde non erit proprie ens reale.

Poſſet tamen dici, quod licet omnes vnitates ſint mate-

ria numeri vltima tandẽ quã-
do poteſt aſsignari vltima, ſci
licet quando numerus ſucceſ-
ſiue fit, dici poteſt aliquomo-
do forma, Metaphorice ſcili-
cet, quatenus in quadrato õm
nes lineæ habent ſe ſicut mate
ria illius, & in domo omnes
partes ſimiliter, tanquam ma
teria domus, linea tamen eſt
pars quæ vltimo aduenit, dici
tur dare formam, & comple-
re, hæc domum, illa quadratũ:
non tamen quia propriè for-
ma domus, aut quadrati ſit vl
tima pars, aut linea cõplens,
ſed totalis illa figura cuiuſcũ-
q; horum: ita in numero, licet
vltima vnitas compleat, non
tamen eſt forma numeri, niſi
totum illum V. g. bineitas, &
in hoc ſenſu explicandus eſt
S. Tho. 8. Meth. lect. 3. & alijs
in locis, ſi his contrarium aſſe
rat quoquomodo.

Neque obſtat, quod adue-
niente vltima vnitate, fit ter-
narius, ſicut adueniẽte forma
fit aliquid tale Reſpondetur
negando *ſicut*, ſed tantum ſi-
cut aliqua pars neceſſaria, ſi-
ne qua forma in tali re eſſe nõ
poterat. Patet à cõtrario, quia
à ternario illo per vltimam
illam vnitatem cõſtituto, etiã
ſi nõ auferatur ipſa, ſed quæ-
uis alia, auferetur forma ter-
narij, non quia auferatur
vltima, quam tu dicis eſſe for
mam, ſed quia nõ poterat ter-
narius niſi in tribus vnitati-
bus conſeruari, & hac etiam
ratione, illa etiam quam tu
appellas vltimam, concurrit
ad compoſitionem ternarij,
quia non poteſt eſſe niſi in tri
bus vnitatibus, ſi enim adue-
niret propriè vt forma, illa nõ
ablata non auferretur forma,
ſicut de facto, homo, ablato ca
pite ab illo, non manet homo
neq; forma hominis, & tamen
caput non eſt forma hominis.
Et patet etiam in quadrato,
vbi ablata quauis linea perit
quadratum. Quod autem ali-
quando duæ vnitates videan-
tur determinabiles per ter-
tiam, quando ſucceſsiue fit
numerus, hoc eſt per acci-
dens ad rationem & eſſentiã
numeri, quę ſemper debet eſ-
ſe eadem.

Ad argumentum ergo quod
hoc poſtulauerat. Reſp. illud
propriè non requiri in cõpoſi
tione accidẽtiũ (vt dictũ eſt.)
Tãtum ergo requiritur (ſi ali-
quid huiuſmodi neceſſarium
eſt) quod partes ſint quaſi in
potẽtia, in ordine ad formã to
tius, nõ vero quod vna ſit po-
tẽtia reſpectu alterius, vt patet
etiã in quadrangulo: quinimo
ſi de materia phyſica loqua-
mur, ipſæ vnitates materiali-
ter poſſunt dici materia nume
ri: ſi vero Metaphyſice, con-
ceptus

ceptus generis determinabilis per differentiam, rationem habet materiæ.

Tandem aduertite, ex tribus ſubſtãtijs in numero trãſcendentali non reſultare tertiam ſubſtantiam, tum, quia non reſultat diſtinctus modus eſſendi per ſe, tum etiam, quia ſi aliquid vnum reſultaret, potius deberet eſſe in alio, ſcilicet in illis tribus ſubſtantijs, ac proinde propriè non eſſet ſubſtantia id quod reſultaret, de cuius ratione eſt quod ſit per ſe.

QVÆSTIO. III.

Quid ſit oratio, & an vera ſpecies Quantitatis diſcreta.

DVO inquirit Quæſtionis titulus, & pro explicatione primi, quid ſcilicet ſit oratio. Notandum maxime eſt Primo, duplex eſſe tẽpus, aliud eſt tempus primi mobilis, ſeu duratio quam primum mobile in ſuo curſu & motu conſumit, quod eſt menſura, & regula aliorum temporum, & durationum propter ſuam regularitatem, & certitudinẽ: aliud eſt tempus horum inferiorum, quod intrinſice eſt in quouis motu eorum, nihil enim aliud eſt tempus quam duratio motus, cum ergo in quouis motu ſit propriè ſua duratio intrinſeca, ſuum etiã intrinſecum tempus erit, quia autem tempore ſeu duratione primi mobilis alia menſuramus tẽpora, & ideo Horologia prius per motũ cœli mẽſuramus, habita iam proportione, quam durationem ex tali V.g. ad talem lineam procedens, conſumat, quam appellamus horam, & per multiplicationem harum horarũ, quodammodo etiam, & omnino extrinſice, ipſum etiam tẽpus mobilis menſuramus, ideo tẽpus primi mobilis communiter dicitur tempus, non quia in his inferioribus motibus tẽpus non ſit, ſed quia menſurantur tẽpore primi mobilis maxime regulari, inuariabili & certo, quod tempus primi mobilis extrinſecum eſt alijs temporibus, ſeu intrinſecis duratio-

tionibus, & hoc tẽpus primi mobilis ſemper eſt continuũ: neq; enim ceſſat aliquãdo, aut interrumpitur. In tempore autem horum inferiorũ, duplex ſolet tempus diſtingui, continuum vnum, diſcretum aliud. Tempus continuũ dicitur duratio continua motus: tempus autem diſcretũ, numerus durationum diſcretarum, vt numerus diſcretorum motuum. Itaq; numerus quidẽ cõſtans duratione temporis, quo hæc mea diſputatio V. g. menſuratur nunc, & temporis alterius, quo alius etiam menſuratur motus, tempus dicitur diſcretum.

Secũdo Notandũ eſt, quod licet Oratio in Rethoricam, Gramaticam & Myſticam, & in Philoſophicam etiam, mentalem, vocalem, & ſcriptam, diuidi poſsit, hic tamen ſumitur pro oratione quadam vocali, quæ nihil aliud eſt, quam multitudo prolationum, aut ſyllabarum diſcretarum, quæ in vnica dictione reperiri poteſt, vt Dominus, quæ oratio hic, non illam petit ſignificationem, ſed in quauis dictione plurium ſyllabarum, etiam non ſignificatiua reperiri poteſt. V. g. *Bly, ti, ri*, in qua licet pleraq; diſtingui poſsint, quæ concurrunt ad prolationem, vt aer, lingua, palatus, &c. id quod neceſſario debet diſtingui tantum eſt, vel percuſsiones ipſę, & motiones aeris factæ per linguam, quando pronunciãdo percutimus, vel durationes intrinſicæ his motionibus & percuſsionibus correſpondentes. V. g. in hac oratione *Dominus*, quot ſyllabæ, tot ſunt motiones & prolationes, ſeu aeris verberationes, & in quauis harum motionũ eſt intrinſeca duratio, ſicut in quouis alio motu horum inferiorum, (vt dixi.) Diſtinguuntur etiam, & diſcontinuantur percuſsiones, aut morulæ illæ aliqua quiete, quia vt probat Ariſt. 8. Phyſicorũ, non poſſunt plures motus nõ interrumpi quiete aliqua, licet hæc propter ſuam indiuiſſibilitatẽ imperceptibilis ſit.

Oratio ergo eſt multitudo illarum percuſsionum, & motionum, vel multitudo durationum, parum enim attinet, an hoc dicatur, an illud, communiter tamen dici ſolet, eſſe numerum durationum, non motuũ, quia motus (inquiũt) eſt quid incompletum, Quantitatas autem cõpleta ex entibus completis & directe ponibilibus debet componi. Sed quod primo aſſumunt, ſcilicet quod motus non pertineat directe ad prædicamentũ quantitatis, non eſt omnino certũ,

de

de quo in Phiſica. Secundum autem eſt abſq; dubio falſum. Conſtat enim numerũ qui eſt quãtitas diſcreta, componi ex vnitatibus, quæ nec directe ponuntur in prædicamento quãtitatis, ſed reductiue, neq; ſunt quantitates cõpletæ, ſed tantum principiũ quantitatis: quicquid ergo dicatur, ad hãc ſpeciem pertinet numerus motuum iſtorũ, & numerus durationum diſcretarum, quæ intrinſecæ ſunt illis. Et licet communiter exemplificemus in oratione vocali, quia in ea dilucidius, & frequentius pateſcit orationis natura, ad hãc etiam ſpeciem pertinet numerus motuum, qui fiunt in ſaltatione, vel qui fiunt in pulſatione citharæ, & ſimiles.

Ex quibus orationẽ ſic poteris definire. *Eſt multitudo compoſita ex quãtis ſucceſsiuis, non vnitis termino communi* modo infra explicando. Ex quo rurſus ad id quod inquirebat queſtio 2. loco. Reſpondetur, orationem eſſe aliquam quantitatis ſpeciem à numero diſtinctam; quod probat primo definitio adducta, indicatur enim in illa primo eſſe vnum per ſe, cum dicitur *multitudo compoſitá*. Secundò, eſſe per ſe quantam, quia conſtat quantis ſucceſsiuis, ex quo patet eſſe ſpeciem quantitatis, quia eſt vnum per ſe quantũ. Tertiò denotatur eſſe ſpeciẽ quantitatis diſcretæ, quia dicitur, *Non vnitis termino cõmuni*, ac deniq; differ à numero non præciſe ex lv. *ſucceſsiuis*, vt afferunt multi, quod probo meo videri vrgentiſsimè.

Primò, quia ſucceſsio, aut permanentia tantum ſe tenet ex parte materiæ vnitatis, nõ verò ex parte formę, forma enim vnitatis etiam prædicamentalis, eadem eſt in permanentibus, & ſucceſsiuis, cũ in omnibus reperiatur indiuiſio quantitatis, ſed quantitas diſcreta componitur formaliter ex vnitatibus formaliter etiã ſumptis, ergo ſi in formalitate vnitatum prædicamentalium, non eſt diſtinctio diuerſæ rationis, neque res compoſitę erunt diuerſæ rationis. Secũdò, quia alias ſequeretur numerũ trium linearum, formaliter & in ratione ternarij eſſe ſpecie diſtinctum à numero trium ſuperficierum. Quod patet eſſe omninò falſum, quia vere inuenitur ternitas formaliter in vtroq; eiuſdẽ rationis. Quod autẽ hoc ſequatur patet, quia linea & ſuperficies ex parte materię ſpecie differunt. Dicẽdũ ergo eſt. Orationẽ pręter ſucceſſionẽ, in vnitatibus requirere

aliquam harmoniam, ſeu concentum, qualis eſt in muſicis, in ſaltationibus, in carminibus, & ſimilibus, per quod diſtinguitur à numero quod tãtum reſtabat probandum: ex cuius harmoniæ, aut concentus diuerſitate, diuerſitas aut identitas ſpecifica orationum ſumenda eſt. Dactilus enim V.g. ſpecie differt ab Spõdeo, cæteras autem muſicæ aut ſaltationum harmonias diſtinguere, non eſt mei muneris.

Ex quo ſequitur. Numerũ ſucceſsiuorum, ſine vllo ordine aut harmonia pertinere ad ſpeciem numeri, definitur autem per vnitates permanentes, quia in illis & pręcipue, & etiam omnium authorum ſententia, numerus reperitur. Diſtinctio autem hæc ſucceſsiuorum cum harmonia, aut ſine illa, non potuit non in hunc locum differri, quia requirebat omnia quæ in hac quæſtione dicta ſunt.

Sed contra obijcies. Ariſt. 5. Meth. non numeraſſe Orationem inter ſpecies quantitatis. Reſpõdetur, ibi Orationem ſub numero compræhendiſſe, quia ſumpſit ibi numerũ pro quantitate diſcreta, quæ eſt ſpecies ſubalterna, pro numero ſcilicet, quorumcumq; quãtorum continuorũ, vbi cõſtat incluſſam eſſe Orationẽ.

Contra ſecundo. Numerus eſt in tribus vnitatibus diſcretis, & in nullo ſubiecto continuo, quia eſt quantitas diſcreta, ſed morulæ iſtæ orationis ſunt in aere, quod eſt ſubiectũ continuum, ergo oratio non eſt quantitas diſcreta. Reſpondetur, quod licet aer ſit continuum in ſe, morulæ tamen iſtę non ſunt in illo, niſi quatenus linguæ verberibus diſcontinuis interrumpitur, & interſecatur.

Tantum deſiderabatur in hoc capite quęſtio illa. An quãtitas diſtinguatur à re quãta, ideſt à ſubſtantia. Sed certe immerito in hoc loco ab authoribus tractatur, neque deciſsio quam ipſi adducunt, vllo modo poteſt intelligi in præſenti, dependet enim ex multiplici quæſtione phyſica, ſcilicet, an quilibet motus ſit quantitas, an motus diſtinguatur realiter à termino motus, & an ad ſubſtantiam ſit per ſe motus, quę omnia licet in pręſenti humana fide credi poſſint, non tamen intelligi.

Et hæc de hoc capite.

(?)

CAPVT

CAPVT. VII.

De his quæ ſunt ad aliquid, ſeu de Relatiuis.

POſtquã de Quãtitate diſſeruit Ariſtoteles, agit ſtatim de relatione, tum, quia in fine capitis de Quantitate, in dubitatione illa de magno & paruo fecerat mentionem relatiuorum, ne ergo diutius tenerentur ſuſpenſi audientiũ animi, poſt quantitatem, de relatiuis diſſerit. Tum etiam, quia plures ex paſsionibus quantitatis, accedũt maxime ad relationem (vt dictum eſt.) ratio etiam & vnitas diſcretæ quantitatis, vix poteſt ſine ordine, aut partium aliqua relatione ſignificari. Si tamen relationem ipſam cum qualitate cõferamus, multo nobilior & perfectior eſt qualitas, includit enim ſcientias & virtutes, immo quodlibet genus entis abſoluti prius eſt genere relatiuorum, cum relatio in abſolutis ſubiectetur, nulla vero entitas abſoluta in relatione. Vnde non immerito Ammonius & Louaniẽſes, methodo prudentiæ in hac priori relationis enumeratione exiſtimant proceſſiſſe Philoſophum, quæ certe maxime attendenda eſt, licet naturę ordine hunc locum qualitatis tractatio poſtularet. Eſt ergo huius capitis.

SVMMA TEXTVS.

TRipartita. Primo ponit Ariſt. vulgatam antiquorum definitionem relationis ſic. *Ad aliquid ſunt quæcũque hoc ipſo, quod ſunt, aliorum eſſe dicũtur: vel quæ quouis modo dicuntur eſſe ad alterum*, vt duplum, alicuius dimidij dicitur duplum. Secundo, quatuor aſsignat relatiuorũ proprietates in his quę ſunt ad aliquid. Prima *in his quæ ſunt ad aliquid, contrarietatem eſſe* licet nõ in omnibus. Secunda

quod

quod ſuſcipere poſsint magis, aut minus, & hoc ſimiliter non conuenit omnibus. Tertia, *relatiua dicuntur ad conuertentiam*, ſi recte aſsignetur correlatiuum (ideſt) quod mutuo ſe inferant, & declarent, vt ſi eſt Pater, alicuius filij Pater ſit, & econtra. Dixi ſi recte aſsignetur correlatiuum, quia defectu alicuius nominis, vel alia ex cauſa aliquando non recte fit, vt ſi pro correlatiuo alæ aſsignet auem, non recte fit conuerſio, quia formicę, & muſcæ habent alas & tamen aues nõ ſunt: dicendum ergo erit, eſt ala, ergo alicuius alati ala. Quarta, *Relatiua ſunt ſimul natura* (ideſt) quæ ſe mutuo conſequuntur, & ſimul omninò exiſtunt, & ſunt. Sed addit, neque iſtam proprietatem omnibus conuenire relatiuis, nam ſcientia & ſcibile ſunt relata, & ſenſus & ſenſibile, & tamẽ prius eſt ſcibile, & res quæ ſcitur, quã ſciẽtia, & res quæ ſentitur, prior ſenſu. Sed de his omnibus in diſputatione late dicendũ eſt. Tertiò tandem in hoc capite contra prædictam definitionẽ obijcit ſic. Nam ſi illa recta ſit, ſequitur quod partes ſubſtantiæ ſint ad aliquid, ac per cõſequens, quod poni debeãt in hoc prædicamento; quod eſt falſum. Probatur ſequela, quia eo ipſo quod ſunt, aliorũ eſſe dicuntur, quæ erat antiquorũ definitio, Eo enim ipſo quod eſt caput, alicuius capitati caput eſt, & ſic de alijs. Huius occaſione relatiua ex propria ſentẽtia definit dicẽs, *Ad aliquid ſunt, quorũ hoc ipſum eſt eſſe quodammodo ſe habere*, (id eſt, vt explicant omnes) quorum tota eſſentia eſt eſſe ad aliud. Ex qua definitione vnum relatiuum colligit non poſſe definite, id eſt determinate, & in particulari cognoſci, quin in particulari cognoſcatur illud aliud, quod reſpicit eſſentialiter. Ex quo ſoluit argumentum dicens, partes ſubſtantiæ non eſſe proprie relata, quia totum ſuũ eſſe, non eſt eſſe ad aliud, & quia poteſt caput definite, & in particulari cognoſci, non cognito definite eo, cuius caput eſt.

(:?:)

ANNO.

ANNOTATIONES IN hoc Caput.

PLacuit in his Annotationibus, quædam veluti fundamenta ad ea quæ in ſequētibus dicēdā ſunt apprime neceſſaria, locare, vt poſtea diſputationis ædificium fortius, ſublimius, & facilius conſtruatur. In primis ergo Notā dum eſt, relationem in cōmuni, (licet eam in abſtracto non definierit Ariſtoteles,) eſſe comparationem, vel habitudinem, ordinem, ſeu reſpectū vnius extremi ad aliud, habitudinē enim, qua Pater refertur ad Filium, relationē nūcupamus, extrema autē ea inter quæ eſt ipſa habitudo, Pater V.g. & filius, relata dicuntur.

Relatio autem, ſeu relata ipſa multipliciter diuidi poſſunt: alia enim ſunt relata rei: alia rationis. Rei illa dicūtur, quæ à parte rei habent illam habitudinem: rationis vero, quæ habitudinem illam, & relationem tantum habent beneficio intellectus, vt genus & ſpecies, ſubiectum & prædicatum. Secundo diuidi poſſunt relata, alia ſecundum eſſe & alia ſecundū dici. Secundū eſſe ſunt illa, quorum totū eſſe, eſt referri ad aliud, vt totum eſſe Patris formaliter eſt ad filium: relata vero ſecundū dici ea ſunt, quæ denotant vere rem abſolutam, conceptā tamen cū habitudine ad aliud, vt ſcientia & ſcibile, ſenſus & ſenſibile, materia & forma. Vnde obiter intelligetis plura ex adductis ab Ariſt. in exemplis hoc loco, nō poni propriè, & per ſe in prędicamētu relationis, ſed qualitatis, aut aliorū, vt patet in ſcientia, &c. adducta tamen ab eo ſunt, vt inde conſtaret vulgarē illā veterū definitionē, pluribus alijs conuenire ab his, quæ in hoc prædicamento collocātur. Rurſus tertio, alia ſunt relata æquiparātię, in quibus relatio eſt eiuſdē nominis & rationis, vt relationes ſimilitudinis, quę inter duo alba reperiūtur. Alia ſunt diſquiparātiæ, ſeu diuerſi nominis & rationis, vt relatio Patris & Filij, nec enim eſt eadē ratio, aut nomen relationis Paternitatis & filiationis. Quarto, relata quædam ſunt mutua, quædam non mutua: mutua ſunt ea, inter quæ mutua dependentia & reſpectus

ex parte,ſcilicet vtriuſq;extremi intercedit, vt Pater & Filius, qui ad inuicem referuntur.Non mutua vero ea ſunt, inter quæ non eſt mutua, ſeu ex parte vtriuſq; extremi dependentia,ſed licet vnum realiter reſpiciat alterum, & dependeat ab illo, non tamen è contra, vt ſcientia realiter dependet à ſcibili, non vero ſcibile à ſcientia, hoc enim quod eſt rem ſciri, eſt quædam extrinſeca denominatio tantum in ipſa, de quo infra. Deniq, diuidi poſſent relatiua,alia per ſe, quę ratione ſui referuntur, alia per accidens,quæ hoc habent ratione alterius, vt ſi Pater albus eſt, album per accidens refertur ad filium.

Notandę etiam ſunt aliquorũ nominum ſignificationes, quæ in diſputationis diſcurſu crebrius aſſumentur. Relata quid ſint iam diximus.Correlatiuum appellatur.quod relato ex alia parte correſpondet, vt filius dicitur correlatiuum Patris, ſubiectum appellatur extremum, quod tali afficitur relatione,vt Petrus,qui eſt Pater, eſt Paternitatis ſubiectũ, fundamentum dicitur illud, cui ineſt immediate relatio, vt in duobus albis albedo: in quolibet extremo dicitur fundamentum relationis ipſius, quatenus eſt vnius ſpeciei fundamentaliter cum alia. Ratio vero fundandi eſt quaſi conditio ſine qua non,vt actio generandi in Patre.

Inſcribitur tandem caput hoc in plurali, de his quæ ſunt ad aliquid, quia proprium eſt huius prædicamenti, vt petat duo extrema & habitudinem cum fundamento inter ipſa, quia ergo ly, *quæ ſunt*, explicat extrema quæ referuntur, & ly, *ad*, relationem & habitudinem ipſam, & ly, *aliud ſeu aliquid*, correlatiuum ad quod terminatur reſpectus alterius, ideo hoc modo commodius inſcribitur, quia hoc modo commodius natura relationis intelligitur.

DISPV-

DISPVTATIO XIIII.

De Relatione Tertio Prædicamento.

TRIA præcipue requiruntur ad relationem, ſcilicet fundamentum, terminus, & ipſa habitudo, & ideo Tripartita erit præſens diſputatio: agam in prima, de relatione reali in ordine ad fundamentum. In ſecũda de termino. In tertia deniq; de relatione ipſa, quæ eſt generaliſſimum huius prædicamẽti, & de proprietatibus relationis, quia hæc cognitio, duorũ præcedentium cognitionem requirit maxime.

I. PARS DISP.

De Relationibus realibus, & earum fundamentis.

IN hac præcipua huius diſputationis parte, immo & in toto hoc capite, multa & difficilia explicanda ſunt, hanc tamẽ difficultatem, & multitudinẽ compenſat vtilitas, eſt enim hæc diſputatio tam ad naturales, quam ad diuinas litteras neceſſaria, præcipue tamẽ ad intelligentiam Quæſtionis 28. Primę partis, in qua de diuinis relationibus ſimul cum Doctore Angelico agunt Scolaſtici. Oritur autem in hac re difficultas ex minima relationis entitate, quæ ita minima eſt, vt de eius exiſtentia & poſsibilitate, prior huius diſputationis quęſtiõ debeat agitari.

QVAES.

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

An ſint Relationes reales, & quæ conditiones requirantur ad illas.

ET quidem, id quod prima quæſtionis pars inquirit, non eſt omnino certum. Multi enim ex veteribus Philoſophis vt Stoyci, & alij, (cuius Ammonius, & Simplicius in commentario huius loci teſtes ſunt, qui etiam antiquiſſimum Zenonē huius ſententiæ enumerant defenſorem.) Exiſtimarunt, nullā dari relationē rei, ſed omnem tātum eſſe rationis, beneficio intellectus vnū alteri cōferentis: quā poſtea iā penitus extinctā ſuſcitauit Aureolus apud Capreol. in 1. diſt. 30. q. 1. nec tamen rationibus omnino eſt deſtituta: pro illa enim argumentor.

Primo ſic, nullum reale ens alicui abſq; mutatione ſubiecti poteſt aduenire, at relatio aduenit alicui abſq; intrinſeca mutatione ſui, ſolū per extrinſecam poſitionem termini, ſit enim V. g. vnum album tantum, tunc non habet relationem ſimilitudinis, producto autem alio albo, nullo aliò, ſtatim reſultat in albo præexiſtenti, immo in vtroq; relatio ſimilitudinis, ergo relatio nō eſt reale ens. Maior patet, quia mutatio eſt, rem aliter ſe habere, quam antea ſe habebat, ſed non poteſt alicui de nouo aduenire reale quid, quin ſe habeat nunc aliter quā prius, ergo. Minor conſtat, & eam etiam docet Ariſt. 5. Phyſicorū cap. 2. & 11. Meth. cap. 2. & eſt fere cōmunis omniū Thomiſtarum. Secundo, relatio nihil aliud eſt quā collatio, aut comparatio vnius ad aliud, at cōparatio non eſt niſi per intellectum, ergo nulla relatio eſt niſi per intellectū, ac proinde non erit à parte rei. Tertio, duo alba ſe ipſis, omni alia abſtracta & præciſſa realitate, ſunt, & intelliguntur eſſe ſimilia, fruſtra ergo ſpecialis additur realis forma, à qua duo alba ſimilia dicantur. Antecedens probatur, quia duo alba eò ipſo ſimilia ſunt, quò ſunt alba, ſed ſe ipſis ſunt alba, ergo ſe ipſis ſine alia realitate ſimilia erunt, Quarto, id ꝙ tu appellas relationē realē, fundatur aliquādo in ente rationis,

tionis, ergo nō poteſt eſſe reale, neque enim ens rationis eā habet vim, vt realitatis pondus ſuſtineat, potiuſq; in ente reali fundatur. Antecedens probatur, quia Paternitas vel fundatur in actione generandi, vel in potētia generatiua, at tranſacta generandi actione quando iam nihil eſt, & pōtentia generatiua aliquando diſtincta, manet Paternitatis relatio ad filium productum, ergo tunc, vel in eo quod eſt nihil, vel ſaltim in aliquo ente rationis fundabitur, ac per cōſequens nō erit quid reale.

Contrariam tamen ſententiam tenent communiter Platonici & Peripatetici omnes, ac deniq; omnes Phyloſophi, qui inter decem genera entis realis enumerant relationem. Tenēt etiam communiter Theologi omnes cū Magiſtro in 1. diſt. 30. & cum D. Thom. 1. p. q. 13. artic. 7. & q. 28. artic. 1. & multi alij quos breuitatis cauſa prætermitto.

Probatur primo ex dictis, quia diuiſſum in decem genera & prędicamenta rerum, eſt ens reale, at relatio ex omniū ſententia vnum eſt ex membris diuidentibus, participabit ergo diuiſsi naturā. Secundo, diſputatione de ente rationis dictū eſt, relationes rationis ad ſimilitudinē relationū realium cognoſci, ſicut & qualitates rationis ad ſimilitudinē qualitatum realium, ſi ergo rationis relationes, & ab ipſis Authoribus admittuntur, & nō poſſunt nō admitti, vt ibi probaui, multo magis relationes reales erunt admittendæ. Tertio, multæ reales ſcientiæ conſiderant per ſe relationes aliquas, illę ergo reales erunt, quia ſcientia realis nō cōſiderat per ſe nihil, aut ens rationis. Antecedens probatur in Arithmethica, quę conſiderat proportiones numerorū, & in Geometria, quę proportiones figurarū contēplatur, quæ proportiones, relationes ſunt abſq; dubio, ęqualitatis, aut inęqualitatis, &c. Quarto & vrgētius. Filiatio, & Paternitas in diuinis ſunt verè relationes, & entitates reales, quod fide ſalua negari nō poteſt, ergo etiā in humanis Paternitas & filiatio reales etiā relationes erunt. Conſequentiā probo ex eo q Aeternus P. habet relationem principij & Patris ad Verbū, quia generat illud, & filius ad Patrem, quia vere genitus eſt, ſed Pater etiam in humanis vere generat filiū, & filius verè eſt productus ab illo, ergo erit etiam relatio realis Patris & filij, in humanis, diſtincte tamen, quia cum illa ſit generatio diuina & diui-

Digitized by Google

& diuinarum perſonarum, illa etiam erit diuina relatio, hæc autem cum ſit generatio humana, & humanarũ perſonarũ, humana erit: & cũ vtraque ſit generatio realis, & extrema, in vtraque relatio realis erit. Ex quo ellicio Quintam huius concluſionis probationem, quia admiſſa ſemel relatione reali, in principio & principiato, Patre & filio, neceſſario in alijs etiam admittenda eſt, vel danda diſparitas, cũ ceſſet iam vniuerſalis illa doctrina entitatem realem relationi negans.

Primum argumẽtum infra late ſoluendũ eſt, nunc Reſp. quod cũ relatio diſtinguatur realiter à ſubiecto & fundamẽto, adueniẽte illa mutatur realiter ſubiectũ, nec ſolũ eſt poſitio termini extrinſeci, ſed ad eius poſitionem reſultat in ſubiecto vere inhęrẽs relatio.

Ad ſecundum: relationẽ nõ ſignificare actionem intellectus comparantis, ſed habitudinem vnius ad aliud, quam eſſe ponendã iã probatũ eſt. Ad tertium: per ſolam albedinem vnum album non poſſe eſſe propriè & formaliter ſimile, niſi tantum fundamentaliter, quia cum albedo forma abſoluta ſit, & ſimilitudo reſpectiua, nõ poteſt reddere ſubiectum formaliter relatum, id quod eſt formaliter abſolutũ: verum eſt, eo ipſo quod ſunt duo alba, ita neceſſario conſurgere relationem, vt probabile ſit, non poſſe non conſurgere etiam diuina virtute: quod ſi ab hac impediri poteſt, & de facto impediatur, illa alba tantum erunt ſimilia fundamentaliter, de quo infra etiã rediꝑit ſermo. Ad quartũ Reſp. fundamentũ relationis Paternitatis, nihil eſſe ex illis duobus, quæ aſſumit, ſed potentiam generandi radicalem, ſcilicet ſubſtãtiam ipſam Patris, quatenus ab ea quodã modo veluti à radice, potentia ipſa generatiua profluxerat.

Circa ſecundum, quod inquirebat quæſtio de requiſitis ad relationem realem, Dico ſecundo in hac quæſtione. Relatio realis petit duo extrema realia realiter diſtincta, & actualiter exiſtentia: eſt communis D. Thom. 1. part. quæſt. 13. artic. 7. Ibidem Caiet. & & ſecũdo cõtra gẽtes cap. 12. ibidem Ferrara, Scotus in 1. diſt. 21. q. 1. Cap. col. in 1. d. 30. quæſt. 1. Sonzin. 5. Meth. quæſt. 27. & 29. Fonſecæ, 5. Meth. capit. 15 quæſtio. 1. ſectio. 7. Toler. hoc loco, Doctorum Louanienſium & aliorum hic.

Et Primo, quod requirat extrema

trema realia. Probatur primo ſic: accidens reale nequit ſubiectari in ente rationis, at relatio reale accidens eſt, debet ergo ſubiectum habere reale. Dices, ſubiectum habebit reale, ſcilicet vnum extremorum, non tamen neceſſario terminum ad quem referatur. Contra. Relatio realis ante intellectum eſt ad aliud, ergo ante intellectum erit illud aliud, ad quod eſt relatio, alias ſi ab intellectu penderet in termino, non eſſet ante intellectum ad illum. Ex quo ſecundo hoc idē probo. Relatio realis, vt patet ex dictis, in ſuo dependet eſſe ab extremis, quia ſine illis, neque eſſe poteſt, neque intelligi, & ideo Ariſt. in plurali extrema definit in præſenti, etiamſi de ipſa relatione agat, requirit ergo extrema quæ ſint entia realia.

Quod autem debeant eſſe realiter diſtincta, id patet primo. Relatio eſt quædam oppoſitio vt dictum eſt, ergo relatio realis, oppoſitio quædam realis relatiua, at realis oppoſitio eſſe non poteſt niſi inter diuerſa realiter, ergo neque relatio realiter: idem enim realiter nō poteſt ſibi realiter opponi. Secūdo, extrema relationis realis, ante intellectū debent eſſe realiter diſtincta; patet, quia ſi ſunt idem realiter, non erunt plura, quo vſque intellectus diſtinguat, ergo non erunt extrema, quia hoc pluralitatem dicit. Tertio id confirmo ex appellatione relationis quæ eſt eſſe ad aliud, petit ergo relatio alietatem, (vt ita dicam) in extremis, ergo relatio realis realem poſtulabit in illis alietatem.

Sed contra obijcies, Ariſtotelem in præſenti ponentem relationem realem dupli, ad dimidium, ſed duplum non diſtinguitur realiter a proprio dimidio, ergo. Reſponderi poteſt, quod non eſt relatio dupli niſi ad quantitatem duplo minorem, in alio continuo exiſtentem, & ab hac, & realiter diſtinguitur, & ad illam realiter refertur. Sed quia poſſet obijci, magis videri duplum referri ad propriam medietatem, quam ad aliam, quia duplum magis eſt duplum reſpectu ſui dimidij, quam alterius, & e contra, dimidium magis eſt dimidium reſpectu ſui dupli. Quod rurſus explico, quia ſi per impoſsibile non daretur aliud dimidiū, præter illud, vere eſſet duplum reſpectu illius dimidij, & e contra. Ideo melius, Reſpondetur ſecundo, duplum diſtingui

a ſua mediate, tanquam includens & incluſum, quæ diſtinctio, vt vidimus capite de genere, realis eſt; vnde ſufficiens ad relationem realem.

Sed contra: in continuo dantur infinitæ partes, a quarum ſingulis continuum, illa diſtinctione includentis, & incluſi diſtinguitur, & ad quas ſingulas ſi hæc diſtinctio ſufficit refertur relatione reali, ergo vel hæc diſtinctio non ſufficit, vel dantur actu in continuo infinitæ relationes. Reſpondetur, quicquid ſit de antecedenti, (de quo in Phiſica) nō eſſe incōueniens infinitas actu partes proportionales in cōtinuo cōcedere, cum quibus adhuc manet ſimpliciter finitum, ita idē de relationibus, quæ minoris entitatis ſunt, concedere incōueniens non reputabo. Addo tamen ſecundo, quod ſicut Pater (vt infra dicam, probabileq; multum eſt) vnica tantum numero relatione reali Paternitatis refertur ad duos, & innumeros filios, ſi eſſent, ſic cōtinuum vnica numero relatione referri poteſt ad infinitas partes, ſi fortaſſe illas habet.

Tandem tertio, quod debeant eſſe actualiter exiſtentia, de relationibus mutuis, hoc eſt per ſe notum, quia cum in quolibet extremo ſubiectetur propria relatio. V.g in Patre Paternitas, & in filio filiatio, ſi ſubiecta non exiſtunt, neque ipſę poterunt exiſtere relationes: ſed de alijs non mutuis hoc non eſt ita per ſe notum, vt non ſint aliqui qui contrarium opinentur, aſſerantq; relationem ſcientiæ ad obiectum non exiſtens poſſe eſſe realem, & quidem probabiliter, quia ſcientia non refertur ad ſcibile prout exiſtens in ſingularibus, cum abſtrahat ab exiſtentia, ſed ad ſcibile ſecundum ſuam eſſentiam, nam vt ſic eſt menſura ſcientiæ, & ſciētia menſuratum: de quo in tertio relatiuorum genere erit ſermo.

Sed in primis abſolute loquendo: Exiſtimo, relationem realem extrema exiſtentia requirere. Probat eleganter S. Thom. quia ſequeretur, quodlibet ens creatum habere infinitas relationes in actu, ad ea quæ non ſunt, tot ſcilicet quot ſunt entia ſimilia, aut diſsimilia eiuſdem naturæ, aut diuerſæ, æqualia, aut inæqualia, quæ poſſunt creari a Deo: quia cum quolibet eorum poteſt ſimilitudinem, æqualitatem &c. habere. Secundo: quia aliàs de facto nigrum diceret relationem ſimilitudinis ad album, nam album poſsibiliter eſt nigrum, licet non exiſtat

Digitized by Google

rat nigrum; & quoduis corpus diſtans diceret relationem propinquitatis ad aliud diſtans, quia poteſt eſſe propinquum.

Ad illud autem de ſcibili, ſunt qui exiſtiment, in relationibus non mutuis non oportere, vt vtrumque extremum exiſtat realiter: quia cum alterum tantum habeat rationem termini, officium terminandi poteſt conuenire rei non exiſtenti, cum nihil intrinſecum in ea ponat, ſed extrinſecam tãtum denominationem: cum ergo ſcibile non referatur ad ſcientiam, ſed ſolum terminet relationem ſcientiæ ad ipſum, hoc terminandi officium exercere poteſt ſecundum eſſe eſſentię, non requiſito eſſe exiſtentiæ: conditio vero illa quod relatio poſtulet duo extrema realiter exiſtentia, ſolum intelligenda eſt de relationibus mutuis, quia cùm in quolibet extremo ſit relatio, quodlibet neceſſario debet eſſe exiſtens. Quæ quidem ſolutio ſatis probalis eſt, eamque defendunt Gregorius in 1. diſtinct. 28. quæſt. 3. & Sonz. 5. Meth. c. 7.

Alij probabilius cum San. Thom. 1. par. quæſt. 13. & ſecundo contra gentes cap. 52. exiſtimant in quauis relatione reali, etiam non mutua, terminum debere realiter exiſtere. Vnde quod attinet ad ſcientiam reſpectu ſcibilis, ſcientia duobus modis ſumi poteſt, aut ſecundum eſſentialia tantum, & hoc modo reſpicit obiectum, vt ſcibile, neque eius exiſtentiam requirit, quia eſſentialia eius ſunt abſoluta; eſſe ſcilicet qualitatem, & circa obiectum ſecundum eſſentiam poteſt faciliter exercere actus ſcientificos, quod poſtulat eſſentia habitus. Aut ſumi poteſt ſecundum realem commenſurationem, vel adæquationem quam habet cum obiecto, qua ratione conſequitur relatio commenſurabilitatis realis ad illud, non ſub ratione ſcibilis, vt ſic, ſed ſub ratione ſpeciali menſuræ, & hoc modo poſtulat obiectum actu exiſtens, ita vt exiſtentia ſit neceſſaria conditio ad relationem realem menſurabilitatis, quia niſi actu exiſtat menſura, non poteſt realiter ſcientia menſurari, aut comparari ad illam. Ratio autem vniuerſalis totius huius doctrinæ ad quãuis relationem non mutuam eſt, quia relatio prædicamentalis, cum ſit extra eſſentiam abſoluti, fundatur in commenſuratione eius cum alio, & cũ ſit realis, fundatur in commẽſuratione reali duarum rerũ, ſed nihil poteſt habere commẽſurationem, vel adæquatio-

nem realē a parte rei,cum ente in potentia,aut cum ente rationis, non habente eſſe niſi per operationem intellectus, quia ens in potentia non habet eſſe reale in rerum natura, ergo nec ad illud poteſt comparari realiter, & naturaliter ens reale actu exiſtens,ſed ſolū per operationē intellectꝰ cōſiderātis ipſum,ac ſi actu eſſet.

Dices,ſicut hæc eſt vera prędicatio,homo eſt animal, nullo exiſtēte homine, neque animali:Ita hæc eſt vera,Pater eſt ad filium,nullo exiſtēte Patre aut filio,ergo datur relatio ſine exiſtentibus extremis. Reſpondetur,quod ſicut in vtraq; extrema ſunt ſecundum eſſentiam,ſeu in actu ſignato,ita eſt relatio ſecundum eſſentiam,& in actu ſignato ſimiliter, non autem ſecundum exiſtentiam, aut in actu exercito. Dices ſecundo,cauſa dicit relationem ad effectum,at cauſa ſuo effectu prior eſt,ergo in illo priori poterit intelligi relatio cauſæ, effectu non dum exiſtēte. Reſpōdetur, quod licet materialiter res quæ eſt cauſa prior ſit effectu producto,formalitas tamen cauſæ,non eſt prius in re quæ cauſat,quam ratio formalis effectus in re quæ efficitur, eo enim ipſo quod vnum eſt cauſa,aliud eſt effectus.

Sed cōtra,relatiua ſunt ſimul natura,ſed cauſa eſt prior natura ſuo effectu,ex omniū ſētētia, quia prioritas naturæ dicit prioritatē a quo,cauſa autē ſē per eſt id a quo effectus producitur, ergo, &c. ℞. huic argumēto,duplicē noſtro modo intelligēdi poſſe diſtingui prioritatē,licet omnia in eodē *inſtā*ti tēporis ſint, alia eſt in qua effectus ipſe a cauſa procedit, quæ poteſt dici prioritas *ab*: alia,in qua ad ipſum refertur, & hæc poteſt dici prioritas,vel vt melius dicam ſimultas *ad*. Prima eſt fundamentum ſecūdę,ideo enim refertur Pater ad filium,quia a Patre filius genitus eſt,in illa ergo prioritate, *ab*, cauſa eſt prior natura,quia tūc conſideratur, vt id a quo procedit res,per quā productionē,iā producto filio. V.g.reſultat ſimultas *ad*,qua omnino ſimul vnū refertur ad aliud.

Sed cōtra adhuc vrgeo.Ex Ariſt.5.Meth.c.15.inter productiuū,& producibile eſt relatio realis,ſed producibile nō exiſtit,nō ergo relatio realis requirit exiſtētiā extremorū. ℞. illa extrema nō cōſiderari, vt omnino in potētia ad exiſtētiā,ſed exiſtētia ſuppoſita, in potētia ad aliquod accidēs:qua ratione lignum iam productum poteſt dici producibile in eſſe calidi, & ignis productiuus illius, & ſic relatio vere eſt

rea-

realis inter extrema illa, quæ tamen actualiter exiſtunt.

Contra Rurſus. Calefactiuum dicitur alicuius calefactibilis calefactiuum, ergo refertur ad calefactibile formaliter, ergo ad illud præciſſe vt non habet calorem, ergo non ad illud, vt exiſtit, ſed vt poteſt habere id quod non exiſtit. Reſpódetur, hoc quod eſt poſſe habere illud quod non exiſtit, hoc inquam actu exiſtere, actu enim res exiſtit calefactibilis, licet actu non calefiat, refertur ergo ignis ad lignum, quatenus ignis dicit potentiam calefaciendi actu exiſtentem in illo, ad lignum quatenus habet potentiam calefiendi actu etiam exiſtentē in illo. Per quod multa alia ſoluetis.

Notandum tamen eſt in fine huius quæſtionis, requiri etiam, quod extrema ſint eiuſdem ordinis, vnde quamuis Creator, & Creatura ſint extrema realia, realiter diſtincta & exiſtentia, non eſt in illis relatio realis, ſaltim ex parte Creatoris, vt diſputatione de ente rationis dictum eſt. Requiritur tamen, vt fundamenta realia ſint, & realiter diuerſa, quod docet D. Tho. quæſt. 28. ar. 4. primæ partis, & quæſt. 42. ar. 1. ad quartum. Vnde, ſi eadem numero albedo eſſet in duobus hominibus, vt capite de accidenti probabile eſſe dixi a Deo fieri poſſe, ſimilitudo inter illos non eſſet relatio rei, quia albedo quæ eſt fundamentum non eſſet realiter diuerſa. Vnde colligit Doctor Angelicus, æqualitatem, & ſimilitudinem in diuinis non eſſe relationes rei, quia natura diuina, quæ eſt fundamentum, eſt eadem numero in tribus perſonis.

(?)

QVÆSTIO II.

De fundamentis Relationum realium, quæ, & quot ſint.

FVndamentum relationis realis ſemper debet eſſe reale quid, cum ſit radix & principium ipſius relationis, a quo magis intrinſice, quam a termino pendet. Neque obſtat quod Ariſt. relationum enumerans fundamenta, relationes primi generis in vnitate docet fundari, ſed per nos nulla eſt vnitas inter duo, niſi per intellectum, quia formalis adhuc a numerica diſtincta nõ datur a parte rei, ergo hoc fundamentũ relationis non erit reale. Similiter, relationes ſecũdi generis fundantur in actione, & paſsione, & earum plures in actione præterita, vt relationes Paternitatis, & filiationis, quę in hoc, quod eſt generaſſe, aut genitum eſſe fundantur. Conſtat enim tranſacta actione generationis manere relationem Patris, immo relationes aliquas ſecundi generis docuit Philoſophus in actione futura poſſe fundari, dicẽs, vt quod facturum eſt, ad id quod faciendum, at actio tam futura quam præterita, non ſunt entia realia, ergo fundamentum relationis non oportet vt ſit aliquid reale. Similiter, circa tertium genus relatiuorum, quorum fundamentum eſt ratio menſuræ, & & menſurabilis; eſt etiã quoad realitatem fundamenti difficultas, quia ratio menſurę formaliter realis non eſt, ſed rationis, dependet enim ex hominum impoſitione, conſiſtitq; proinde in extrinſeca denominatione, ab hoc etiam extrinſeco hominum placito, & aſsignatione deſumpta, vt capite de quantitate diximus. Dices: ibi fuiſſe ſermonem dę menſura Quantitatis: hic autem de menſura veritatis, vt ſcientiæ, & ſcibilis, &c. Sed contra, quia hæc ratio menſuræ, multo minꝰ poteſt eſſe realis, quia ſcientia vel iuditium intellectus ęque menſurantur ab obiecto exiſtente, vel non exiſtente, & menſuratio illa nõ eſt

actio

actio aliqua, nec apparet eſſe aliqui d rei. Sed difficultates hæ, conuenientius examinabũ tur, dum de quolibet fundamento relatiuorum ſermo fuerit peculiariter inſtitutus.

De Relatiuis primi Generis, & eorum fundamento.

ARiſt. 5. Meth. tex. 20. tria poſuit fundamenta relationum. Primum, quantitatem, ſeu vnitatem, & numerum. Secundum, actionem, & paſsionem. Et denique Tertiũ, rationem menſuræ & menſurabilis. Circa primum fundamentum Notandum eſt, nomine quantitatis intelligi in præſenti, quantitatem non ſolum molis, ſed etiam perfectionis, & conſequenter vnitatem ſumi, non pro vnitate quantitatiua, ſed pro quacumq; vnitate, vel conuenientia fundamentali duarum rerum, nomine vero numeri, pluralitas aut diuerſitas, etiam ſecundum hãc communem rationem intelligitur. Hinc ad hoc primũ fundamentum relationum pertinẽt relationes, æqualitatis, inæqualitatis, ſimilitudinis, diſsimilitudinis, idẽtitatis, diuerſitatis, proportionis, exceſſus & his ſimilia. Clarius, relationes identitatis in ſubſtantijs, quæ in vnitate eſſentiæ, eiuſq; perfectione eſſentiali fundantur: relationes ſimilitudinis, quæ in eadem fundantur latitudine intenſionis in qualitate: relationes etiam ęqualitatis quę fundantur in eodem numero partium, ſeu in eadem extenſione quantitatiua. Hæc in vnitate. In numero vero relationes diuerſitatis naturæ in ſubſtantijs, diſsimilitudinis in qualitatibus, & in quantitatibus inæqualitatis.

Notandum eſt ſecundo, Ariſtot. ſemper loqui de his relatiuis in plurali, quia proprijſsime loquendo, ambæ relationes oppoſitæ huius generis requirunt in fundamento aliquam vnitatem, aut diuerſitatem plurium, quatenus mutuę relationes ſunt, vnde, ſi de ſingulis relationibus loquamur, vnaquęq; requirit ſuum fundamentum, non quod ſimpliciter ſit numerus, ſed quod cum alio componat numerum, vel habeat vnitatem: quod pro ſolutione argumenti ſupe-

rius propoſiti.

Notandum eſt tertio. Relationem vnitatis, quæ eſt inter extrema eiuſdem ſpeciei, cuiuſcumq; naturæ ea ſint, dici poſſe identitatis, quatenus eſt inter extrema vnius naturæ, & æqualitatis quatenus eſt inter extrema æqualia in perfectione eſſentiali, aut ſpecifica; ac deniq; ſimilitudinis, quatenus eſt inter extrema (hoc ipſo quod ſunt eiuſdem naturæ & perfectionis) etiam ſimilia: quod proportionaliter de relationibus diuerſitatis, diſsimilitudinis, & inæqualitatis inter extrema naturæ diuerſæ dici poteſt. Dices, Ariſtotelem dixiſſe, vnitatem in ſubſtantia facere idem, in quantitate æquale, & in qualitate ſimile. Reſpondetur, omnino Metaphiſice loquendo, verum eſſe quod diximus: etenim identitas in natura etiam reperiri poteſt in quouis genere entium, quia in illis etiam eſt vnitas ſpecifica ſicut in ſubſtantijs: vſus tamen obtinuit, vt hæc diuerſa nomina identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis, ſubſtantiæ, qualitati, & quantitati, iuxta Ariſtotelis dictum applicētur, fortaſſe claritatis gratia, & quia ratio naturæ, & entitatis peculiarius conuenit ſubſtantiæ (accidentia enim ſolum ſunt entis entia) & ideo identitas, aut diuerſitas in natura, peculiariter ſubſtantiæ tribuuntur.

Sed obijcies ſecundo. Stat duas albedines eiuſdem eſſe, naturæ & ſpeciei, & tamen vnam in graduum intenſione aliam excedere, & ſimiliter duo corpora quanta eiuſdem eſſe naturæ & ſpeciei, & eorum vnum alteri eſſe inæquale in partium extenſione, ergo relatio identitatis in illis non eſt relatio ſimilitudinis, aut æqualitatis, ſi quidem in natura ſpecifica idem ſunt, diuerſa vero in ęqualitate, aut ſimilitudine. Reſpondetur, potius argumentum fauere nobis, etenim ſi præter ſimilitudinem, aut diſsimilitudinem gradualem, æqualitatem, aut inæqualitatem partium eiuſdem rationis extenſiuam, neceſſario diſtinguenda eſt identitas in natura ſpecifica, conſtituenda etiam neceſſario erit relatio identitatis, inter duas quantitates, aut qualitates, in quantum eiuſdem naturæ ſpecificæ ſunt, per quam quaſi aſſimilentur duabus ſubſtantijs, inter quas etiam relatio identitatis intercedit, quæ identitatis relatio, in qualitatibus V.g. diſtincta ſit a relatione ſimilitudinis, quæ peculiariter illis ſecundum intenſionē gradualem conuenit; cum in hac

duæ

duæ qualitates diſsimiles eſſe queant, eædem autem, aut ſimiles in natura ſpecifica. Diſtinguenda igitur eſt in quantitatibus & qualitatibus duplex vnitas, aut diuerſitas, alia gradualis, alia vero entitatiua: hæc poſterior abſtrahendo a graduum intenſione, aut maiori partium eiuſdem rationis extenſione, ſolum reſpicit Metaphiſicam, & eſſentialem rationem, in cuius vnitate, aut conuenientia fundatur relatio identitatis entitatiuæ & eſſentialis: in diuerſitate vero ſic eſſentiali & Metaphiſica, relatio diuerſitatis: illa vero prior, ſcilicet gradualis, aut extenſionis partium, non ſolum poſtulat ad rationem vnitatis identitatem eſſentialem, ſed inſuper vnitatem gradualem, ſeu tot eſſe gradus intenſionis in vno extremo quam in alio, & ſimiliter in quantitate tot eſſe partes & æqualem extenſionem in vtroq; extremo, & de his relationibus in gradibus, aut extenſione partium eiuſdem rationis fundatis, intelligendus eſt Ariſtoteles cũ dixit, vnitatem in qualitate facere ſimilem, & in quantitate æqualem. Præter has autem relationes (vt ſic dicam graduales) aliæ ſunt relationes etiam in quantitatibus, & qualitatibus, in vnitate, aut diuerſitate eſſentiali Metaphiſica & entitatiua fundatæ, vt viſſum eſt.

Sed iam hic vrget obiectio initio quæſtionis adducta, quia hæc vnitas cum debeat eſſe vnitas plurium, & communis vtrique extremo, non datur a parte rei, cum a parte rei non ſit alia vnitas quam numerica, hoc ergo fundamentum relatiuorum primi generis, non eſt reale, ſed rationis. Sed Reſpondetur, quod ſi loquamur de ſingulis relationibus, ſicut in vnoquoque extremorum eſt ſua relatio, ita etiam eſt ſua vnitas, quia vero quælibet vnitas eſt eiuſdem rationis in vtroque, etiam quælibet relatio eſt eiuſdem rationis, quia quælibet relatio eſt ſimilitudinis, aut identitatis cum alio. Præter hanc autem vnitatem, quæ in quolibet formaliter reperitur, eſt quædam vnitas ſpecifica fundamentalis, quatenus duæ V. g. albedines, aut duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſunt fundamentum vnitatis, & conuenientiæ ſpecificæ, & incapaces maioris diuerſitatis quã numericæ, & hæc fundamentalis vnitas eſt fundamentum relatiuorum primi generis, quod in omni opinione aſſerendum eſt, quamtuuis enim ad-

admittamus vnitatem formalem a parte rei a numerica diſtinctam, quam Scoti ſectatores admittunt, cum hęc adhuc per ipſos in carentia, aut negatione conſiſtat, non poteſt vlla ratione relationem fundare, quia fundamentum relationis debet eſſe quid reale, & poſitiuum.

Sed dubitabis: cum hæc vnitas adhuc fundamentalis poſſit eſſe & ſpecifica, & generica, an ſicut vnitas ſpecifica fundat relationem realem, ſic poſſit & vnitas generica illã fundare. Reſpondetur, vtramque hanc vnitatem poſſe fundare relationem huius primi generis. Probatur primo, quia eſt expręſſa ſententia S. Tho. 1. p. q. 28. ar. 1. ad ſecũdum: vbi ait, relatio, quæ importatur per hoc nomen *idem*, eſt relatio rationis tãtum, ſi accipiatur ſimpliciter idem, ſecus autem eſt cum dicuntur aliqua eadem eſſe, non in numero ſed in natura generis aut ſpeciei, & ratione patet; quia natura generica etiam dicitur natura, ergo ſimilitudo in genere eſt ſimilitudo in natura, vnitas enim qua homo, & equus ſunt idem in animali, vnitas eſt in natura animalis. Fateor, quod licet res differentes ſpecie, & conuenientes genere, potius dicantur ſimpliciter diſsimiles quam ſimiles, hinc ſolum ſequitur relationem ſimilitudinis genericæ, præciſſè non tribuere denominationem ſimilitudinis ſimpliciter, non vero non tribuere denominationẽ talis ſimilitudinis, nempe genericæ, quę vera ſimilitudo eſt. Tandem quæres. Vtrum relatio identitatis, quæ eſt inter ſubſtantias, differat ſpecie a relatione identitatis, quæ eſt inter duas quãtitates, quatenus ſunt extrema eiuſdem naturę. Reſpondeo: probabilius exiſtimare, non diſtingui, ratio poteſt eſſe: quia relatio hæc identitatis fundatur in extremis, quatenus ſunt fundamentum vnitatis ſpecificæ, vt nuper dixi, ſed vnitas ſpecifica fundata in ſubſtantijs, quantitatibus, aut qualitatibus eiuſdem rationis eſt, ergo & relatio.

†

De

De Relatiuis ſecundi generis eorumque fundamento.

IN Secundo genere ponit Ariſt. ea relatiua quæ fundantur in actione & paſsione, ſeu vt communiter omnes volunt, in potentia agendi & patiēdi, quod genus diſtinguit in varias ſpecies, quas partim ſumit, vel ex eo, quod relationes fundantur in ſola potentia, abſtrahendo ab actione, vel vt ſubeſt actioni, exemplicatq; in potentia, vt ſubeſt actioni præſenti, præteritæ, & futuræ, vt calefactiuum, & calefactibile, calefaciens, & calefactum, Pater & filius. Ad hoc ergo fundamentū pertinent omnes relationes cauſæ & effectus, & agentis ad paſſum, & vt Ariſt. inquit vno nomine, actiuum, & paſsiuum. Vbi notandum eſt alium eſſe terminum realem relationis potentiæ actiuæ, vt ſic abſtrahendo ab actione, a termino potentiæ actiuæ, vt actioni ſubeſt, nam prior terminus eſt potentia paſsiua alterius extremi exiſtentis, poſterior vero eſt ipſe effectus, vt a potentia actiua fluit.

Sed vt melius explicentur: quæ ad hoc ſecundum fundamentum expectant. Obijcio ſecundo, id quod ſecundo loco initio quæſtionis adductū eſt, nempe actionem futuram, aut præteritam, vt pote quæ entia realia non ſunt, non poſſe fundare realem relationem. Secūdo, quia ſi relatio Paternitatis fundatur in actione, ſequitur Paternitatem non eſſe in Patre, ſed in filio, quia fundamentum per te erat actio productiua filij, ſed actio illa cum ſit tranſiens non eſt in agēte, ſed in paſſo, ergo fundamentum Paternitatis non eſt in Patre ſed in filio, & conſequenter in illo erit relatio. Tertio. Neque potentia actiua poteſt eſſe fundamentum relationum ſecundi generis. Probatur, quia producto calore ab igne in ligno, Deus poteſt auferre ab igne potentiam actiuam, qua mediante produxit calorem, vel ignem, ſed adhuc ablata illa potentia, ignis vere eſt cauſa talis effectus, & manet cum relatione cauſæ ad illum, potentia ergo actiua non poteſt eſſe fundamentum harum relationum.

Pro

Pro ſolutione Notandũ eſt primo, aliud eſſe ſubiectum relationis, aliud fundamentũ illius, aliud vero conditionem fundandi, ſubiectum eſt illud cui relatio inhæret propriè & vere tãquã in ſubiecto, *quod*, & hoc ſemper eſt ſubſtantia, reliqua enim accidentia, vel rationem ſubiecti habere nõ poſſunt, vel ſi aliquam habẽt, ſolum eſt ratio ſubiecti *quo*. Fundamentum relationis eſt ratio quædam realis in ſubiecto, ratione cuius ſubiectum alias indifferens determinatur, vt illi talis relatio inhæreat, veluti ſubiectum, *quo*, quatenus relatio media illa ratione fundandi inhæret ſubſtantiæ, vt albedo eſt fundamentum quare duo ſubiecta alba, vt ſimilia referantur, quia ſubſtantia ex ſe indifferens, nec determinata ad hãc relationem ſimilitudinis, media albedine determinatur, vt relatione ſimilitudinis ad aliud album ſimile referatur. Albedo ergo ipſa intelligitur quaſi ſubiectum immediatũ, & *quo*, quatenus media albedine, ſubſtantiæ illi inhæret relatio ſimilitudinis. Sed qua ratione fundamenta hanc habeant rationẽ quaſi ſubiecti, *quo*, & determinantis ſubiectum, *quod*, in vno quoq; genere horum relatiuorum (eſt enim in hoc latitudo) late ſtatim explicandum eſt.

Ex quo ſequitur ſolutio illius dubij. An ſcilicet fundamentum relationis, & ſubiectum ſint idem, quando enim fundamentum eſt ſubſtantia, idem erit fundamentum, & ſubiectum, licet formaliter diſtinguantur vt ſequenti notabili dicemus. Cum autem fundamentum eſt accidens, illud erit ſubiectum ſaltim *quo*, quatenus mediante illo accidenti, quod eſt fundamentum, relatio inhæret ſubſtantiæ. Ratio autem ſeu conditio fundãdi eſt illud, quod licet non ſubiectet immediate relationẽ, nec ſit ratio inherens ſubiecto per quam determinetur, vt relatio illi inhæreat, eſt tamen cauſa, aut requiſitum quare in fundamento oriatur relatio, vt productio albedinis, altera præexiſtente, dicitur ratio ſeu conditio fundandi relationẽ ſimilitudinis, quia licet productio illa non habeat prædictas fundamenti conditiones, mediante tamen tali productione conſurgit inter duo alba ſimilitudo, & relatio, generatio ſimiliter eſt ratio fundãdi relationẽ Paternitatis, quia media generatione conſurgit Patris ad filium relatio.

Notandum eſt Secundo, potentiam duobus modis accipi poſſe

poſſe. Primo, pro formali aptitudine ac virtute agendi, quæ accidẽs quoddã eſt ſuperadditum ſubſtantiæ corporeæ ad operandum, quia ſubſtantia non eſt immediatum principium operationum. Secundo, ſumitur pro potentia radicali, quæ eſt ipſamet ſubſtantia, ex qua tanquam ex radice, formalis potentia ſeu qualitas illa & virtus agendi procedit, vt potentia formalis intelligendi, eſt intellectus, radicalis autẽ, anima aut natura rationalis. Vbi aduerte, quod licet identice ſubiectum *quod*, & fundamentum aliquando idem ſint, formaliter tamen ſemper diſtinguuntur, quia ſubſtantia rationem ſubiecti habet, ſecundum rationem communem entis per ſe, cui vt ſic ens in alio inhæret, reſpicitque ſecundum rationem ſubiecti relationem vt dicit *in*, ſeu ſecundum rationem accidentis in communi, quæ vt ſic etiam in relatione reperitur, eadem vero entitas ſubſtantiæ, vt eſt fundamentũ, ſumitur ſecundum aliam propriam, & peculiarem rationẽ, dicentẽ ordinẽ ad rationẽ fundandi, reſpicientemq; relationem formaliter ut dicit *ad*. V. g. ſubſtantia Patris eſt ſubiectum relationis Paternitatis, & etiam fundamentum, in quantum eſt potẽtia generatiua radicalis, a qua procedit potẽtia generatiua formalis, & ab illa media generatione filius. Rationẽ ſubiecti relationis habet ſecũdũ rationẽ formalẽ eſſendi per ſe, aut ſubſtandi, quæ ratio magis eſt ratio paſsiua quã actiua. Rationẽ autẽ fundamẽti, quatenus eſt potẽtia radicaliter actiua, & media potẽtia formali, & actione tãdem, filium, qui relationis terminus eſt, reſpicit.

Dubium ergo eſt, an fundamẽtũ harũ relationũ ſit actio, an potẽtia proxima, & formalis, an vero potentia radicalis. Sunt enim qui aſſerãt relationes huius generis nõ fundari in potẽtia, ſed in actione, & paſſione, ita Sotus 5. Phiſ. q. 2. ar. 2 cõc. 1. Probatur ex Ariſt. 5. Meth. tex. 20. aſſerẽtẽ, relationes huius ſecũdi generis fũdari in actione & paſsione, & c. 15. inquit. *Sic enim Pater quoq; filij, Pater dicitur, hoc enim fecit, at illud paſſũ quid eſt.* Ratione ꝓbatur primo, fundamẽtũ relationis eſt, quo poſito etiã ſi cætera non ponantur relatio ponitur, & quo ſublato cætera ſi permaneant non conſurgit, ſed talis eſt in relatione Paternitatis actio adhuc præterita, quia eo ipſo quod verum eſt, hominem genuiſſe, verum eſt habere relationem Patris, & niſi ponatur generatio,

etiam

etiam ſi ſit potentia, non conſurgit talis relatio. Secundo, relatio agentis in actu, ad paſſum in actu, non fundatur in potentia, ſed in actione præſenti, ergo eodem modo cæteræ relationes huius generis: quia & ratio videtur eadem, & eodem modo de omnibus loquitur Ariſt. Antecedens autem conſtat, quia agens, non vocatur agens actu, niſi ab actione.

Alij vero in potentia formali, non in actione, aſſerũt huius ſecundi generis relationes fundari, ita Scotus 5. Meth. cap. 15. & in 4. diſt. 6. q. 10. & diſt. 13. q. 1. Probari poteſt ex Ariſtotele loco citato, vbi poſtquam dixerat vno nomine, ſcilicet, actiui ad paſsiuum, declarari rationẽ relatiuorũ huius ſecundi generis, ſubdit: actiua autem & paſsiua, ex potentia actiua & paſsiua, potentiarumq; actionibus dicuntur: vbi & fundamentum, & conditionẽ fundãdi expreſsit, nomine potentiæ, fundamentum, nomine vero actionis, cõditionem fundandi: quod autem actio non poſsit eſſe fundamentum, ſatis oſtenſum eſt argumentis adductis, non enim actio præterita aut futura, eſt aliquid reale, & adhuc actio quando eſt tranſiens non eſt in agente, in quo tamen eſt relatio cauſæ, fundamentum autem in eo debet eſſe in quo eſt relatio. Quod autem fundamentum ſit potentia formalis, probatur. Relationes huius ſecundi generis ſunt eorum, quæ procedunt ab alio tanquam a principio efficienti, ſed potẽtia proprie efficiẽs, non eſt potentia radicalis, ſed formalis, ergo fundamentum harum relationum potentia formalis erit. Minor autẽ probatur primo, quia etiam ſi ſit potentia radicalis in ſubiecto, dummodo non ſit potẽtia formalis, non dicitur potens, ſed potius impotens, vt conſtat in cæco, & in impotente ad generationem, in quibus quidem potentia radicalis eſt, nempe ſubſtantia, non vero formalis. Secundo probatur eadem minor, quia in eodem ſubiecto poſſunt eſſe diuerſa principia efficiendi, & actiones diuerſæ rationis ab illis procedere, ſed potentia radicalis ſemper eſt vna, nec iſtam habet diuerſitatem, ergo relationes, quæ in principijs efficiendi fundantur, non fundãtur in potentia radicali.

Secundo principaliter argumentor: quia fundamẽtum eſt, cui veluti immediate inhæret ipſa relatio, & quod per illam quaſi immediate refertur, ſed relatio actiui & paſsiui immediate inhæret potentiæ formali,

mali, quatenus illa media inhæret ſubſtantiæ, & hæc potentia formalis veluti immediatum actiuum ad paſsiuum refertur, hæc ergo habet ratioñe fundamenti, non vero potentia radicalis.

Alij diſtinguũt fundamentum proximum & remotum, dicuntque, fundamentũ, vt ſic abſtrahens a proximo & remoto, eſſe potentiam actiuam (in hac enim exẽplificemus) quia tamen hæc potentia actiua, & poteſt eſſe proxima & remota, ideo etiam fundamentum, poterit eſſe remotum, & proximum, ita vt potentia remota ſeu radicalis ſit fundamentum remotum, potentia vero proxima & formalis proximũ etiam fundamentum ſit, diſtinguũtq; (iuxta dicta notabili ſecundo) ſubiectum, & fundamẽtum formaliter, ita vt ſubſtantia vt ſubſtat, ſit ſubiectum, illa vero vt radicaliter actiua ſit fundamentum. Quæ ſententia præterquam quod ipſamet ſui explicatione probatur, etiam ſit ſatis probabilis, quia videtur includere quicquid veritatis continent aliæ, & inconuenientia quæ in alijs reperiri poſſunt, ceſſant in illa: etenim in hac recte ſaluatur, quomodo actione præterita maneat relatio; quia actio ſolum eſt conditio fundandi, quæ proinde ſolum requiritur ad primũ eſſe, & fieri relationis Recte etiam diſtinguitur potentia formalis a conditione fundandi, diſtinctioq; inter ſubſtantiam vt ſubiectum, & inter ſubſtantiam vt peculiariter veluti actiue ad has relationes concurrit ſaluatur: & quod in alijs opinionibus ſatis eſt difficile, nẽ quod ablata potentia proxima manet relatio, quæ proinde ſine fundamento maneret, ſi potentia proxima fundamẽtum eſſet, in hac ſententia facilem habet ſolutionem, dicendo, poſſe manere relationem ſine fundamento proximo, nõ vero ſine fundamento remoto. Qui vero potentię radicali nullam tribuunt rationem fundamenti, neceſſario debent concedere, relationem omnino ſine vllo fundamento poſſe manere, quia tota fundamenti ratio, in potentia tantum formali conſiſtit per illos, qua tamẽ omnino ablata, relatio manere poteſt, vt patet in Patre, qui ſuperſtite aut durante filio, relationem habet Patris, quantumuis generatiuam potentiam amittat.

Tandem alij, inter quos eſt Pater Suarez diſp. 47. ſuæ Metaph. ſect. 12. n. 5. exiſtimãt, fundamentum adhuc proximum eſſe ipſummet ſubſtãtiale principium. Probat, quia in filio, relatio-

tio filiationis afficit immediate ipſam ſubſtantiam, ſeu ſuppoſitum, vt latius in materia de Incarnatione tractatur, ergo cum hæ relationes ſibi proportionate reſpondeāt, etiam relatio Paternitatis proxime afficiet ſubſtantiale principiū. Secundo, quia relatio & fundamentum ſunt idem realiter (vt ipſe opinatur) & late probat eadem diſp. ſect. 2. ergo illud eſt fundamentum, quod ſemper manet cum relatione ſibi identificata, hoc autem ſolum eſt potentia radicalis, ergo. Tertio, quia hoc eſt maxime conſentaneum modo denominandi huius relationis, nam ſolum denominat ipſum ſuppoſitum principaliter operās, &(vt ſic dicam) operatum etiā aut genitum.

Nec deſunt alij, qui aſſerāt, ad vnumquodq; principium & potentiam ſequi diuerſam relationem illi accomodatā: fundamentum eſt, quia eſt par ratio de vtroque, nam relatio potentiæ abſolutè ſumptæ indifferens eſt ad rationem potentiæ formalis, aut radicalis, ergo determinata per radicalem fundabit quandam relationem, per formalem vero, aliam.

Sed vt explicem quid ſentiam, Notandum eſt, dependētiam relationis a fundamento non eſſe eandem in omnibus relationibus, ſed maiorem vel minorem ſecundum naturam cuiuslibet relationis: eſt autē maxima differentia inter Relationes huius ſecundi generis ex vna parte, & alias omnes ex altera, quod in relationibus primi & tertij generis, fundamentum habet modum formę per quam conſtituuntur extrema in ratione extremorum, vt albedo quæ eſt fundamentum ſimilitudinis, extremorum forma eſt, qua media relatio inhæret illis, vnde ſi ab eis tolleretur, non haberent capacitatem recipiendi relationem. Ex quo ſequitur primo. Relationes has non ſolum *in eſſe*, & *fieri*, ſed etiam in conſeruari, dependere a fundamētis, ſemper enim debet eſſe albedo in albis ſimilibus, & quauis ratione illa ablata, perit relatio. Sequitur ſecundo, conditionem fundandi non æque eſſe neceſſariam, nec ſic formaliter requiſitam in alijs relatiuis, ac eſt in relatiuis ſecūdi generis: licet enim ratio fundandi ſimilitudinem, ſit productio vnius albi præexiſtente altero, ſi tamen ſine tali productione quouis alio modo, ſaltim per impoſſibile intellecto, ponerentur duo alba, inter illa vera eſſet ſimilitudo & relatio, non ſic autem in relatiuis ſecundi gene-

generis, quoniam licet hic ponerentur Petrus & Paulus per creationem, qui tamen modo ſunt Pater & filius, illi quidem nō eſsēt formaliter relati, quia ad hanc relationem non ſolū requiritur ſubſtantia Petri aut Pauli vtcumque, ſed quod ſubſtanria Petri V. g. ad eſſe Patris determinetur per productionem filij ab illo, quæ taliter eſt ratio fundandi, vt ſine illa implicet eſſe talem relationē, quia ſine illa filius non communicabit naturam Patris. Diuerſo ergo modo conditio fundandi ſe habet in relatiuis huius ſecundi generis, & in alijs. Diuerſo etiam modo ſe habēt fundamenta, quia in his, non ſunt veluti formæ extremorū, actio enim, aut potentia productiua tantum ſunt virtutes, aut media a quibus quaſi in genere cauſæ efficientis procedit relatio, agens enim producit effectiue ſubſtantiam, & ab agente vt ſic non poteſt relatio procedere, niſi quatenus effectiue producit ſubſtantiā, a qua quaſi a formali & intrinſeco cui inhæret ſubiecto, eſſe habet relatio Itaque forma extremorum relatorum, quaſi intrinſeca, quæ requiritur ad fundandam ſeu recipiendam relationem. V. g. Patris & filij, ſolum eſt entitas illa ſubſtautiæ vtriuſque. Quicquid enim præter hanc requiritur, V. g. potentia & actio, pertinent ad rationem efficiendi, quæ licet ſit omnino neceſſaria ad relationem, eſt quaſi extrinſeca illi, nec intrinſice conſtituens extrema relationis, ſicut albedo, hæc enim eſt forma extremorum relatorum, quatenus eſt intrinſice requiſita in illis vt referantur.

Hinc fit (quod maxime notandum eſt). Has Relationes ſecundi generis dependere maxime in fieri a potentia productiua formali, & a conditione fundandi, quæ eſt actio. Ratio eſt ſuperius adducta, quia hæc relatio non conſurgit ex ſubſtantijs vtcumque, ſed ex ſubſtantijs quarum vna producatur ab alia, & in hac neceſsitate actionis excedere omnia alia genera relatiuorum, vt explicatum eſt. Quoad conſeruari vero non dependere a fundamento, quod eſt potentia proxima: neque a conditione fundandi. Ratio eſt, quia ſemel producta relatione, ſolum dependet ab intrinſeca conſtitutione extremorum, & ab his quæ ad hanc intrinſecam conſtitutionem requiruntur, ſed potentia productiua & actio non concurrunt ad intrinſecam conſtitu-

tionem extremorum, ſubſtantiæ ſcilicet Patris & filij, ergo etiam ſi potentia generatiua & actio tranſeant, manet relatio. Dices. Hæc intrinſeca conſtitutio extremorum ad conſeruari relationis, non debet eſſe ſolum entitatiua, quia hæc tantum eſſet conſtitutio abſoluta, ſed relatiua: non enim loquimur de extremis vt cumque, ſed vt ad relationem requiſita, ergo præter ſubſtantiam ipſam, oportet intelligi in extremo relatiuo aliquid quaſi pertinens ad rationem agendi, vt ſic relatio huius ſecundi generis non pereat, at ſine actione, aut potentia productiua agendi, nihil manet ad hoc ſecundum genus actiuorum, & paſsiuorum pertinens, ergo. Reſpondetur primo, manere rationem principij radicalis, qui ſecundum hanc formalitatem ad ordinem actiuorum, & paſsiuorum expectat. Deinde ſecundo Reſpondetur, quod licet potentia productiua formalis & actio tranſierint, ordo tamen quidam tranſcendentalis ad actionem, & potentiam tranſactam, cum noua denominatione in ſubſtantia manet, a qua Pater dicitur generaſſe, filius autem genitus eſſe, & hoc ſufficit.

Hoc ergo ſuppoſito, facilis eſt deciſsio quæſtionis. Aſſero enim actionem non eſſe fundamentum, ſed ſolum conditionem fundandi, fundamentum autem eſſe potẽtiam proximam & formalem: Vtrumque hoc, in ſecundo dicendi modo, ſatis probatum eſt, & conſtabit magis ex ſolutione argumentorum. Addo tamen, tertium dicendi modum eſſe verum, poſſeque optime dici; potentiam radicalem eſſe fundamentum remotum relationum huius ſecundi generis; conſtat enim in illa entitate potentiæ radicalis, diuerſam eſſe formalitatem ſubiecti, quæ vt dicebam, paſsiua eſt, ſolumque reſpicit relationem vt *in*, a formalitate potentiæ radicalis, quæ & actiua eſt, & tandem videtur pertinere ad relationem, vt *ad*, hæc autem formalitas potentiæ radicalis in ordine ad relationem, cum non habeat denominationem ſubiecti, neque fundamenti proximi, aut conditionis fundandi, nullam aliam videtur poſſe ſortiri, quam denominationem fundamenti remoti.

Dico ſecundo, fundamentum proximum, & fundandi conditio, in his relatiuis ſolum requiruntur ad eſſe relationis

tionis in fieri, non tamen in conſeruari. Hæc concluſio probata eſt notabili adducto, poſt quam authorum opiniones, & placita recenſuimus, vnde ſecundum illam fatendum eſt, relationem aliquam poſſe reperiri ſeu conſeruari ſine ſuo fundamento, quod nullum eſt inconueniens, quia Relatio & fundamentum diſtinguuntur realiter, vt ſtatim dicam, & fundamentum in his relatiuis non eſt aliqua forma, intrinſice conſtituens extrema relationis, ſicut in alijs generibus relatiuorum, & quia etiam corrupto fundamento proximo, manet entitas ſubiecti, & formalitas fundamenti remoti, cum ordine quodam ad fundamentum proximum, & actionem tranſactam, quod docuit optime Scotus in quarto, diſtinctione ſexta, quæſtio. decima, & alij ex recentioribus.

Ad argumenta in oppoſitum Reſpondetur. Ad duo priora, actionem non eſſe fundamentum, ſed ſolum conditionem fundandi, & ſolum requiri ad fieri relationis, ideoque non oportere, quod aut actio illa maneat, aut in eodem ſubiecto, in quo reſultat relatio, recipiatur: conditio enim fundandi nec requirit ſemper manere, nec in vtroque relatiuo exiſtere, immo hoc eſt impoſsibile, cum vnica actio tantum in duplici ſubiecto eſſe nequeat.

Ad tertium Reſpondetur, concedendo, manente relatione, poſſe corrumpi fundamentum proximum, & potentiam actiuam formalem, non enim dependet relatio huius generis a fundamento proximo in conſeruari, ſed tantum in fieri, vt ſatis tota hac dubitatione dictum eſt.

Ad fundamenta prioris modi dicendi Reſpondetur, Ariſtotelem nomine actionis & paſsionis, potentiam actiuam, & paſsiuam intellexiſſe, vt ex verbis eiuſdem, & ex communi interpretum explicatione conſtat. Ad primam rationem Reſpondetur, actionem præteritam ſolum concurriſſe, quando præſens fuit, vt conditio fundandi, non vt fundamentum, conditio autem etiam requiritur vt res ponatur, tranſacta vero actio non concurrit intrinſice ad eſſe rei, ſed ſolum quatenus manet in ſubiecto & fundamento remoto ordo aliquis ad illam, manetq; in Patre denominatio explicata hoc verbo *generaſſe*, & in filio *genitum eſſe*. Ad ſecūdam Reſpondetur, ad relationem agentis in actu, ſi loquamur omnino formaliter de agente

Digitized by Google

actualiter, ſeu dum durat actio, actionem eſſe conditionem fundandi ad fieri, & ad conſeruari relationis, non vero eſſe fundamentum, neque enim poteſt eſſe in vtroque extremo, in quo conſurgit relatio: in vtroque autem debet poni fundamentum ſuæ relationis. Si vero loquamur de agente non ſecundum hanc omnino formalitatem præſentialitatis, ſed abſolute: hæc denominatio cum ſit extrinſeca prouenire poteſt, vel ab actione præterita, vel ab effectu extrinſeco producto, vel ſi de aliqua denominatione agentis intrinſeca loquamur, hæc eſt reſpectiua, prouenireque poteſt a relatione reali exiſtente in ipſo agente, ex hoc quod per ſuam entitatem produxit realiter effectum realem, vnde cum talis entitas agentis, & talis relatio maneat actione tranſacta, manet etiam hæc agentis intrinſeca denominatio relatiua.

Secundus & tertius modus dicendi explicant noſtram ſententiam. In quarto, ad argumẽta Patris Suarez Reſpondetur. Ad primũ, relationem immediate afficere ſubſtantiam filij propter duo. Primo, quia in illa ſubiectatur. Secundo, quia non eſt in filio potentia paſsiua accidentalis reſpondens potentiæ generatiuæ: ad rationem enim producti, quod eſt in filio quaſi paſsiuum, non requiritur accidens ſuperadditum ſubſtantiæ, quia ſubſtantia immediate poteſt produci, non vero immediate poteſt agere, & ideo etiam ſi in Patre cõſtituamus pro fundamento potentiam aliquam a ſubſtantia diſtinctam, non debet potentia alia accidentalis conſtitui in filio.

Ad ſecundum, negamus relationem & fundamentum idẽtificari realiter, de quo peculiari quæſtione tractandum eſt.

Ad tertium Reſpondetur, ex hoc quod denominatio producentis & producti feratur in ſuppoſita, ſolum probare actiones eſſe ſuppoſitorum, non tamen relationes omnes quæ in actione fundantur, habere pro fundamento proximo ſuppoſitalitatem. Immo ratio ſubiecti inhæſionis, ſeu in quo ſubiectatur actio, ſæpe non eſt ratio ſuppoſiti, plures enim actiones ſubiectantur in potentijs, aut in natura, ſolum ergo probat ſuppoſita eſſe ſubiecta denominationis, non vero inhæſionis, neque debere eſſe proprie fundamẽta. Solum reſtat ſoluendum illud quod ex Ariſtot. initio huius quæſtionis addu-

Digitized by Google

adduximus, videlicet relationes aliquas poſſe fundari in actione futura, vt quod facturum eſt, ad id quod faciendum. Reſpondetur ergo, per hoc ſolum voluiſſe Ariſtotelem, poſſe eſſe relationem agentis in potentia ad paſsiuum, hæc autẽ non ſumitur in ordine ad ſolum effectum poſsibilem, vt ſic, ſed in ordine ad aliquam potentiam realem paſsiuam & actu exiſtentem in alio extremo, vt calefactiui ad calefactibile, ſectiui ad ſecabile, quæ ſunt exempla Ariſtotelis. Dicitur autem pertinere ad hoc genus relationis, quia fundatur in virtute agendi, quæ cum actionem futuram, ſeu poſsibilem reſpiciat, ideo ad hanc relationem explicandam, vtuntur authores cum Ariſtotele nomine actionis futuræ.

De tertio genere Relatiuorum, eorumque fundamento.

TErtium Relatiuorum genus eſt eorũ quæ dicuntur ad aliquid, ſicut menſura, & menſurabile, vt ſcibile ad ſcientiam, ſenſibile ad ſenſum, quæ relatiua (inquit Ariſt.) ex parte alterius extremi, dicuntur ad aliquid, quia alia dicũtur ad ipſa, ideſt ſunt relatiua non mutua, quia tantum eſt relatio ex parte vnius extremi, vt ſcibile refertur ad ſcientiam, quia ſciẽtia refertur ad ipſum, ratio autẽ quare ex parte ſcientiæ ad ſcibile ſit relatio realis, non vero ex parte ſcibilis ad ſcientiam, eſt, quia commenſuratio & adæquatio ſcientiæ ad ſcibile eſt commenſuratio rei menſuratæ, & hæc aliquid reale ponit in illa, in menſura vero, non niſi extrinſecam tantum denominationẽ, ſi enim commenſuratio iſta ſit habitualis, qua ratione potentia aut ſciẽtia ipſa dependet habitualiter ab obiecto, eſt vera & realis depẽdẽtia ſcientiæ ab illo: vnde habitus (ſcientia autẽ habitus eſt) per obiecta diſtinguuntur, & ab illis ſpecificantur, in obiecto autẽ, per hoc quod poteſtiæ

aut habitus ab illo depēdeāt, tantum ponitur extrinſeca denominatio: ſi vero loquamur de commenſuratione quaſi actuali, etiam eſt extrinſeca denominatio in obiecto, quia actu ſciri, aut ſentiri, nihil reale eſt in obiecto ſenſibili aut ſcibili; licet intelligere, & ſentire aliquid reale ſit in ſenſu & in intellectu. Quia ergo in obiecto ad fundandam hanc relationem menſuræ, ſolum intelligitur denominatio extrinſeca, quæ cum non ſit aliquid reale non poteſt eſſe fundamentum realis relationis, non poteſt in illo, realis relatio menſuræ ad ſcientiam intelligi. Ad hoc relatiuorum genus exiſtimant aliqui pertinere relatio creaturæ ad Creatorem, quia Deus habet ſe quoddammodo vt omnium menſura, eſtque relatio hæc non mutua, realis ſcilicet, ex parte creaturæ ad Deum, ex parte vero Dei ad creaturas nullo modo: quia hæc relatio ex tempore aduenit, Deo autem nihil reale ex tempore aduenire poteſt, & in illo nihil poteſt eſſe reale, quod non ſit Deus. Dicitur autem realiter Dominus & Creator, tum per potentiam ad creandum, actione tranſeunte creationis, veluti ad actum reducta, tum etiam quia terminat relationem realem creaturarum ſeruitutis, & creationis ad ipſum, non vero per relationem realem, quam ex tempore ad creaturas habet; ſicut Chriſtus Dominus realiter eſt filius Beatiſsimæ Virginis, non relatione reali quæ ſit in ipſa perſona verbi, ſed quia vere genitus eſt, & quia terminat relationem realem matris ad ipſum. Vtrumque hoc brebiter & diſerte explicuit S. Tho. 3. p. q. 35. art. 5. in fine corporis dicens, quod quamuis relatio Dominij non ſit realis in Deo, dicitur tamen realiter Dominus, ex reali ſubiectione creaturarum ad ipſum; & ſimiliter Chriſtus Dominus dicitur realiter filius Virginis, ex relatione reali maternitatis ad ipſū. De quo late in Theologia diſſerendum eſt.

Conſtat ergo ex dictis, tria tantum eſſe relationum fundamenta: quod præter Authoritatem Ariſtotel. & expoſitorū, cōſtat ad hæc fundamenta omnes relationes reduci poſſe, quia omnes res fundantes relationes, vel fundant prout ſunt idem, aut diuerſum, vel vt producens, & productum, ſeu vt actiuum, & paſsiuum, vel tandem vt menſura, & menſurabile, nec videtur poſſe

ſe excogitari relationem aliquam, quæ ad hæc tria fundamenta directe aut reductiue non pertineant.

QVÆSTIO III.

Utrum immediate in ſubſtantia, & in alia relatione poſſit fundari Relatio.

DE Accidentibus abſolutis nullus eſt qui dubitet eſſe poſſe fundamenta relationis prædicamentalis, vt in albedine & quantitate cõſtat: de ſubſtantia autem non poſſe fundare relationem immediate, tenent aliqui ex iunioribus, de quorum numero eſt Mercado hic, Toletus etiã hoc loco.q.1.& Soto.q. etiam 1.ad quartum, hoc videntur indicare. Pro qua ſententia nullum inuenio alicuius ponderis argumentum; tantum poſſet obijci pro illis, quod ſi relatio poteſt fundari in ſubſtantia, cum relatio & fundamentum identificentur realiter, ſequeretur, idem realiter eſſe ens per ſe, & in alio. Sed hoc argumentum ſupponit falſum, nempe identitatem relationis cum fundamẽto, cuius falſitas ſatis probari poteſt ex illo argumẽto, vt quæſtione ſequẽti expendemus. Poſſet etiam obijci, Ariſtotelem enumerantẽ fundamenta relationum, non meminiſſe ſubſtantiæ. Sed hoc etiam falſum eſt, vt iam oſtendo.

Dico ergo cum communi ſententia, in hac quæſtione primo. Subſtantia poteſt eſſe fundamentum relationis, ita Auicena 3.Meth.cap.10. Zimara verbo relatio, Mayronus in 1. diſtinct.29.quæſt.3. Bruxelenſis hic quæſt.4.artic.5. ad primum. Sanct. Thom. opuſ.48. tractatu de relatione capit.4. & 1.par.quæſt.28.artic.1.ad ſecundum, vbi dicit, per relationes identitatis non diuerſificari ſubſtantias, ibidem Cai. Probatur ex Ariſtotel. qui nomine vnitatis, conuenientiam aliquam in ſubſtantia etiam intelligit, vnde dixit, vnitatem in ſubſtantia facere idem, id eſt fundare raeltionem iden-

 titatis,

Digitized by Google

citatis, per quod manet ſolutum argumentum factum. Ex quo iam probatur primo hæc ſententia ratione. Duo homines, V. g. etiam in illis inulſo conſiderato accidenti, habent vnitatem fundamentalem ſpecificam, hæc eſt fundamentum relationis identitatis, ergo. Secundo, inter duas qualitates eſt relatio ſimilitudinis, in ipſis qualitatibus immediate fundata, & inter duas quantitates relatio æqualitatis, ergo inter duas ſubſtantias etiam erit relatio identitatis, in ipſis ſubſtantijs immediate fundata, & realis ſimilitudo & æqualitas ſecundum perfectionem eſſentiarum. Tertio, quia homo ante quodlibet accidẽs conſideratus, dicit relationem realem creaturæ ad Creatorem, quia ante quodlibet accidens ſecundum entitatem ſubſtantię conſideratus, eſt effectus illius cauſæ primæ, & creatura illius Creatoris, ergo.

Maior difficultas eſt de relatione. Scotus enim in 4. diſt. 6. quæſt. 10. & in 2. diſtinct. 1. quæſt. 4. & 5. docet vniuerſaliter relationem fundamentum eſſe poſſe alterius relationis realis, idem Liquetus, & Mayronus in 1. diſtinct. 29. quæſt. 3. & Bruxelis hic quæſt. 4. artic. 5. Oña hoc loco, quæſt. 2. ar. 3. fatetur hoc in aliquibus relationibus. Nonnulli ex iunioribus etiam Scoti amplectantur ſententiam. Poteſt autem probari primo ſic: duæ ſubſtantiæ ex eo quod ſint ſimiles in eſſentia, æquales in perfectione, aut diſsimiles, & inæquales, relationem identitatis aut diuerſitatis fundare poſſunt, ſed duæ etiam relationes ſunt ſimiles in eſſentia relationis, æquales aut inæquales in perfectione, poſſunt ergo fundare relationem ſimilitudinis, aut diſsimilitudinis, identitatis, aut diuerſitatis, ſicut alia entia realia. Secundo & confirmo, duæ paternitates vel ſunt formaliter eædem in ſpecie, vel non, ſi ſic, ergo habent relationem identitatis, ſi non, ergo differũt ſpecie, quod eſt falſum, immo habebunt relationem inæqualitatis, & diuerſitatis. Tertio: relatio per ſe eſt effectus alicuius cauſæ, ergo per ſe fundat relationem effectus ad illam.

Dico tamen in hac quæſt. 2. Vna relatio nõ poteſt eſſe fundamentum alterius, eſt fere communis, quam tenet expreſſe Sanct. Thom. 1. par. quæſt. 42. articul. 1. ad quartum, vbi aſſerit. Neque enim vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem, quia alias

Digitized by Google

aliàs (inquit) relationes multiplicarentur in infinitum, & quæſt. 45. articul. 3. ad ſecundum, vbi aſſerit relationes, cũ hoc ipſum quod ſint, ad aliquid dicantur, non referuntur per aliquas alias relationes, ſed per ſe ipſas: reddit rationem de potentia, quæſt. 7. artic. 9. quia relatio eſſentialiter eſt relatio.

Ex quo deduco primam probationem ſic, relatio eſſentialiter eſt relatio, ergo non indiget alia relatione qua referatur, probo conſequentiam. Actio quia eſſentialiter eſt actio, non indiget alia actione, qua fiat, actionis enim non eſt actio, præſentiæ non eſt præſentia, qua ſit præſens, exiſtentiæ non eſt exiſtentia, vnionis non eſt vnio, nec motus mouetur medio motu, ergo relationis non eſt relatio, qua referatur. Secundo ex eodem D. Thom. quia alias daretur proceſſus in infinitum relationum totalium, quam rationem, confirmando ſimul præcedentem, formo ſic. Sicut daretur proceſſus in infinitum, ſi exiſtentiæ daretur exiſtentia, & actionis actio, &c. ita etiam, ſi relationis daretur relatio, quia hæc poſset fundare aliã, & illa aliam, & ſic in infinitum, immo non tantum poſſet, ſed de facto fundaret. Dentur enim V. g. duæ Paternitates, illæ in genere relationis eſſent ſimiles, fundarent ergo alias relationes, per quas eſſent ſimiles, illæ etiam eſſent ſimiles, ergo per alias, &c. Tertio, & eſt quaſi a priori. Relatio propter ſuam minimam entitatem, & imperfectionem indiget fundamento abſoluto, in quo ſit, & a quo ſuſtẽtetur, immo etiã a quo ſuo modo ſumat realitatem, quia non poteſt eſſe realis, niſi fundamentum abſolutum reale ſit, ergo ipſa relatio non poterit eſſe fundamentum alterius relationis, fieret enim iã, vt idquod antea præ debilitate entitatis ſtare non poterat, ita inopinate redderetur forte, vt aliam ſuſtentare poſset, in ſe que recipere. Quod magis declaro. Poteſt eſſe, quod relatio fundans & fundata ſint omnino eiuſdem ſpeciei, vt patet in argumento ſecundo facto, ergo eiuſdem perfectionis, ergo eiuſdem fortitudinis, vel vt melius dicam, debilitatis, ſi ergo vna illarum ita debilis eſt, vt neceſſario petat ad ſui fundamentum vim entis abſoluti, cuius manutẽnentia roboretur, & alia eiuſdem eſt debilitatis, eiuſdem fortitudinis requiret fundamẽ

ac per conſequens ens abſolutum, quia vbi eſt æqualis debilitas, vt egritudo, æquale remedium, & æquale (vt ita dicam) fortificans requiretur.

Sed contra. In quouis quanto continuo ſunt infinitæ partes proportionales, ergo erunt infinitæ relationes, vt ſupra tetigi. Reſpondetur: id quod additur, ſcilicet, infinitas partes eſſe proportionales, ſoluere argumentum, ſicut enim non eſt inconueniens, admittere infinitas partes proportionales, quia hæ non faciunt infinitum ſimpliciter, cum partes æquales finitæ ſint, ita multo minus inconueniens eſt, in relationibꝰ illas admittere, quia relatio eſt multo minoris entitatis, quam quantitas, & ſicut illæ partes non cauſant infinitatem, adhuc in genere quantitatis, ita & iſtæ non cauſant infinitatem perfectionis, adhuc in genere relationis. Poſſet etiam dici, abſolute tantum eſſe vnam relationem totalem ſe quaſi extendentē ad omnes partes, ſicut tantum eſt vna entitas finita continui extenſa per omnes partes. Afferri etiam poteſt inſtantia de infinitis figuris, quæ neceſſario in quouis quanto corporeo admittendæ ſunt, vbi cum ſint infinitæ ſuperficies, infinitæ etiam figuræ in ſenſu proportionali explicato erunt concedendæ: de quo latè in Phiſica. Non tamen debet admitti infinita relationum totaliū multitudo, quæ tamen vitari non poteſt, ſi in relatione per ſe & proprie fundaretur relatio, cum quæuis relatio etiam totalis fundare poſſet aliam totalem, & illa aliam, & ſic in infinitum. Continet etiam oppoſita ſententia peculiare abſurdum, adhuc in ipſis relationibus proportionalibus, quod ſic explico. Quia licet in vna parte quantitatis ſit infinita multitudo partium, tamen in illa eadem parte non poteſt diſtingui alia multitudo infinitarum partium diſtinctarum a partibus prioris multitudinis: ſi tamen relationis poſſet eſſe alia relatio, in infinitis relationibus quæ ſunt in eadem omnino parte quantitatis, fundarentur aliæ infinitæ relationes diſtinctæ a prioribus, & in his infinitæ aliæ, & ſic daretur infinitum infinitorum, quod quis dicet?

Ad primam rationem in oppoſitum Reſpondetur, non eſſe eaſdē aut diuerſas relationes poſitiuè, ideſt per aliquam poſitiuam relationem, quam fundare nō poſſunt, vt vidiſtis: ſed vel per proprias qualitates,

qua-

quarum quælibet eſt vna, & incapax, ſi fuerit eiuſdem ſpeciei, alterius diſtinctionis quã numerice, ita tamẽ quod propter debilitatẽ non poſsint fundare aliam realem relationẽ, vel certe erunt ſimiles negatiuè, quia non ſunt diſsimiles, vel diuerſę: relationes etiam diſsimiles, tales dicentur, quia non ſunt ſimiles, non vero à poſitiua relatione diſsimilitudinis, per quod patet ad ſecundum.

Ad tertium Reſpondetur, relationẽ reſpicere ſuam cauſam, non per aliam relationem ſed per ſe ipſam, ſicut actio vere fit a cauſa, & vere ab illa dependet, & non per aliam actionem. Vbi notate, actionem etiam ſeu emanationem quatenus eſt modus quidam relationis, & ab illa intrinſice pendens ſicut a termino, non poſſe fundare relationes alias, quia ſi relatio propter minimam entitatem hoc non poteſt, multo minus entitas a relatione dependens.

QVÆSTIO IIII.

Utrum Relatio diſtinguatur realiter a ſuo fundamento.

QVæſtio hæc ſatis eſt inter authores controuerſa, Ariſtoteles q; & Sanct. Thom. in hac re videtur hæſitare, & nunc in hanc, nũc in illam partem inclinare, ita vt de hac quæſtione affirment Sonzinas 5. Meth. cap. 28. & Niphus. q. 12. capit. 3. Neque Ariſtotelem certi quidquam conſtituiſſe: neque D. Thomam expreſſe in hac re fuiſſe loquutum, & licet adeo authores in hac re diuerſi ſint, vt ſex eorum ſententiæ referri poſſent, duæ tamen ſunt quaſi Capitales, ad quas alię reduci facile poſſunt: quas proinde diligentius examinabimus.

Eſt ergo Sententia Prior aſſerens, nullam realem relationem ex natura rei, aut aliquo modo realiter diſtingui a ſuo fundamento, ſed omnes identificari cũ illo a parte rei. Hanc ſententiam docent graues Autho-

Digitized by Google

thores. Sic ſentiunt Nominales, OKam, & Maior, in 1. diſt. 30. q. 1. Gregorius diſt. 28. q. 2. ar. 2. AEgidius in 1. diſtinct. 26. q. 4. Marſilius in 1. diſt. 32. ar. 1. eam expreſius & accuratius docuit Herbeus in 1. diſt. 30. ar. 1. & quodlibeto 7. q. 15. & quodlibet. 10. q. 1. Iabellus 5. Meth. q. 22. Sonzinas ibid. q. 28. Bartholomæus Torres 1. p. q. 28. ar. 2. Magiſter Zumel, in commentario eiuſdem loci, quæſt. 6. reduci etiam poteſt ad hanc ſententiam Durandus in 1. diſtinct. 30. quæſt. 2. videtur expreſſa ſententia Sanct. Thom. qui opuſcul. 48. tractatu de relatione cap. 2. ait, non eſt intelligẽdum, quod ſimilitudo Socratis ſit aliqua res in illo alia ab ipſa albedine, ſed ſolum eſt ipſa albedo, vt ſe habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum. Idem probatur ex Ariſtotel. 5. Meth. capit. 2. & 5. libro Phiſicorum text. 10. vbi per relationem, inquit, non mutatur ſubiectum: idemque quod ad mutationem attinet, aſſerit Sãct. Thom. 5. Meth. poteſtque colligi ex Anſelmo in Monologio, cap. 24. ſimilis que fere eſt apud Auguſtinum locutio lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 16. fauentque verba Damaſceni, in ſua Dialectica cap. 50. in quibus diſtinctionem relationis ab abſoluto, ſemper ad conſiderationẽ reducit, diſtinctio autem per conſiderationem ſolum eſt rationis. Idem docet Suar. diſp. 47. ſect. 2. ſuæ Meth.

Ex dictis de mutatione, ſumitur primum argumentum pro hac ſententia ſic Si relatio eſſet quid realiter diſtinctum a ſubiecto, quod aliquando eſt fundamentũ, vel ſaltim in quo abſoluta entitas fundamenti realiter reperitur, nõ poſſet aduenire ſine mutatione, nã ſiue relatio ſit omnino diſtincta, ſiue modus realis, aduenĩete illa aliter ſe haberet ſubiectũ, quã prius, ſed hoc eſt mutari: mutaretur ergo. Plura congerit, & impugnat Suarez in ſolutione huius argumẽti: veram autem ſolutionẽ nos infra trademus.

Secundo, quia ſi relatio eſt aliquid diſtinctum a fundamento, albedine V. g. inquiro, producta alia albedine, quę eſt termin9 relationis, quomodo aut per quam actionem producatur relatio? non enim poteſt acquiſitio illius realis modi, vel entitatis eſſe ſine efficientia, quæ non poteſt eſſe ab ipſo termino in fundamentum, vt fatẽtur omnes, quomodo enim terminus ageret ſimul in res pene infinitas, & quantũcũq; diſtantes, erit ergo efficientia illa

ab

Digitized by Google

ab ipſo fundamento in ſe ipſum,vt per naturalem reſultantiam in illo oriatur modus ille relationis. Sed ex hoc duo grauia inconuenientia ſequũtur: Primum,quod quoties aliquid de nouo fit album ,aut calidũ, pullulet in omnibus alijs rebus calidis aut albis quæ ſunt in mundo,aliquid nouum & reale vere ac proprie vnicuiq; inhærens, quod videtur creditu difficilimum , & ſine vlla neceſsitate realitates adeo innumeras multiplicari. Hoc autẽ magis vrgeo , quia ſequeretur in Petro V.g.albo,ſingulis diebus ſingulas entitates,immo & innumeras oriri , erunt enim in illo innumeræ relationes ſimilitudinis,& diſsimilitudinis ad omnes alias res quæ ſunt,& quæ de nouo producuntur,innumeras (inquam) nõ tantum in ſimilitudine aut diſsimilitudine qualitatũ,,ſed etiã in ſimilitudine aut diſſimilitudine naturæ. Secũdũ inconueniẽs eſt, quod ſi modꝰ hic aut ẽtitas realis relationis a fũdamẽto diſtincta eſt,& vera efficiẽtia ſaltim reſultãs,ſequitur poſſe optime de potentia Dei abſoluta, duobus albis manentibus,relationem ſeparari:conſtat enim efficientiam illam, per quam reſultat relatio, ſine influxu Dei eſſe nõ poſſe,poterit ergo Deus ſuum influxum ſuſpendere , & reſultantiam illam impedire, circa rem præcipue diſtinctã, vt dicebam ; at ex alia parte, poſitis duobus albis, impoſsibile eſt quod non ſint ſimilia, ergo hæc denominatio relatiua nõ ſumitur ex aliqua re aut modo reali diſtincto, ſed ab vtroq; albo ſimul ſumpto.

Tertio,ſi relatio a fundamẽto diſtingueretur,efficeret cõpoſitionem cum illo,cum omne accidens ab alio diſtinctũ, cum eo in quo eſt, efficiat cõpoſitionem,at relatio nullam poteſt cũ fundamento aut ſubiecto compoſitionem efficere; Petrus enim poſtquam eſt Pater,aut poſtquam aliud album productum eſt,non eſt magis compoſitus quam antea , vt per ſe patet,teſtatur que Sanct.Thom.quæſt.7. de potentia ar.8.ergo.

Quarto,vrgent authores hi, ſi relatio inter duo alba eſt res diſtincta ab vtraq; albedine, ſequitur ſine illa eſſe magis ſimilia,quam cum illa, ac proinde eſſe relata ſine relatione, quod implicat. Probo ſequelam,quia vna albedo magis aſſimilatur alteri per ſuam realitatem propriam albedinis, quam per realitatem diſtinctam ab illa , immo per hanc potius eſt diſsimilis , quam ſimilis,ergo ſi relatio eſt diſtincta realitas ab albedine , non erit

erit ſimilis aut relata per relationem, quod intendebam.

Poſterior tamen ſententia quæ omnino probabilior eſt, docet fundamentum & relationem diſtingui ex natura rei, ſeu tanquam modus rei a re, ſiue fundamentum ſit accidens, ſiue ſubſtantia. Hanc ſententiam ſequuntur fere omnes Thomiſtæ, eam docet in primis Capreolus Thomiſtarum Princeps in 1. diſt. 30. q. 1. Deza ibidem notabili ſecundo. Ferrarienſis. 4. contra gentes cap. 14. qui multis hanc eſſe S. Thomæ ſententiam conatur oſtendere. Aquarius 5. Meth. q. 19. Sueſanus eodem lib. & quæſt. Caietanus 1. p. quæſt. 28. ar. 2. vbi plura adducit, vt probet hanc eſſe ſententiam Sanct. Thom. Magiſter Bañez ibidem. Fonſeca 5. Meth. cap. 5. quæſt. 2. ſect. 5. Pater Molina 1. p. q. 13. ar. 7. qui contrariam ſententiam aperte inquit eſſe contra Ariſtotelem. In hanc etiam inclinat magis Scotus in 3. diſt. 3. q. 1. ubi habet doctrinam forſam aliquando neceſſariam. Duplicem ſcilicet eſſe relationem, aliam appellat intrinſecus, aliam extrinſecus aduenientem. Relationes illæ, quarum fundamenta non poſſunt eſſe ſine ipſis relationib9, vt eſt relatio creaturæ ad Creatorem, appellantur intrinſecus aduenientes, quia cum quauis entitate, intrinſiciſsime ſemper eſt hæc relatio & habitudo coniuncta; illæ autem relationes quarum fundamenta eſſe poſſunt ſine ipſis, vt ſimilitudo aut Paternitas, (albedo enim & ſubſtantia Patris optime poſſunt ſine illis reperiri) appellantur extrinſecus aduenientes: quas inquit diſtingui realiter a fundamento, non alias. Hæc ſententia eſt meo iuditio expreſſa a S. Thom. multis in locis 1. p. q. 28. ar. 2. ad ſecundum, vbi ait. Quod ſicut in rebus naturalibus eſt aliquid reſpectiuum, & aliquid abſolutum, ita etiam in Deo, ſed tamen aliter, & aliter, nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relatiui, eſt alia res, in Deo autem non eſt alia res, ſed vna, & eadem: vbi patet neceſſario loqui de alietate reali, inquit enim *alia res*, & quia alietas ſeu diſtinctio per rationem recte poteſt reperiri in Deo inter abſolutum, & reſpectiuum. Secundo, de potentia, q. 8. ar. 2. ad primum inquit. Nulla ſubſtantia eſt relatio, ſed ſubſtantia eſt fundamentum relationis, vt patet; ergo ſi non poteſt eſſe relatio, relatio & fundamentum neceſſario diſtinguentur

realiter, idem docet 4. lib. contra gentes cap. 14. vbi etiam aſſerit quod relatio creata ſic inhæret ſubiecto, vt faciat cũ eo compoſitionem realem, relatio vero diuina non facit cõpoſitionem.

Ratione ergo probatur. Primo, per aduentum relationis realiter mutatur ſubiectum, ergo eſt aliquid reale diſtinctum adueniens. Antecedens probo, quia ſi per aduentum relationis ex tempore realiter non mutatur, poterunt in Deo relationes reales ex tempore poni, quas tamen negant communiter omnes Theologi, quia Dei immutabilitati opponuntur; ſi autem relatio ſolum traheret denominationem cum noua diſtinctione rationis, recte poſſent relationes reales ex tempore poni in Deo. Quando ergo Ariſtotel. per relationem aſſerit, non mutari ſubiectum, non loquitur de mutatione communiſſime ſumpta, ſed de illa quæ per propriam actionem, quaſi per ſe ad illam ordinatam fit: & hoc eſt quod communiter ex eodem Ariſtotel. lib. 5. Phiſicorum aſſeritur, ad relationem, non eſſe per ſe motum, aut mutationem, quia per ſe mutatur illud, cuius mutatio intenta eſt a natura, vel ab aliquo agente naturali, vt dum quis localiter mouetur, vel dum lapis naturaliter mutatur a loco ſuperiori ad inferiorem; & hoc modo non eſt per ſe motus ad relationem, quia reſultantia relationis non per ſe intenditur a natura, aut ab agente. Eſt tamen ad illam per accidens mutatio, quia vere per aduentum eius mutatur ſubiectum, etiam ſi hoc non ſit per ſe intentum, & ex poſitione alterius extrinſici oriatur. Quinimmo aſſerere Ariſtotelem ad relationem non eſſe per ſe motum, aut mutationem, potius confirmat eſſe ad illam mutationem ſaltim per accidens, ſi enim ad illam nulla eſſet neque per ſe neque per accidens mutatio, non oporteret in propoſitione negante mutationem, addere illud *per ſe*, ſed abſolute & vniuerſaliter aſſerere ad relationem non eſſe mutationem. Et cum exceptio (vt loquuntur Iuriſtæ) firmet regulam in contrarium. Exceptio illa *per ſe* firmat, & affirmat aliud genus mutationis, nempe per accidens.

Secundo probatur demonſtratiuo argumento. Relatio rea-

realiter eſt accidens, ſed fundamentum relationis poteſt eſſe ſubſtantia, ergo non poteſt eſſe idem realiter cum illa. Patet, quia accidens reale, realiter eſt in alio, ſubſtantia realis, realiter eſt per ſe; ſed idem non poteſt realiter eſſe per ſe, & realiter eſſe in alio, ergo. Reſpondent, idem realiter ſecundum diuerſas formalitates eſſe per ſe, & in alio. Contra argumĕtor, quia formalitates illæ vel ſunt ante intellectum diuerſæ, vel non: ſi ſunt, habeo intentum, quod relatio diſtinguatur a ſubſtantia ante intellectum: ſi vero non diſtinguantur niſi per intellectum, ſequitur quod relatio, quæ eſt idem realiter cum ſubſtantia per illos, non ſit in alio, ante operationem intellectus. Probo, quia non eſt in alio, niſi vt diſtincta a ſubſtantia, quatenus enim idem eſt cum illa, eſt ens per ſe, ſed non eſt diſtincta niſi poſt intellectum, ergo ante intellectum non eſt in alio, ergo ante intellectum non eſt accidens reale, ac per conſequĕs ante intellectum eſſet accidens, & non eſſet accidens; eſſet quidem, vt conceditur ab omnibus, & quia ſubſtantia realiter refertur ad alteram per relationem realem & acccidentalem; non eſſet autem accidens, vt probaui. Repugnantiam ergo inuoluit ſententia oppoſita.

Vrgeo, quia eſſe per ſe, & eſſe in alio, ſunt duo modi reales oppoſiti, quorum vnum trahit negationem alterius, ergo eo modo quo ſubſtantia eſt ens per ſe, eo modo non eſt in alio, ſed eſt ens per ſe realiter, ergo realiter non eſt in alio, ergo diſtinguitur realiter a relatione, quæ realiter eſt in alio. Addo, accidens reale dependet realiter a ſubſtantia, ergo non eſt idem realiter cum illa: patet, quia idem realiter non poteſt realiter dependere a ſe ipſo; ſicut enim ea quæ depĕdĕt ratione, ratione etiã neceſſario diſtinguuntur, ſic quæ dependent realiter, realiter etiam debent diſtingui. Adde, Ariſtotelem 1. Phiſ. tex. 25. aſſerentem, id quod accidit alicui, eſſe aliud ab eo, cui accidit, & definitio accidentis id exprimit eſſe in alio, ſed accidens reale realiter accidit, ergo realiter eſt aliud ab eo cui accidit, nempe a ſubſtantia. Quæ rationes etiã probant de quouis fundamento, quod ſubſtantia non ſit, quia cuiuis fundamento realiter accidit relatio, & quia relatio realiter dependet a fundamento.

Ter-

Tertio, fundamentum poteſt eſſe ſine relatione, vt ſi nõ ſit productus terminus, poteſt ergo aduenire de nouo relatio, ſimiliter ſemel habita relatione, poteſt relatio à fundamento ſeparari, vt ſi pereat terminus, manet enim fundamentum relationis Paternitatis in Patre, & tamen extincto filio, perit relatio, ſed hæc acquiſitio relationis de nouo, & hęc deperditio omnino realis eſt, & ante intellectum, ergo neceſſario arguit diſtinctionem realem, quia idem realiter non poteſt à ſe ipſo realiter ſeparari, aut idem manere, & corrumpi, & ſimiliter nõ poteſt realiter aliquid de nouo aduenire alicui, niſi id quod aduenit, ab illo realiter diſtinctum ſit.

Duplicem huic argumẽto, (quod timent aduerſarij) excogitarũt ſolutionem. Prima eſt, corrũpi formalitatem relationis, non realitatem. Sed contra Primo, formalitas illa relationis quæ corrumpitur deſtructo termino, vel eſt aliquid reale, vel nihil, ſi nihil reale, ergo nihil reale pendebat à termino, ac proinde relatio quæ ab illo pendebat, nõ erat quid reale, ſi vero eſt reale id quod corrumpitur, illud reale erat eſſentiale relationi, & tamen diſtinguitur à fundamento, quia ſeparatur ab illo, ergo relatio diſtinguitur ex natura rei à fundamento, cum dicat aliquid eſſentiale ſibi à fundamento realiter diſtinctũ. Secũdo, illud reale quod corrũpitur, vel erat idẽ realiter cum realitate quę manet, vel diuerſum, ſi diuerſum, habeo intentũ, ſi idẽ, ergo idẽ manet, & corrũpitur realiter, quia quãtũuis præſcindas formalitatem, (cum tamen hæc præciſio per intellectum parum conducat, quia loquimur de eo quod à parte rei eſt, ſine depẽdentia ab intellectu) ſemper per te eſt idem realiter, ac corruptio ad realitatem terminatur, quia non expectat diſtinctionẽ intellectus, ergo.

Addunt aduerſarij, quod dũ nouum album producitur, nihil nouũ acquirit album antiquum, ſed ſolum connotat alterum extremum, quod antea non connotabat. Sed contra, quia album illud denominatur de nouo ſimile realiter, & formaliter, atq; accidẽtaliter reſpectiue, quod prius non habebat, ſed denominatio noua realis accidentalis & vere intrinſeca ſubiecto, quia vere (& licet accidẽtaliter) intrinſice tamen, eſt id quod refertur, nõ poteſt fieri niſi à forma noua reali inhærente, ergo vel noua illa connotatio termini

hanc realitatem dicit, vel id quod additur de nouo, nõ eſt ſolum connotatio termini.

Reſpondent Secundo, quędã poſſe ſeparari mutuo, quædam non mutuo: in illis quæ mutuo ſeparari poſſunt, recte colligitur ex ſeparatione diſtinctio, non vero in ſecundis, de quorum numero ſunt relatio & fundamentum; quia licet fundamentum poſsit eſſe ſine relatione, nõ è contra; adducunt inſtantiam in genere & in ſpecie, animal enim & homo non diſtinguuntur niſi per intellectum, & tamen animal poteſt eſſe ſine homine, non è contra. Sed contra hoc eſt: quod ex mutua ſeparatione reali recte colligitur diſtinctio, *rei à re*, ex ſeparatione autem reali non mutua, diſtinctio *modi rei à re*, in qua licet modus propter ſuam imperfectionẽ ſine re cuius eſt modus eſſe non poſsit, poteſt tamen res exiſtere ſine illo modo; vnde fatemur, diſtinctionẽ inter relationem & fundamẽtum eſſe diſtinctionem, *rei & modi*. Inſtantia autem non eſt ad propoſitum, quia vel loquimur de ratione hominis & animalis, vt vniuerſales rationes ſunt, & ſeparatæ per intellectum, vel de homine & animali realiter, vt à parte rei identificãtur. Si primo modo, ſicut rationem vniuerſalis & ſuperioris habent per intellectum; ſic per intellectum diſtingui poſſunt. Si vero loquamur ſecundo modo, animal quod eſt idem realiter cũ homine, ſeparari ab homine nequit, neque poſsibile eſt idem numero animal, non eſſe eũdẽ numero hominem, realiterq; eidem numero animali non poteſt de nouo aduenire realitas aut formalitas realis hominis à parte rei, aut è cõtra. Cum tamẽ idem numero fundamentum in quo erat realis relatio, poſsit manere & conſeruari ipſa relatione corrupta.

Ad argumenta Reſpondetur. Ad S. Tho. dixiſſe quidẽ, ſimilitudinem non eſſe rem aliã à re quæ eſt albedo, quod ego fateor: non enim diſtinguuntur relatio & fundamentũ, tanquam res & res, ſed tãquam res & modus, ita vt ſimilitudo & relatio nõ ſit res, ſed ſit modꝰ. Vnde 1. p. q. 26. citata, cum de diſtinctione fundamenti à relatione diſſereret, fundamentũ aut ſubiectũ appellauit rem aliã, dicẽs, quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relatiui, eſt res alia, ideſt, eſt res alia, ſeu diſtincta realiter à relatione, quę eſt modus, de quo loco S.

Digitized by Google

Tho.iã diximus. Conſona ergo eſt doctrina illius, vt cum loquitur de relatione, quæ eſt modus, aſſerat nõ eſſe rem, cũ vero de fundamento aut ſubiecto aſſerat eſſe rem, aliã à relatione. Ad Ariſt. iã diximus, non loqui de mutatione late ſumpta, quod præter ibi adducta, cõſtat ex eodem Ariſt. lib. 11. Meth. cap. 1. vbi de mutatione late ſumpta docet, tot eſſe mutationis ſpecies, quot entis, ſed relatio eſt diuerſum genus entis, cauſabit ergo adueniens de nouo mutationem late ſumptam. Per quod patet ad primũ argumentũ. Cõſtat q; quomodo ſancti Patres ſint intelligendi. Damaſcenus autẽ potius fauet nobis, ſic enim habet. Quippe prius aliquid ſine habitudine, ac relatione eſſe neceſſe eſt, ac tũc habitudinem in ipſo cõſiderare. Vbi vides, Damaſcenum in, *eſſe*, ſeparare relationẽ ab abſoluto, quod non poteſt eſſe ſine diſtinctione reali, vt vidimus. Poſt aduentũ autem relationis, recte aſſerit, habitudinem eſſe conſiderandam, conſiderandum enim eſt id quod eſt.

Ad ſecundum argumẽtum Reſp. modum hũc relationis, poſito termino, per ſimplicẽ emanationẽ, aut reſultantiã, emanare à fundamẽto. Ad primum autẽ inconueniens Reſpondetur, in probabiliſsima opinione eorum qui ſentiunt, vnam & eandẽ numero relationem terminari ad diuerſos terminos eiuſdem rationis, vt Pater ad plures filios (de quo poſtea) facile ſoluitur argumẽtum, dicendo, quodlibet albũ vna & eadẽ ſimilitudine relationis reſpicere vniuerſa alba, & vna & eadẽ relatione idẽtitatis reſpicere res omnes eiuſdẽ naturę, vnde non oportebit innumeras oriri relationes, ſed nõnullas tantũ. In quacũq; autem opinione Reſpondetur, admittendam eſſe ſequelam, quæ magis continet admirationis quam abſurdi, ſi enim in minima parte quantitatis infinitæ partes proportionales continentur, quid mirum ſi in qualibet re innumeræ ſint relationes? Corrigendus ergo eſt ſenſus, aut ſuperficialis intellectio, cum oppoſitum ratio perſuadeat: præcipue tamen ceſſat inconueniẽs in rebus adeo minimę entitatis, quales ſunt relationes, quæ vt recte quidã Auhor, nõ tam (inquit) ſunt aliquid, quã ad aliquid: non quod exiſtimet nihil eſſe, ſed quia cum totum ſuũ eſſe ſit ad aliud, nõ videtur inconueniens vt res

Digitized by Google

vna & eadem plures habeat reſpectus, quibus alia à ſe reſpicit. Hinc etiam relatio nõ cenſetur componere cum ſubiecto, tum quia nõ componit compoſitione propria, & quaſi per ſe, hac enim compoſitione ſolum componunt quę per ſe producuntur, & ad quæ cõponentia ex intentione naturæ ordinantur; quod reſpectu relationis nõ poteſt reperiri, quia relatio (vt dicebamus,) non per ſe intenditur, aut producitur à natura. Tum ſecundo, quia cum totum eſſe relationis ſit ad aliud, hęc expreſſio, *ad*, terminum reſpicit, non ſubiectum, & ita intelligẽdus eſt S. Thom. quæſt. 7. de potentia, dum aſſerit, relationẽ non facere compoſitionem, loquẽdo enim de compoſitione late ſumpta. 4. lib. contra gentes cap. 14. aſſeruit, relationẽ facere compoſitionem realẽ cum ſubiecto, per quod patet ad tertium argumentum.

Ad Secundum inconueniẽs argumenti ſecundi Reſpondetur (quicquid ſit de ſeparabilitate relationis à fundamento exiſtimo tamẽ poſſe optime ſeparari, quia relatio eſt entitas diſtincta à fundamento, & non pertinens ad eſſentiã eius, aut ad aliquid intrinſecũ extremorum, & ideo non apparet repugnantia) Reſp. inquã; ꝙ ſi ſepararetur relatio, & manerent duo alba, eſſent ſimilia ſimilitudine abſoluta, & fundamentali, non vero ſimilitudine reſpectiua, & formali. Quod ſi dicamus, relationem non poſſe ſeparari à fundamento, cum tamen fundamentum poſsit eſſe ſine illa, hæc erit diſtinctio realis non mutua, quæ licet non ſit diſtinctio rei à re, erit tamen diſtinctio rei, & modi. Addo tamen quod licet ex ſeparatione, aliqua colligatur diſtinctio realis, ex inſeparabilitate tamen non licet colligere indiſtinctionem, nequit enim quantitas ſeparari à figura, & tamen diſtinguuntur ex natura rei; immo materia diſtinguitur realiter à forma, & tamen non poteſt etiam diuina potentia ſeparari, & exiſtere ſine illa.

Ad Quartum argumẽtum Reſpondetur: duas albedines non eſſe ſimiles per relationem, tanquam per id in quo ſunt ſimiles, ſed tanquam per id quo ſunt ſimiles; eſt enim relatio forma qua referuntur vt ſimiles; ſunt autẽ ſimiles in gradibus albedinis, & ideo per entitatem additam relationis non additur, aut minuitur ſimilitudo abſoluta qualitatũ,

ſed

ſed ſolum forma quædam reſpectiua, qua vt ſimiles referũtur ad inuicem. Idem autem argumentum, ſi aliquam vim haberet, haberet eandem in eorum opinione. Inquiro enim ab illis, an albedo ſit ſimilis alteri albedini, per albedinem formaliter, vt albedo, an vero per illam formaliter, vt relatio; ſi dicant eſſe ſimilem per albedinem, vt diſtincta a relatione, ſequitur aliquid eſſe formaliter ſimile aut relatum, & non à formalitate relationis, quod ipſi aſſerunt repugnare; ſi vero aſſerant eſſe ſimiles formaliter per formalitatem relationis, vt relatio, idem faciam argumentum contra illos, quod ipſi faciunt contra nos ſic; vna albedo magis eſt ſimilis formaliter cum alia albedine, vt dicit rationem albedinis, quã vt dicit rationem relationis, ergo præciſſa formalitate relationis, erunt magis ſimiles albedines duæ, quam cum illa. Quod argumentum vt patet eodem modo indiget ſolutione in eorum opinione, ſicut in noſtra; ſoluendum q; eſt adducta ſolutione. Addendo claritatis gratia, albedines eſſe ſimiles ſe ipſis, ſimilitudine abſoluta, & fundamẽtali; quia ſunt abſoluta entia; eſſe vero ſimiles ſimilitudine reſpectiua & formali, per modum relationis realiter diſtinctum, & ſuper additum, vt dictum eſt.

II. PARS DISP.

De Relatione in ordine ad Terminum.

AD hoc quod relatio conſurgat, fundamentum & terminus requirũtur, poſt quam ergo in prima diſputationis parte de fundamento relationis diſputatum eſt, in hac ſecunda parte determino relationis, ſeu de relatione in ordine ad illum diſputare oportet; vt ſic recto ordine in 3. part. tractatio relationis ſecundum ſe, quaſi connaturaliter conſurgat & oriatur.

Digitized by Google

QVÆSTIO. I.

Vtrum Relatio terminetur ad Abſolutum, vel ad reſpectiuum.

PRO cuius intelligẽtia, præmitto Primo, relationes quaſdam eſſe mutuas, quando ſcilicet in vtroq; extremo eſt ſua peculiaris & vna relatio, ita vt vnum referatur ad aliud, & aliud etiam referatur ad ipſum; quaſdam vero relationes eſſe non mutuas, quando ſcilicet in vno extremorũ eſt relatio realis ad aliud, in alio vero non eſt (vt ſic dicã) iterata relatio realis ad ipſum: & de vtraq; hac relatione tam mutua quam non mutua procedit dubitatio.

Præmitto Secundo. Subiectum & terminum non eſſe in recto de eſſentia relationis, ſed tantum in obliquo, quia relatio eſt in ſubiecto, & eſt ad terminum; vnde recte definietur, eſt ordo ſeu reſpectus realis ſubiecti ad terminum: in relatiuis ergo hæc quatuor diſtingui poſſunt, entitas ſubiecti, & hæc ſemper eſt abſoluta: entitas fundamenti, & hæc ſemper etiã eſt abſoluta: quia vt ſupra vidimus, relatio non poteſt eſſe fundamentum alterius. Tertio diſtingui poteſt in relatiuis ipſa entitas relationis, & hæc eſt forma qua ſubiectũ refertur, & qua refertur ad terminũ, tandẽ Quarto diſtingui poteſt entitas termini. V.g. in Patre, eſt ſubſtantia quę eſt ſubiectũ, potentia generatiua, quæ eſt fundamentum: entitas relationis quę eſt Paternitas: & quia media hac refertur ad filium, filius habet rationem termini. In filio ſimiliter eadem proportionaliter poſſunt diſtingui. Cum autem in illo & ſit entitas abſoluta ſubſtantiæ, & ſit etiam relatio filiationis, eſt in illo aliquid abſolutũ, & aliquid reſpectiuũ. Dubitamus ergo an relatio V.g. Patris terminetur ad abſolutũ, vel ad reſpectiuũ filij, terminetur (inquam) ad filium ſecundum aliquid abſolutum, an vero ſecundum aliquid reſpectiuũ: & vniuerſaliter, an relatio ſit ordo & reſpectus ad abſolutum, quod eſt in termino, an ad aliquid reſpe-

reſpectiuum in illo.

Dico ergo Primo, in relatiuis non mutuis, non poteſt eſſe dubium, terminari ſemper ad aliquid abſolutum (quicquid velint in oppoſitum Caiet. 1.p.q.13.ar.7.& Fōſeca.5. Meth.q.4. ſect.4. Probatur aperte. Primo, in termino relationis non mutuæ tantum eſt realitas abſoluta, non reſpectiua, quia terminus non refertur, ſed tantum terminat, & hoc eſt relationem eſſe non mutuā, ſi ergo terminus realiter non refertur, non habet relationem, ergo ſolum habet entitatem abſolutam, per quā terminet. Secundo, quia præter entitatē abſolutā termini, tantum poſſumus diſtinguere vel extrinſecā denominationem, à qua extrinſice terminus dicitur, vel relationem rationis, qua per intellectū mutuo refertur, ſed ad nihil horū præter abſolutā entitatem poteſt terminari relatio, terminabitur ergo ad abſolutū. Minorem probo, quia extrinſeca denominatio & eſt poſterior relatione reali (ideo enim terminus extrinſice denominatur talis, quia relatio realis terminata eſt ad ipſum) & nō habet ſufficientem entitatē, vt relationem realem terminare queat, cū relatio realis poſtulet terminum realē & actu exiſtentem, per quod etiā relatio rationis à ratione termini aperte excluditur.

Maior tamē dubitatio eſt de relationibus mutuis, quas terminari ad reſpectiuū volunt plures Authores. Sic Ferrara 2.contra gētes cap. 11. Nimphus.5.Meth.diſput.14. Deza Hiſpalenſis in 1. diſt. 30. q.1. Notabili.3.& ex Recētioribus nonnulli, videturq; expreſſa Ariſt. in hoc capite, dicētis, aſsignetur ſeruus hominis aut alicuius, & circūſcribatur ab homine, eſſe dominū, nō amplius ſeruus ad hominē dicetur, cū enim dominus non ſit, nec ſeruus eſt, hæc Ariſt. Vbi conſtat, relationē ſerui nō terminari ad abſolutum, quod eſt in Domino, nēpe eſſe hominem, ſed ad relatiuū formaliter, ſcilicet, eſſe Dominū, & D.Tho. 1.p.q.40. ar. 2. ad Quartū inquit, cū dicitur, quod relatiui eſſe eſt ad aliud ſe habere, per ly, *aliud*, intelligitur correlatiuū, quod non eſt prius, ſed ſimul natura, ergo neceſſario terminatur ad relatiuū vt relatiuū, vt ſic enim correlatiuū eſt & ſimul natura, nō vero ſecūdū abſolutū quod habet, quia ſecundum abſolutum non correfertur, & potius eſt prius natura, quam ſimul. Porphyrius etiā capite de ſpecie id docet, nā aſſerit ſe definiuiſſe genus

Digitized by Google

per ſpeciem, & ſpeciem per genus, quia ſunt relatiua, & vnum relatiuum debet definiri per aliud, non autem debet definiri per illud, niſi tanquã per terminum ſuæ relationis, ergo eſt terminus in quãtum relatiuum.

Ratione probatur. Primo, oppoſitio relatiua reperitur inter relatiua, vt relatiua ſunt formaliter, ſed mutua oppſitio relatiua dicit vtrãmq; rationẽ referendi, & terminandi, ergo vtrumq; officium exercent relatiua per relationes, & non per fundamenta abſoluta. Minorem probo, mutua & relatiua oppoſitio conſiſtit in hoc, quod relatiua mutuo ſe reſpiciant, & relationes ſint rationes mutuo ſe reſpiciendi, ſed mutuo ſe reſpicere, eſt quodlibet reſpicere aliud, & ab eo reſpici, ergo vtrumq; exercẽt, vt relatiua ſunt, at reſpici ab alio, eſt terminare relationem alterius, ergo officiũ terminandi exercet extremum, vt relatiuum eſt.

Secundo, quia ſequeretur, relationes diſquiparantiæ V. g. Paternitas & filiatio, immo quaslibet alias non eſſe ſimul natura: ſequelam probo, ſi Paternitas per te terminatur ad entitatem abſolutam filij, hęc eſt prior filiatione, quia eſt fundamentum abſolutũ illius, ergo & Paternitas erit prior filiatione ipſa, ac per conſequens non ſimul natura; conſequentia patet, quia poſito fundamẽto & termino ſtatim conſurgit relatio, ergo poſito Patre qui eſt fundamentũ, & entitate abſoluta filij, ſtatim cõſurgit relatio Patris, ac per conſequens prior eſt filiatione formaliter. Tertio, in diuinis relationibus relatio Patris non terminatur ad abſolutũ filij, neque e contra, relatiuum filij ad abſolutum Patris, ergo & in humanis. Conſequentia patet a paritate rationis: antecedens autem conſtat, quia ſecundum abſolutum non eſt diſtinctio realis in diuinis, quę tamẽ requiritur ad relationẽ realem.

Poſterior tamen ſentẽtia, & probabilior eſt: In relationibus mutuis formalem rationẽ terminandi non eſſe relationẽ oppoſitã, ſed aliquam rationem abſolutam, quæ eſt fundamentum formale oppoſitæ relationis. Hanc ſententiam tenet Scotus in 1. diſt. 30. q. 1. vbi Liquetus, & alij Scotiſtæ idem ſentiũt, & eam plane ſequitur Capreolus. q. 1. ar. 2. ad tertiũ. Sonzinas. 5. Meth. q. 30. ad ſecũdum: innuit etiã aperte ſatis Sotus cap. de ſpecie, & Frãciſcus Suarez eam acurate tuetur & explicat. 2. tomo

Meth.

Digitized by Google

Meth. diſp. 47. ſect. 16. per totam. Immo exiſtimo neceſſario omnes fere Philoſophos in re huic ſententiæ debere ſubſcribere, eſt enim commune eorum placitum, & axioma, poſito fundamento & termino reſultare relationē prædicamentalem, & non aliàs, ergo prius eſt poſitio termini, quam relatio prædicamentalis, ergo terminus vnius relationis non poteſt eſſe alia relatio, probo hanc vltimam conſequentiam. Primo, quia relationes mutuæ ſunt ſimul natura, ergo vna non antecedit aliam. Secundo, quia vna relatio non conſurgit ex poſitione alterius, illa enim particula, *ex*, dicit anteceſsionem naturæ & originis, vna autem relatio nō ducit originem ex altera, neq; antecedit natura, vt dicebamus, ergo cum dicitur, relationem reſultare, poſitis fundamēto & termino, ſenſus indubitatus eſt, poſitionē fundamenti & termini antecedere, ſed quod antecedit eſt abſolutum, ergo ratio formalis terminandi eſt aliquid abſolutum. Secundo, ſimilitudo huius V. g. albedinis illam refert ad id cui ſimilis eſt, ſed albedo non eſt ſimilis ſimilitudini alterius albedinis, ſed ipſi alteri albedini, ergo ad illā refertur per relationem, ſed id ad quod refertur eſt terminus, ergo terminus relationis albedo eſt, non ſimilitudo. Quod in relatione diſsimilitudinis confirmatur vrgentius; homo & equus dicunt inter ſe relationem diuerſitatis, ergo vnū terminatur ad aliud, vt diuerſum in natura, at non ſunt diuerſi in relatione ipſa diuerſitatis, quia hæc eſt eiuſdem rationis in vtroq;, ſed in ratione ſpecifica & abſoluta ſubſtantiæ, ergo ad ſubſtantiā abſolutam alterius terminatur relatio diuerſitatis. Confirmatur, Pater reſpicit ſuum filium vt effectum à ſe productum, ſed ipſa entitas abſoluta eſt quæ à Patre producta fuit, nō autē filiatio, hæc enim nec per ſe producitur, nec à Patre, ſed ab ipſa entitate filij reſultat, ergo terminus relationis eſt quid abſolutū. Tertio argumētor ex paritate rationis relationis mutuæ, & nō mutuæ, quia in ratione terminādi, ita verè ac eodē modo terminat relationem ſui correlatiui terminus relationis mutuæ & non mutuæ: licet enim in relatiuis mutuis ſit relatio in vtroq; extremo, vna non tendit in aliam formaliter, ſed ſimul & concomitanter vna tendit in ſubiectum ſeu fundamentum alterius, & è conuerſo. Hoc aut. probo.

Primo

Primo:ſi per impoſsibile præter entitatem abſolutam genitam non reſultaret in filio filiatio,vere qui genuit eſſet,& diceretur Pater , quia ad hoc quod filius terminet præciſſe, non requirit relationem. Ratio autē quaſi à priori huius eſt , quia vt ſubiectum referatur,requirit realem relationē, quia referri realiter , ſeu eſſe ad aliud , aliquid reale eſt ſuperadditum abſolutę entitati,ad terminandum autem impertinens eſt in termino aliqua relatio realis , quia hoc quod eſt terminare formaliter , eſt tantum denominatio extrinſeca, conueniens termino,non ex hoc quod ipſum ſit ad aliud,ſed ex eo quod aliud ſit ad ipſum. Quod explico in potentia V.g.viſsiua, quæ ad videndum actu parietem,requirit actum videndi, qui eſt aliquod accidens reale ſuper additum , paries autem vt videatur, neque aliquid de nouo ſuperadditum requirit, neq;acquirit.Sed ſecūdo probatur aſſumptum illud tertij argumenti ,ſcilicet in relatione mutua,non poſſe eſſe relationē rationem terminandi. Patet , quia relatio eſt forma faciens, vt ſubiectum in quo eſt ſit ad aliud,& totum ſuum eſſe eſt,ad aliud eſſe , ſed eſſe ad aliud eſt eſſe ad terminum,nō vero eſſe terminum , ergo in toto eſſe relationis nō eſt ratio terminandi. Quarto, ſi relatio eſſet ratio terminandi in filio,V.g.ſequitur quod in Beatiſsima Virgine non ſit relatio matris ad Chriſtum : patet , quia ſi ratio terminandi in filio eſt relatio,cum ſecundum ſententiam S. Thom. in Chriſto Dño nō ſit realis relatio filiationis ad matrē,non erit in illo ratio terminandi, ſed ſi in filio non eſt aptitudo ad terminandum,non poterit eſſe in matre relatio ad illum, aliàs daretur relatio ſine termino , quod eſt impoſsibile. Oppoſita ergo ſententia reijcienda eſt , & hæc vt omnino probabilior amplectenda.

Pro ſolutione argumentorum, & ampliori huius ſententiæ explicatione. Notādū eſt, quod in relationibus mutuis licet terminus formaliter ſit quid abſolutum,debet tamen eſſe fundamentaliter reſpectiuum,debet enim fundare relationem aliam,per quam itę rato reſpiciat ſuum correlatiuum , in quo diſtinguitur à termino relationis non mutuæ.Hinc eſt,quod cum relatio ſerui ad dominum ſit ex ſua natura relatio mutua, ſeruus non referatur ad hominē vt ſic,ſed ad hominem vt fundamentum eſt relationis dominij,

minij, & ita ſi homo non eſſet Dominus, nõ referretur ſeruus ad illum, quod voluit Ariſt. loco ſupra citato.

Notandũ Secũdo eſt, quod in oppoſitione relatiua mutua, aliud requiritur ex vi oppoſitionis relatiuę, aliud ex vi mutuæ. Ex vi oppoſitionis relatiuę, ſolum requiritur ordo ſubiecti ad terminum abſolutum, & quod ſubiectũ media relatione reſpiciat, terminuſq; ſecundum ſuum eſſe abſolutum quaſi in actu ſecundo reſpiciatur, denomineturq; extrinſeca denominatione terminus. Ex vi vero mutuæ, vt ſic, requirit aliud (vt ſic dicam) reſpicere, & reſpici, ideſt quod extremum quod antea erat terminus, media alia relatione actiuè reſpiciat, & extremum aliud, quod reſpiciebat, nunc per abſolutam entitatẽ quæ antea erat ratio fundãdi, reſpiciatur. Itaq; in relatione mutua ſicut ſunt duæ relationes, ſic ſunt duæ oppoſitiones relatiuę, & duo (vt ſic dicam) reſpicere, & duo reſpici, reſpicere relatione exercetur, & relatio eſt ratio huius reſpectus actiui: reſpici vero medijs entitatibus abſolutis, ita vt id, ꝙ in vno quoq; termino eſt ratio fundandi propriam relationem, ſit ratio terminandi alteram correlationem.

Iam ergo facile argumenta ſolues. Ad Ariſt. iã diximꝰ, ad D.Tho. Reſp. loqui de relatiuis mutuis, in quibus vnũ extremũ referẽ ad correlatiuũ, ꝙ in ratione correlatiui eſt ſimul natura; hęc autẽ loquutio ſumenda eſt ſpecificatiuè, nõ vero reduplicatiue, & formaliter, ſatis enim oſtenſum eſt, (pręcipue ſecundũ ſentẽtiã S. Tho. qui relationẽ realẽ Matris ponit in Virgine, non tamen relationem realẽ filiationis in Chriſto ad illam) relationem formaliter non eſſe rationem terminãdi. Quomodo autem intelligendum ſit, vnũ relatiuum debere definiri per aliud, vt ſic fiat ſatis Porphirio, ſtatim dicendum eſt. Ad primã rationẽ Reſp. quãlibet oppoſitionem relatiuam etiã nõ mutuã, exercere vtrãq; rationẽ referẽdi & terminandi, nõ tamẽ vtrũq; per relationẽ, in relatiuis autẽ mutuis duplicatur oppoſitio relatiua, ita vt reſpicere duplicatũ per relationẽ exerceatur, duplicatũ autẽ terminare per entitates abſolutas; vnde negamus ꝙ relationes ſint rationes mutuo ſe reſpiciendi, ſi nomine mutui reſpectus, intelligãt reſpicere, & reſpici, ſi vero nomine reſpectus mutui intelligatur mutuus reſpectus actiuus, fatemur per relationem mutuo ſe reſpicere, ex hoc autẽ non cõſtat terminari ad abſolutum.

Ad

Digitized by Google

Ad Secundum argumentũ Reſpondetur negando ſequelam, ad probationem autem dicendum eſt, entitatem abſolutam filij priorem eſſe natura Paternitate, & filiatione, filiatione quidem, quia eſt eius fundamentum, Paternitate vero quia eſt eius terminus: & id ſonat poſito fundamento & termino conſurgere relationem, prius enim natura eſt id aquo aliquid conſurgit, quam id quod conſurgit; vnde ex productione illius entitatis abſolutę ſimul conſurgit vtraq; relatio Paternitatis & filiationis, illa enim, conſequitur entitatem filij, vt terminũ, hæc, vt fundamentum.

Ad Tertiũ (quod excedit vires Logicas) Reſp. ex relationibus diuinis non poſſe deſumi conueniens argumentum: tum, quia omnino diuerſæ rationis ſunt, dicuntq; in creatũ aliquid & infinitum: tum etiã quia illę ſubſiſtentes ſubſtantiales & identificatæ cum abſoluta eſſentia diuina ſunt. Vnde ſicut relatio eſt idem cum ſuo fundamento, ita cum abſoluto alterius relationis, & ideo nihil eſt abſolutum in diuinis, ad quod terminari poſſint, quia cum omni (vt ſic dicam) abſoluto identificantur, ſecus eſt in creatis. Ex dictis ſequitur reſolutio Dubij illius, an ſcilicet, vnum relatum debeat definiri per aliud. Reſpondetur enim debere definiri per illud, vt terminat, ac proinde vt abſolutũ eſt; quod probo. Primo, quia ſeparata relatione filiationis in termino, dummodo in illo intelligas ſubſtantiam genitam à Patre, intelliges vere Patrem, & conſequenter vere illum definies. Secundo & vrgentius, quia ſi accedat ignorans homo quid ſit Pater & filius, inquiratq; à te quid eſt Pater? ſi illum per correlatiuum definis, dicens, Pater eſt qui genuit filium, cum ille non cognoſcat, quid ſit filius, & hoc inquirat: ſi dixeris, filius eſt id cuius eſſe eſt ad Patrem, cum ille nondum cognouerit quid ſit Pater, (quia ad cognitionẽ definitionis Patris inquirebat quid ſit filius) perdes operam, ac proinde hæc definitio nomine ſolum erit definitio, non re, cum per eam non habeatur notitia definiti, quod inconueniens vitares, ſi Patrẽ per abſolutum termini definires ſic. Pater eſt qui genuit ſubſtantiam viuentem in eadẽ natura.

Tertio, quia Ariſt. 6. Topicorum cap. 1. loco. 21. probat, Solem non recte definiri per diẽ, ſic; Sol eſt ſtella apparẽs in die: ratio autem quare hæc defini-

definitio nō recta ſit, eſt, quia dies per Solem definitur. eſt enim dies latio Solis ſuper terram, & ita Sol per ſe ipſum definiretur, nam loco termini alicuius in definitione poſiti, licet ſumere eius definitionem, ſi ergo definieris Solem per diē, ſume definitionē diei, & facies ridiculam definitionem Solis ſic, Sol eſt ſtella apparens in latione Solis ſuper terram, ergo nō poteſt vnum relatiuum definiri per aliud formaliter ſumptum; ſi enim definias Patrem per filium ſic, Pater eſt qui eſt ad filiū, loco filij ſumā eius definitionem, dicamq; Pater eſt, qui eſt ad illum cuius eſſe eſt ad Patrem, ex quo, & idem per ſe ipſum definietur, & circulus committetur, ſemperq; manebit ignota natura definiti, cum ipſum definitum intret ſuam definitionem, ad quod explicandum ſemper requiretur alia & alia definitio. Reſpondent recentiores, quod cum dicitur loco nominis in definitione poſiti, licere definitionem eius ponere, intelligendum eſt, de eo quod eſt pars intrinſeca definitionis, nō vero de illo quod eſt tanquam additamentum extrinſecum, & quia relatiuum ponitur in definitione alterius tanquam additamentum extrinſecum, non licet eius loco definitionē conſtituere. Sed hæc ſolutio omnino falſa eſt, in hac enim definitione Pater eſt qui eſt ad filium, certum eſt, relatiuū poni tāquam præcipuā partē definitionis, ponitur enim loco differentiæ, aliás ſi ſolum eſt additamētum extrinſecū, auferatur, illo autem ablato, quęnamquęſo definitio manebit, cum ſolum maneat *Pater eſt, qui eſt*? Secundo, quia relatio ſpecificatur à termino, terminus ergo ſi ponitur vt ſpecificans, non debet cenſeri vt additamentum extrinſecum. Tertio, quia ſiue ſit additamētum, ſiue non ſit, cum ad cognoſcendam naturam definiti, oporteat cognoſcere terminum per quem definitur, eius definitio per quam cognoſcitur, non ſolum impedire non debet, ſed potius conducere, falſo igitur tam in hoc dubio, quam in pręcedenti ſentētiá, loquuti ſunt Recentiores. Dices, ergo relatiua non ſunt ſimul cognitione, quod eſt contra Ariſtotelem aſſerentē hic, quod qui definite cognoſcit vnum relatiuum, definite cognoſcit aliud. Reſpondetur Primo, definite debere cognoſci aliud non formaliter, ſed vt terminat: vel Secundo dicuntur ſimul cognitione & definitione, nō quod vnū per aliud defi-

definiatur, ſed quia adeo connexa ſunt, vt vnius cognitione & definitione habita, facillimo negotio poſsit definitio alterius haberi: qui enim ſcit Patrem eſſe, qui genuit ſubſtãtiam viuentem in eadem natura, facile etiam cognoſcet, filium eſſe ſubſtantiam, quæ ab alio eiuſdem naturæ genita eſt.

Sed quid dices ad Porphirium ſupra relatum, definientem genus per ſpeciem? Reſpondet Burleus, erraſſe Porphirium. Fonſeca vero, illas non eſſe perfectas definitiones, ſed imperfectas deſcriptiones. Quodlibet autẽ horũ concedam facile. Tandẽ aduerto, quod Ariſt. 6. Topicorum, loco. 17. poſtquam dixit, non recte aliquid definiri per id quod eſt ſimul natura, excepit relatiua, hæc tamen exceptio referẽda eſt ad primã regulam, quam tũc tradebat, ſcilicet, nihil eſſe per oppoſitum defininiendum; à qua regula relatiua excipiũtur, quia inter terminum etiam ſecundum eſſe abſolutum, & alterũ extremum quod refertur, eſt oppoſitio relatiua, vt dixi.

QVÆSTIO. II.

Utrum Relatio ſpeciem, & indiuiduationem ſumat à termino, an, a fundamento, vbi de diſtinctione, in, & , ad, Relationis.

RAtio dubitãdi in hac quęſtione circa relationis ſpecificationem poteſt vrgẽter deſumi, ex eo, ꝙ ex vna parte nihil videtur eſſe aliud, à quo ſumi poſsit hæc ſpecificatio, quam fundamentum aut terminus, vt per ſe patet: ex fundamento autem ſumi non poteſt, quia in eadem omnino entitate fundantur relationes ſpecie differentes, vt in eadem albedine relatio ſimilitudinis cum alia albedine, & diſsimilitudinis cum nigredine; ergo cum hic ſit duplex relationis ſpecies, & non duplex fundamentum, ſpecificatio relationis non poterit ſumi à fundamento; ſed neq; à termino, patet, quia ad eandẽ etiam albedinem terminãtur

relatio

relatio ſimilitudinis alterius albedinis,& alterius nigredinis diſsimilitudo,ſi ergo tantum vnus eſt terminus, & duplex ſpecie relatio, non ſumetur à termino. Tandem,neq; ab vtroq;ſimul,quia ſi ab vtroq; , ergo in duplici relatione ſpecie,deberēt eſſe duo termini & duo fundamēta,at in prædictis id nō reperit,ergo, &c.

Dico tamen Primo, in hac quęſtione.Licet ſpecies relationis quaſi initiatiue ſumat̄ à fundamento,ſumitur tamen completiue à termino formali, non materiali. Explico & probo ſimul cōcluſionē, quia vt iam dixi,fundamentum V. g. filiationis,ſcilicet ſubſtātia genita habet fundare hanc ſpeciē relationis filiationis, albedo etiam petit fundare relationem ſimilitudinis aut diſsimilitudinis reſpectu diuerſorum terminorū; itaq; ex hoc quod ſit tale fundamētum, talium capax relationū V.g.ſimilitudinis aut filiationis,non vero diuerſitatis, aut æqualitatis, &c. dicitur ſpecies relationis, initiatiue ſumi à fundamēto. Quod alij explicant dicentes, fundamentum eſſe quaſi initiū reſpiciēdi diuerſum terminum,vt patet in Petro filio,in quo ſubſtātia genita eſt quaſi initiū reſpiciendi Patrē, quia in illa vt ſic fundatur relatio filiationis, quæ eſt ad patrē,albedo etiā in eo poteſt dici initiū relationis ſimilitudinis,aut diſsimilitudinis,quia relatio quę in illa fundatur, terminū ſimilē aut diſſimilem debet reſpicere,& ſic de alijs.Sumitur tamē cōpletiue à termino formali, ideſt à diuerſo modo reſpiciendi terminū materialē, qui diuerſus reſpiciēdi modus licet aliquādo ad eundē realem & materialem terminum terminetur, terminatur tamen ad illum ſub diuerſa ratione formali. Concluſionē hanc ſufficiēter probat ratio dubitādi: relatio enim albedinis reſpicit diuerſo modo albedinem, & diuerſo modo nigredinem, & in albedine eſt quaſi initiū huius diuerſi reſpectus, poteſt enim ſecūdum diuerſas rationes fundare ipſas relationes, ſcilicet ſecūdū quod dicit vnitatē, aut diuerſitatem ſpecificā fundamentalē, modo ſæpe explicato. Ex quo ſequitur, poſſe terminare alias relationes, quę diuerſo modo illā reſpiciūt, quia id ꝙ eſt fundamētū vnius relationis, terminus eſt alteri9, vnde nō oportet ꝙ multiplicentur realiter fundamēta & termini, ſed tantū formaliter, ſpecificatio enim formaliter reſpicit vt ſic illos, & ab illis ꝓpriè ſumitur. 2. Probatur,

batur, quoniam relatio per vtrumq; debet definiri quidditatiue ſeu ſpecifice, ac per cōſequens aliquo modo ab vtroq; ſpecificatur.

Sed cōtra obijcies Primo, ergo filius duplici relatione ſpecie diuerſa refertur ad Patrem & ad Matrem, quæ in ratione principij generationis ſpecie differūt, cum Pater ſit principium actiuum, Mater vero paſsiuum tantū. Reſpondetur, quod ſi ſecundum Ariſt. ſententiam primo de generatione animalium. c. 2. & lib. 2. cap. 4. ſentiamus, Matrē tantum paſsiue cōcurrere, in filio erit duplex filiationis relatio ſpecie diuerſa, quia vt optimè docuit S. Thom. 1. p. q. 32. ar. 20. Relationes diſtinctę ſecundum ſpeciem, nō poſſunt ad eandem relationem ſpecie terminari. Vnde cum relationes Patris & Matris in hac ſententia ſint diuerſæ ſpeciei, debet in filio terminante eſſe alia duplex ſpecie relatio. Hæc ſolum eſt differētia, quod relationes Patris & Matris ſunt realiter diſtinctæ, quia habent fundamenta realiter diuerſa, relationes autē filij licet ſint ſpecie diuerſæ, ſunt tamen idem realiter, & hoc tantum vult S. Tho. quando 3. part. q. 35. art. 5. duplicē filio relationem negat, intelligę realiter diuerſam. Si vero cum Galeno lib. 4. de vſu partium, & lib. 2. de ſemine, Matrem etiam actiue concurrere opinemur: Dicendum eſt, quod licet in Patre & Matre ſint diuerſæ relationes numero differentes, quia ſunt duo ſubiecta diuerſa numero, in filio tamen tantū eſt vnica quaſi ſe extendens ad Patrem & Matrē, illaq; per modū vnius principij totalis & adæquati reſpiciens, quia indiuiduatio relationis ſumitur à ſubiecto, vt dicam iam.

Sed contra Secundo, relatio, quamuis præſcindatur, dicit eſſentialiter ordinem ad ſubiectum, quia accidens & modus eius, qui eſt eſſe, *in*, includitur in vltimis differētijs omnium nouem accidentiū, ergo etiam in quantum relatio, dicit ordinem ad ſubiectum, & ſpecificatur ab illo, ac per conſequens non tantum à termino completiue, ſed etiā à ſubiecto ſumet ſpecificationem, quia in gradu illo etiam completiue ſumpto, includitur ordo ad ſubiectum.

Argumentum hoc petit, vt explicemus breuiter.

Vtrum

Digitized by Google

Utrum eſſe, in, includatur in eſſe, ad, Relationis.

Ideſt, vtrũ eſſe in alio, quod dicit aptitudinalem inhęrẽtiam, includatur in eſſe, *ad*, quod eſt modus proprius conſtitutiuus relationis.

Dico ergo Secundo. Eſſe, *ad*, includit eſſe, *in*, quod *eſſe in*, incluſum in relatione non eſt abſolutũ ſed reſpectiuũ. Duo continet hæc concluſio. Primũ probo: eſſe, *in*, eſt modus intrinſecus, conſtituens accidens prædicamentale, vt diſtinguitur contra ſubſtantiã, & accidens vt ſic, rationes vltimas omnium accidentaliũ prædicamentorum tranſcendit, ergo cum relatio ſit vere accidens prædicamentale, includitur in eius vltima differentia ratio prædicamentalis accidentis, ac perconſequens, *eſſe in*. Secũdo, ens per ſe & in alio, ſunt modi adæquatè diuidentes ens, ſed, *eſſe ad reale*, vt eſt modus intrinſecus relationis, non eſt nihil, ergo aliquid habens rationẽ modi, non habet rationem eſſendi per ſe, ergo eſſendi in alio.

Secundum, ſcilicet tale eſſe, *in*, non eſſe abſolutum, ſed reſpectiuum. Probatur, quia quæſtione de eſſentia accidentis dixiſſe memini, *eſſe in*, abſtrahere vt ſic, à relatiuo & abſoluto, & in hoc abſolutũ, in illo vero eſſe reſpectiuum. Quod explico & probo rurſus, conceptus vltimus generaliſsimi relationis dicit neceſſario, *in*, &, *ad*, ergo ſi, *eſſe in*, eſſet abſolutum, cum, *eſſe ad*, ſit reſpectiuum, differentia vltima & formalis eius componeretur ex abſoluto & reſpectiuo, ac per conſequens non eſſet vnum per ſe. Immo cum gradus vltimus debeat dicere rationẽ vnam, ad idẽ prædicamentũ pertinẽs ad lalatus, hoc non poteſt cõuenire reſpectu relationis abſoluto & reſpectiuo ſimul, immo rurſus in ratione relatiui, vt relatiuũ, includeretur abſolutũ, quod implicat, & in illo etiam abſoluto, vt abſoluto (quia per te eſt abſolutum adhuc in vltimo conceptu relationis) eſſet ratio relatiui, quod non implicat minus. Hoc autem ſic recte explicatur, ſi dicamus, *eſſe ad*, includit, *eſſe in*, ideſt, relatio dicit reſpicere terminũ in ſubiecto, ſeu eſſe in ſubiecto reſpiciendo terminum.

Ex quo ſequitur, relationẽ ex ſe habere realitatem ſicut

alia accidentia, ac proinde ex natura rei diſtinctā à fūdamento, vt probaui; dicitur tamen ab aliquibus ſumere realitatē à fundamēto, nō vero à ſubiecto aut termino, quia poteſt eſſe quod exiſtenti ſubiecto reali, relatio ſit rationis, vt patet in relationibus generis & ſpeciei, quarū ſubiecta ſunt naturæ reales, & tamē illę relationes rationis ſunt; & poteſt etiā eſſe, quod exiſtēte termino reali, relatio rationis ſit, qualis eſt relatio creatoris in Deo, quæ terminatur ad terminū realē, ſcilicet ad creaturam; exiſtēte tamen fundamēto reali, quod aliquid reale ponat in vtroq; extremo, ſtatim relatio realis eſt. Hæc tamen explicatio mihi videtur falſa, quā eiſdem exēplis quæ illā videtur probare, reprobo ſic; quia in relatione Creatoris ad creaturā vere & realiter eſt fundamentū relationis, ſcilicet Omnipotētia, & etiā eſt fundamentū reale in creaturis, & tamen nō cōſequitur relatio, non quia nō ſit fundamentū, ſed quia Deus non eſt capax illius relationis, neq; eiuſdē ordinis cū termino; naturę etiā reales eo modo quo dicuntur ſubiecta relationis generis & ſpeciei, eo dicūtur fundamentū, immo hoc proprius & cōmunius, quā illud. Vnde dicitur, relationes tales habere fundamentū in re, dicitur ergo, quod realitas relationis ſumitur à fundamento, quia habet exiſtentiā depēdentē ab illo, quaſi præcipuè & immediate, videmus enim, fundamento nō exiſtente, neq; relationem ipſam exiſtere. Dixi quaſi pręcipue & immediate, quia licet vere illā etiā habeat à ſubiecto & termino, tamē quia præcipua cauſa & requiſitū inter alia eſt fundamētū, quo medio in ſubiecto eſt, ideo ab illo dicitur præcipue relatio habere ſuā realitatē, ſiue exiſtentiā, vt explicui. Sed hęc queſtio de nomine eſt. Vnde parum vtilis.

Vnde iā ad argumentū, fateor, in vltimo conceptu relationis includi, *eſſe in*, & ordo ad ſubiectū, ac per conſequēs etiā ab illo ſumere ſuā ſpecificationē, quaſi tranſcēdentaliter, ſed quia hoc eſt cōmune illi cū omnibus alijs accidenbus, quod etiam in ſua vltima ratione id habeāt, & petāt, nō explicamus niſi id quod in hac vltima ratione eſt illi peculiare, ſcilicet ordo ad terminū: & certe ea quę hìc aliqui multiplicant, nihil aliud volunt, aut explicant, quam hoc.

Si vero de indiuiduatione ſit ſermo (Scoto & eius ſectatoribus relictis, qui cenſent, à ſolo termino ſumi, & ita in Patre habēte plures filios, plures

etiam

etiã eſſe numero relationes.) Dico.3.cũ S.Tho.3.p.q.35.ar. 5.citato, cũ Caiet. ibidem, & Medina etiã, Sózin. 5. Meth. q.32. vnitaté numericam rela tionis à ſubiecto, & nõ à termino ſumi. Vnde quia plures (inquit S. Tho.) formę eiuſdẽ ſpeciei nõ poſſunt ſimul ineſſe eidẽ ſubiecto, nõ eſt poſsibi le, quod ſint plures Paternita tes in eo qui eſt Pater pluriũ filiorũ generatione naturali. Ex quo deſumitur fundamentũ hui9 ſentẽtię, duo accidẽtia ſolũ differẽtia numero nõ poſſunt eſſe in eodẽ ſubiecto, nã vel eſſent diſtincta formaliter, aut materialiter, non primũ, quia ſunt eiuſdem ſpeciei; vnde tantũ differũt per differẽtias materiales, non ſecundũ, quia accidẽtia indiuiduãtur à ſubiecto, quod habet vicẽ materię, ergo duo indiuidua accidentiũ duo petẽt ſub iecta indiuidua, ac per conſequens, in eodem numero ſubiecto nõ poterunt eſſe duo diuerſa tãtũ numero accidẽtia.

Sed Reſpondẽt aliqui, hãc maximam eſſe veram in accidentibus omnino abſolutis, nõ vero relatiuis, quæ vt ſic di cunt ordinẽ ad terminũ. Contra argumẽtor: quia in illo vltimo ordine & reſpectu, vltimaq; differẽtia relationis, iam dixi, neceſſario & eſsẽtialiter includi ordinẽ ad ſubiectũ, & dicere, *in*, ergo ſi in accidẽtib9 quę reſpiciũt ſubiectũ, in vno & eodẽ ſubiecto numero non poſſunt eſſe plura accidentia numero, & relatio adhuc ſecũ dũ vltimã rationẽ ſubiectũ reſ picit, non poterunt eſſe plures relationes numero in vno & eodem numero ſubiecto.

Sed R. adhuc, nõ indiuiduari à ſolo ſubiecto, ſed etiã à termino, quia dicit eſſe in ſubiecto, reſpiciẽdo terminũ, & reſ picere terminũ ĩ ſubiecto. Cõ tra argumẽtor: ergo ſi à ſubiecto & termino ſimul: duo accidẽtia numero petẽt duo ſubiecta, & duos terminos, ergo in vno & eodem ſubiecto adhuc non eſt ſufficiens ratio duarũ indiuiduationũ, etiã ſi ſint plu res termini. Verum eſt, diciq; poſſet, quod quęuis actio ſeu generatio per quã diſtinctus numero producitur termin9, ſufficiens erat ad hoc, quod re ſultaret diſtincta numero rela tio, ſi ſubiectũ (vt ita dicã) non eſſet impeditũ præexiſtẽti. Itaq; quãuis ſecũda generatio nouã paternitatẽ cauſare poſſet, impeditur, quia inuenit quaſi occupatũ locũ, & ita ſolũ cau ſat, ꝙ Paternitas præexiſtens extẽdatur ad nouũ filiũ. Sicut per primã demõſtrationẽ acquiritur V.g. habitus Logicę, ꝑ ſecũdã vero nõ ꝓducitur aliusdiſtinct9, q̃a alias tot habe ret quis ſpecies Logicæ, quot

habet demõſtrationes;ſed tãtum præexiſtens perficitur,extenditq; ſe ad faciliter & ſine errore operandum circa materiam ſecundæ demõſtrationis. Ita quando generatur ſecundus filius, Pater habet relationem extendentem ſe ad id,ad quod non extendebatur prius defectu termini, & ita quando ſecundus filius corrũpitur,tantum corrumpitur illa quaſi extenſiua perfectio.Sicut etiam in habente habitũ ſcientiæ extenſum ad duas cõcluſiones,quando vna obliuione corrumpitur,non corrumpitur habitus, ſed manet minus extenſus: de quo in libris poſteriorum;Per quod ſoluuntur plura.Et manet etiam pręcipue ſolutum, id quod communiter obijci ſolet, pereunte termino, perit relatio; ſed vnus filius erat terminus relationis Paternitatis, illo ergo pereũte,perit Paternitas:maior enim tantum eſt vera, de termino totali & adęquato.

III. PARS DISP.

De Generaliſsimo huius Prædicamenti, & de Proprietatibus Relatiuorum.

EXplicatis his quę ad cognitionẽ fundamenti & termini relationis requirebant,oportet iã in hac tertia diſputationis parte, de ipſa relatione differere. Cõſurgat ergo huius diſputationis tertia Pars, de ipſa differens relatione, ſiquidem prima quæ de fundamento differebat, & ſecunda, quæ agebat de termino,iam ſunt explicatæ.

(?)

QVAES-

QVÆSTIO. I.

An ſit aliquod Generaliſsimum huius Prædicamenti, Quod, & an tantum vnum.

OMnia quæ in titulo quæſtionis expreſsi, peculiarem continēt difficultatē, & quidem circa Primū, an ſit, Stoyci, vt Zeno & alij (teſte Boeci. Alb. Mag. hic,) relationē exiſtimarūt, non conſtituere aliquod ſpeciale genus entis, vel prędicamentū, ſed ſeſe cum omnibus alijs prædicamētis cōfundi & commiſceri; & quidē ſententia hæc, quatenus aſſerit nō eſſe aliquod genus generaliſsimū, probari poteſt vrgēti argumēto ſic. Si aliquod eſſet genus illius, maxime relatio ſecūdum eſſe, vt fatētur omnes Philoſophi, ſed hæc non, ergo. Minorē probo, genus nō tranſcendit rationē ſuarum differentiarū, quia genus extra differētias eſt, at illam tranſcendit relatio, ergo genus eſſe nō poteſt, conſequētia euidens eſt cū maiori, minorem probo. Primo ex Ariſt. 6. Topicorum lo. 44. vbi differentias eorū quę ſunt ad aliquid, docet etiam eſſe ad aliquid. Secūdo probatur ratione: Relatio ſecundū totū ſuum eſſe, eſt ad aliud, at differētiæ partes ſunt huius eſſe, ergo ſecundū illas etiā eſt ad aliud. Tertio, iſtæ differētiæ relationū, vel ſunt abſolutum vel reſpectiuū, non abſolutum, quia reſpectiuum non conſtituitur per abſolutū, ergo reſpectiuū, ergo ad aliud; tranſcendūtur ergo à relatione in cōmuni. Cōtra hos ergo, & ſimul ſecūdæ Parti quęſtionis reſpōdēs.

Dico Primo, Datur genus generaliſsimum relationis, quod eſt relatio ſecundū eſſe (exclude ſecundū dici) *realis* (exclude relationes rationis), *accidētalis* (exclude relationes diuinas quæ nō ſunt accidētia,) quod genus relationis diſtinctū genus entis ab alijs eſt. Et quidē quod detur peculiare genus entis; probatur. Primo ex Ariſt. Platone, Academicisq; ac Peripateticis omnibus, quibus ſubſcribit D. Aug. 5. de Ciuitate cap. 11. & 12. Alber. ille Magnus. 1. p. ſummæ, tract. 13. q. 52. & D. Tho. 1. p. q. 28. art. 1. & 2. & de potētia q. 7. art. 8. & 9. & fere alij innumeri.

Probatur Secundo: particulares modi eſſendi conſtituūt

Digitized by Google

quaſi connotat, & innuit träſcendentalem quendam ordinem ad formam.

Secunda differẽtia eſt, ꝙ relatiua ſecundú eſſe, ſunt ad aliud tanquã ad terminũ, ex cuius poſitione cõſurgũt. Vnde non exiſtente termino nõ eſt relatio: at relatio ſecũdũ dici reſpicit non vt pure terminũ, ſed ſub aliqua alia determinata ratione vel ſubiecti, vel obiecti, vel finis, cuius tamẽ exiſtẽtiã ex vi huiꝰ relationis neceſſario nõ requirit, quia & ſi non exiſtat ſubiectũ aut obiectũ: manet vt cõſtat in accidẽtibus, quæ ſunt in Sacramẽto Euchariſtiæ, quæ quidem etiã nõ exiſtẽte ſubiecto, manẽt cũ ordine ad illud, & potẽtia viſſiua, etiã ſi nullũ exiſtat viſsibile, dicit ordinẽ tranſcendentalẽ ad illud. Ex quo colligitur aperte, ordinem illũ nihil eſſe aliud, quã ipſam abſolutã entitatẽ, quæ talis naturæ eſt, vt ab alia, vel propter ſuã debilitatem, vel alia ratione, dependeat, qua abſoluta entitate ſalua, etiam ſi id à quo depẽdet non ſit, manet ſemper hic ordo, quod non reperitur in relatiuis ſecundum eſſe.

Obijcies. Motus & actio dicũt tranſcendentalẽ reſpectũ ad terminũ, illũq; reſpiciunt ſub pura ratione termini, & vnio Hipoſtatica dicit tranſcendentalẽ habitudinem ad Verbũ diuinũ, & tamẽ nõ reſpicit illud, niſi ſub pura ratione termini, vt 3. p. aſſeritur à Theologis, ergo hęc differẽtia nõ recte traditur. Reſp. relationẽ prędicamentalẽ reſpicere aliud vt pure terminũ, eſſe, circa illud nullũ aliud munus exercere, niſi reſpiciendi tantũ, hoc autem modo motus & actio non eſt purus reſpectus ad terminũ, quia nõ eſt habitudo ad terminũ, vt reſpiciẽdũ tantũ, ſed vt acquirendũ, cõſtituendũ in eſſe, aut producendũ. Vnio etiã Hipoſtatica, & eſtmodꝰ humanę naturę, & nõ ſolũ habet Verbũ reſpicere, ſicut relatio prædicamentalis, ſed realiter illi cõiũgit humanam naturã, & realiter attingit verbũ ipſum, tanquã alterum extremũ illius vnionis, à quo intime & realiter pẽdet, quãuis ſine propria cauſalitate, quam vt excludant Theologi, Verbum aſſerunt eſſe pure terminum huius vnionis.

Hinc oritur. 3. Differẽtia, ſcilicet reſpectũ prædicamentalem non eſſe à natura per ſe intentũ; & ideo vt ſupra dicebamus, nũquam per ſe actio terminatur ad illũ, ſed conſequitur, aut reſultat poſito fundamẽto & termino. Reſpectꝰ vero träſcendẽtalis ſæpe eſt per ſe maxime intẽtꝰ à natura, &

Digitized by Google

forma eſſentialiter illũ includens, fit per ſe primo: per calefactionem enim fit calor inhærẽs, in quo intime includitur trãſcẽdẽtalis reſpectus, & per actionem vnitiuam fit modus vnionis, neceſſario dicẽs trãſcendentalẽ habitudinẽ ad vnibilia, & ſic in multis alijs. Ratio autẽ eſt, quia cũ talis forma in proprio & ſpecifico cõceptu illũ reſpectũ includat, nõ poteſt ille reſpectꝰ minus eſſe per ſe intentus, aut minus per ſe fieri, quã ipſa forma, cũ actio & intẽtio agentis per ſe tendat ad formã vſq; ad ſpecificam rationem illius. Adde, quod relatio pura & prædicamentalis nunquam eſt principium agendi; ſicut enim nunquam per ſe fit, ita nunquã per ſe agit, forma vero, reſpectum tranſcendentalẽ dicens, ſecundum illum ſæpe eſt principiũ per ſe agendi, vt patet in ſciẽtia, potentia, & ſimilibus.

Ex quo fit, relationes trãſcẽdentales poſſe diuagari per omnia genera entium, vt conſtat ex dictis: relationem vero prædicamentalem conſtituere peculiare genus entis, ſolas illas relationes complectens, quę in peculiari modo pure referendi, ſeu pure reſpiciendi terminum, ſub ratione termini, inter ſe conueniũt, & ab alijs diſtinguuntur.

Ad argumẽtũ ſupra factũ R. differẽtias relationis eſſe quid incompletum in genere relationis; generaliſsimum autẽ huius prædicamenti dicit relationem completam, ſicut generaliſsimum ſubſtantię dicit ſubſtantiam completã, & non tranſcendit differẽtias, etiam ſi differentiæ ſubſtãtiæ ſint: & ita intelligendus eſt Ariſtot. differentias eſſe ad aliquid, id eſt tanquam aliquid incõpletum pertinere ad prędicamẽtum relationis; de quo in ſimilibus ſatis capite de differentia, & capite de ſubſtantia; dictũ eſt.

Illud autem quod inquiritur Tertio. An ſcilicet genus ſit vnum, reddit difficilẽ hoc argumentum. Relatio non poteſt eſſe ſine termino, cum totum ſuum eſſe ſit ad aliud, ergo relatio in communi, huius prædicamenti generaliſsimũ, habebit terminum communẽ ſibi proportionatũ, qui quidem terminus vel eſt alia relatio, vel certe in termino illo reſultabit relatio, quę etiã ſit proportionata, & æqualis alteri, ac proinde neutra alteri ſuperior, ac rurſus vtraq; generaliſsima.

Hoc tamen non obſtante, Dico. 3. Genus generaliſsimũ huius Prędicamenti tantũ eſt vnum. Probatur Primo, quia

alias

alias darentur vndecim gene ra entium rei, quod eſt cōtra Ariſt. ſi enim duo ſuprema genera relationis cōſtituis, duo etiā relationis cōſtitues prædicamēta. Ex quo probatur Secūdo, quia illa duo ſuprema genera in hoc cōuenirēt, quod vtraq; eſſet relatio, ergo daretur illis natura aliqua cómunis generica, quæ ab illis abſtrahi poſſet, ſcilicet relatio realis, in qua conueniunt, ac per conſequens illa eſſet generaliſsimum, & tantum vnum, non hæc duo. Ex quo fit tertio, quod illa ſuprema genera eſſent ſuprema per te, & non eſſent ſuprema per me, quia non ſunt primo diuerſa, quia ſi alias conueniunt in aliquo, illud eſt generaliſsimum.

Ad argumētum Reſpondetur, quod cum relatio terminetur ad abſolutum, & aliquæ relationes ita terminētur ad abſolutum, vt in illo nō reſultet relatio, vt ſunt relationes non mutuæ, fit, quod ſicut relatio in communi abſtrahit à mutua, & non mutua, ita & terminus ſic in cōmuni dicat quid abſolutum, abſtrahēdo ab eo quod reſultet relatio, vel non reſultet.

Obijcies. Terminus ille pro entitate abſoluta ſumptus, eſt quid analogum, quia entitas abſoluta quæ terminat, pertinet ad plura prædicamenta, ergo non poteſt terminare relationem in communi, quæ eſt quid vniuocum. Reſpōdetur Primo, quod licet ſit analogū in ratione entitatis, non tamē in ratione termini, duo enim entia analoga in ratione entis, poſſunt optime terminare relationes eiuſdem rationis, relatio enim identitatis duarum V.g. quantitatum eſt eiuſdem rationis & ſpeciei, cū relatione identitatis duarū ſubſtantiarum, & tamen accidēs & ſubſtantia in ratione entitatis præciſſe analoga ſunt. Reſpondetur Secundo, non oportere in termino eſſe tantā vnitatem, ac in re cuius eſt terminus, ac proinde neq; in termino relationis tanta ac in ipſa relatione: Metaphyſica enim ſcientia perfectiſsima & vere in ſe vna, poteſt reſpicere vt obiectum aliquid analogum, V.g. ens, & potentia viſsiua, quæ eſt vna ſpecie, habet pro termino aut obiecto colorem, qui eſt vnum genere.

QVAES-

QVÆSTIO. VLT.

De Proprietatibus Relatiuorum.

QVatuor aſsignat Ariſt. relationis proprietates, quarũ prima eſt, habere contrariũ: quã proprietatẽ merito tã omnes veteres quã recẽtiores Ariſt. expoſitores fatentur, illã quaſi inconueniens ex veterũ ſententia & definitione intuliſſe: cùm enim veterũ definitio cõueniat relatiuis ſecundũ dici, in quibus vere reperitur contrarietas, recte ſequitur ex illa, in relatiuis verã eſſe contrarietatẽ. Ariſt. ergo hanc proprietatẽ nõ tradidit ex propria ſentẽtia, ſed ex ſententia antiquorũ. Quod cõſtat Primo, quia ipſe Ariſt. cap. de qñãtitate magnũ, & paruũ, docuit nõ eſſe contraria, quia erãt relatiua, & quia conueniũt eidẽ reſpectu diuerſorũ, propriè autẽ contraria ab eodẽ ſubiecto mutuo ſe expellũt. Secũdo, quia huius ꝓprietatis exẽpla ponit Ariſtot. in qualitatibus nõ in relationibus, exẽplificat enim in virtute & vitio, ſcientia & ignorantia, quæ qualitates ſunt, nõ relationes, in qualitatibus autẽ proprie eſt contrarietas.

Dicendũ igitur eſt cũ cõmuni ſentẽtia hic, hanc proprietatẽ nõ cõuenire relatiuis prędicamẽtalibus, & ſecundũ eſſe; quia vt recte Caietanus, nõ poteſt relatiuũ habere contrariũ, cum ad eũ vt ſic nõ detur motus, impropriè tamen poſſet dici cõuenire relatiuis ratione fundamenti, vel ſubiecti; quod habere poteſt contrarium.

Secũda Relationis proprietas eſt, ſuſcipere magis & minus. Hãc etiã exiſtimo tãquã inconueniẽs illatã ex ſentẽtia antiquorum, atq; adeo nõ illã tradidiſſe Ariſtotelẽ, ex propria ſẽtẽtia. Ratio eſt, quia ea quæ ꝓpriè loquẽdo, magis & minus ſuſcipiũt, contrariũ habent, ergo eodem modo de vtraq; hac proprietate Philoſophandum eſt.

Dicendumq; quod ſi omnino propriè de ſuſceptione magis & minus, & de ipſis relationibus in rigore (vt ſic dicã) Mathematico loquamur, relationes non ſuſcipere magis & minus; quod quantũ ad relationes ſecundi generis, & relationes etiam dupli & dimidij ab omnibus fere admittitur. Sed de omnibus in rigore prædicto loquendo id

probo.

probo Primo, quia vt dicebã, relationi ratione ſui nihil contrariatur, ergo nõ ſuſcipit magis & minus. Antecedẽs patet ex explicatione primæ proprietatis, conſequẽtia autem probatur, quia ſuſcipere magis aut minus ex contrarietate oritur, immo etiam ſi nõ loquamur, ſtando in hac contrarietate intenſionis & remiſsionis, ſed extenſionis aut alterius, id Secundo probo, in relatione inęqualitatis quæ in extenſione fundatur, ſic. Relatio dupli & dimidij in indiuiſſibili conſiſtit ſecundum omnes, at relatio illa inæqualitatis eſt, ergo relatio inęqualitatis conſiſtit in indiuiſsibili, ex hac autem ad alias recte extẽditur argumentũ. Si enim hęc quia in certa & nota proportione excedit, in indiuiſsibili conſiſtit, quęuis etiã alia quãtitas inæqualis alteri, in certa & determinata proportione Mathematice excedet, aut excedetur. In relatione autem æqualitatis & ſimilitudinis id eſt manifeſtum, quia quauis ablata parte quantitatis & extenſionis ab vna æqualiũ quãtitatum, & quouis etiam intẽſionis gradu ablato ab vna antea ſimilium qualitatum, iam manent diſsimiles, & inæquales qualitates, & quantitates illæ. Dixi omnino Mathematice, quia ſi aliquãtulum latius, nec ita præſsè loquamur, aliquæ relationes dici poſſunt, ſuſcipere magis & minus ratione fundamenti, vt ſi in duabus. V.g. lineis, magna & parua augeatur magnitudo, in magna, erit maior inæqualitas, ratione cuius relatio inæqualitatis dicetur magis ſuſcipere, quia eſt relatio inæqualitatis maioris: & ſi ex duabus qualitatib9 diſsimilib9, quarũ altera vt duo intẽſa ſit, altera vt quatuor, hęc vltima intẽdatur, creſcet diſsimilitudo, & in hoc ſẽſu dicẽt relationẽ diſſimilitudinis magis ſuſcipere.

Dices, Quantitas non ſuſcipit magis aut minus, vt dictũ eſt, ergo neq; relatio quę fũdatur in illa, ratione fundamẽti id recipiet. Reſp. ꝙ ſicut ſine ſuſceptione rigoroſa, magis & min9 creſcit aut decreſcit extẽſiue quãtitas, ſuſcipitq; vt loquũtur recte aliqui maius aut paruius, ſic relatio poteſt ſuſcipere magis & minus lato modo.

Sed cõtra id quod dictũ eſt, relationẽ in rigore conſiſtere in indiuiſsibili; argumentor ſic. Album vt ſex, magis ſimile eſt albo vt octo quam album vt quatuor, vel certe minus diſsimile, ergo iſtę relationes diſsimilitudinis ſuſcipiũt magis aut minus. Nec valet Reſpondere

pondere hanc intenſionē prouenire ex parte ſubiecti, conſtat enim aliquando ſubiectũ quoad qualitatem remitti, & relationē intendi, vt ſi in exēplo poſito album vt quatuor remittatur, intendetur certe diſsimilitudo. Reſpõdetur, illa alba eſſe magis aut minus diſsimilia, per relationem indiuiſsibilem minoris diſsimilitudinis, aut maioris, qua aliquid minus excedit aut exceditur; non quia eadem relatio intendatur aut remittatur. Intelligenda ergo eſt hæc proprietas de ſuſceptione magis aut minus, non ita riguroſa & Mathematica, vt dictum eſt.

Tertia proprietas eſt, relatiua dici ad conuertentiã, Pater enim filij Pater dicitur, & filius Patris filius nũcupatur. Quæ proprietas nõ habet difficultatem, ſi ſupponatur conuertentiã hic, nõ eſſe idē quod conuerſionem, quæ tantũ propriè cõuenit propoſitionibus: eſt enim vt in Summulis diximus, trãſmutatio vnius propoſitionis in aliã, neq; idē quod conuertibilitatē, qua ratione homo & riſibilis dicuntur termini cõuertibiles, quantũ ad prędicationē mutuã in recto. Dici ergo ad cõuertentiã eſt, ꝙ vnũ explicetur per ordinē & habitudinē ad aliud in obliquo poſitũ, & è cõtra; Quę proprietas relatiuis omnibus ſecundum eſſe, & aliquibus etiã ſecundũ dici conuenit, vt patet in exēplis Ariſt. & S. Tho. vbi in capite & capitato exēplificant, recte enim valet, eſt caput, ergo alicuius capitati caput, & contra.

Quarta iã proprietas eſt, ꝙ relatiua ſint ſimul natura. Cuius explicatio ꝓprietatis ex dictis q. 1. ſecũdę Part. diſp. petēda eſt: ibi enim diximus, relatiuũ nullomodo eſſe ſimul natura cũ aliquo abſoluto, ex poſitione enim fundamēti & termini cõſurgit relatio in vtroq; extremo, ac per cõſequens ſunt prius natura quã ipſæ relationes. Sēſus ergo eſt, relationes. V. g. Patris & filij, ſeu Pater & filius formaliter vt relatiua; eſſe ſimul natura, ꝙ ꝓbatur. Quia ad hoc ꝙ aliqua eſſe ſimul natura dicãtur, tantũ requiritur vt cõuertãtur, eſsēdi, aut ſubſiſtēdi conſequētia, & neutrũ ſit cauſa alterius, quorũ primũ in Patre & filio reperiri cõſtat ex ſupradicta proprietate. Secundũ autē cõſtat ex eo, ꝙ licet P. quaſi ſubſtantialiter ſit cauſa ſubſtantiæ & entitatis filij, Paternitas tamen non eſt cauſa filiationis, aut è contra: hæc autem proprietas oritur ex eo, quod relatio neceſſario ſequitur poſitionem fundamēti & termini,

at cum primum eſt fundamẽtum & terminus vnius relationis, eſt etiam fundamentum & terminus alterius, id enim quod eſt fundamentum relationis Paternitatis, eſt terminus relationis filiationis, & id quod eſt fundamentum relationis filiationis, terminus eſt relationis Paternitatis. Dices: cõmuniter dicitur, prius & poſterius natura, ſunt relatiua, ſed relatiua ſunt ſimul natura, ergo prius & poſterius natura ſunt ſimul natura. Reſpondetur, quod res quæ eſt prior, & res quæ eſt poſterior natura, implicat quod ſint relatiua vt ſic, vt probat argumentum, relatio tamen prioritatis & poſterioritatis ſunt ſimul natura, quia formaliter loquendo nõ dicitur aliquid prius, quam aliud dicatur poſterius: ly enim *prius* cum ſit comparatiuum, formaliter debet comparari ad ly, *poſterius*. Vnde non erit formaliter prius, quouſq; aliud ſit formaliter poſterius, licet enim poſſit eſſe quod aliquid dicatur primũ non cõparatiue ſumptum ante aliud, non tamen poteſt dici prius, niſi ſit poſterius reſpectu cuius prius dicatur.

Dubitabis: an hęc proprietas conueniat relatiuis nõ mutuis. Reſpondeo, non conuenire, quia terminus in illis eſt quid abſolutum, ex cuius poſitione conſurgit relatio in alio extremo, ergo non ſunt ſimul natura: immo etiam ſi loquamur de relatione rationis, qua terminus ille abſolutus quaſi correfertur ad aliud, nõ ſunt ſimul natura: patet ex Ariſt. hic, vbi dicit, in his relatiuis vnum dici ad aliud, quia aliud refertur ad ipſum, ergo formalitas vnius relatiui vt ſic, oritur ex relatione alterius, hoc enim ſonat ly, *quia*, denotat enim aliquam quaſi cauſalitatem, quod eſt contra ſimultatem naturæ.

Dices: non conſiderari adhuc cum illa relatione rationis, ſed præciſſe vt terminat, & vt ſic poſſe eſſe ſimul natura. Reſp. quod ſi de ipſa entitate quæ terminat loquamur, iã diximus eſſe priorem natura, ſi vero de illo quod dicit terminare vt ſic, cum hoc ſit denominatio extrinſeca reſultãs ex hoc quod aliud extremum referatur ad illud, eſt poſterius natura: ſicut denominatio viſi in pariete, eſt ipſa viſione poſterior: ſi tamen quaſi metaphyſicãdo loquamur de ipſa formalitate terminandi, quatenus eſt quodãmodo fundamentum illus denominationis extrinſicę, in qua non ſum adhuc intelligitur reſultaſſe,

ſed iã iã pullulare, exiſtimo, poſſe dici ſimul eſſe natura, quia nõ poteſt intelligi relatio ſine aliqua quaſi formalitate fundamentali termini, quæ ſimul natura conſurgat cum illa, ſed hoc non eſt relatiuum ad aliud vt ſic, immo neq; eſt ratio termini vt communiter de termino philoſophamur, ſed indiget maxima præciſsione, nõ eſt enim adhuc fundamentaliter ens rationis, ſed fundamentum fundamẽti entis rationis.

Solent tandem aliqui ellicere Quintam proprietatẽ ex mẽte & definitione Ariſtotelis, quod qui definite cognoſcit vnum relatiuũ cognoſcat definite & aliud, quam proprietatem q. 1. ſecundæ Partis citata iam explicuimus. Et Hæc de hoc capite.

CAPVT VIII.

De Qualitate, & Quali.

SI Qualitas iuxta Architæ ſentẽtiam, non tantũ relationi, ſed etiam quantitati erat ante ponenda: & ex omnium ſententia potuiſſet iure optimo relationi præferri, vt 5. Meth. prætulit ipſe Philoſ. nõ eſt cur dubitemus recte de illa hoc loco ante alia ſex vltima prædicamenta (quibus lõge perfectior eſt) eũ differuiſſe. Inſcribitur autẽ de qualitate, & quali, quia inter antiquos nõ ſatis cõſtabat an etiã concreta ſicut abſtracta ſedẽ in hoc prædicamento haberent. Cuius

SVMMA TEXTVS.

EST etiam tripartita ac præcedens. Primo enim definit Ariſt. qualitatem dicens. *Qualitas eſt ſecundum quam propriè aliquid quale dicitur.* Quæ multas cõtinet ſpecies,

cies. Prima eſt, *Habitus & diſpoſitio* inter quæ hoc eſt diſcrimen, quod habitus eſt qualitas, à ſubiecto in quo eſt difficile mobilis, vt ſciētia, aut virtus; quę ſine magna mutatione nō amittitur. Diſpoſitio vero, qualitas à ſubiecto facile mobilis definitur. Vt ęgritudo & ſanitas, quamuis ſi aliqua diſpoſitio longa conſuetudine radicetur, quodammodo in naturam habitus tranſit, & febris diuturna, fit æthica: de quo infra. Secunda, qualitatis ſpecies eſt, *Naturalis potentia, aut impotentia*, naturalis potētia (inquit) eſt, *Virtus ſeu aptitudo ad faciliter faciendum aliquid*. V.g. potentia ad velociter & expedite currendum, & ad reſiſtendū etiam, vt durities: naturalem autem impotentiam appellat, nō negationem, aut priuationem potentiæ, ſed potentiam quandam qua difficiliter aliquis agit, vt hebetudo ingenij, vel ſecūdum quā aliquis facile cedit contrarijs. Hæc enim quatenus non eſt principium facile operandi, aut quatenus non multum reſiſtit, impotētia dicitur ab Ariſt. in qua ſpecie ponitur mollities, qua quis facile patitur ſui diuiſsionem. Tertia qualitatis ſpecies, eſt *Paſsio vel paſsibilis qualitas*, ad quam ſpeciem pertinent qualitates omnes ſenſibiles, obiecta propria ſenſuum, quæ paſsiones aut paſsibiles dicūtur qualitates, eo quod, vel paſsionem aliquam cauſent, vel ex paſsione aliqua promanent, vt dulcedo, amaritudo, calor, quæ ſi diu durent, paſsibiles qualitates, ſi cito tranſeant, vt rubor ex verecundia, paſsiones dicuntur. Quarta ſpecies eſt, *Forma, & figura*, vt triangulus, rectitudo, curuitas: Rarum, aut denſum (inquit Ariſtot.) potius pertinere ad poſitionem de prædicamento Situs, quam ad qualitatem, quia important partium poſitionem, rarum enim eſt, cuius partes diſtant: denſum vero, cuius partes ſunt ſibi propinquæ; aſperū cuius partes nō ſunt æquales & planę, ſed vna alia eminētior, lene cuius partes æquales ſunt. Ex quo definitur Quale, quod ſit illud, *quod à qualitate dicitur tale, vel quomodolibet aliter ab eis*, quędā enim dicuntur denominatiue à qualitate, etiam ſecundum nomen; vt album, ab albedine, forte à fortitudine; quidam aliomodo, vt ſtudioſus à virtute, luctator à potentia & vi luctandi, quæ nondum habent ſpeciale nomen.

Digitized by Google

Secundo, tres tradit proprietates qualitatis. Prima eſt habere contrarium: quod cõtrarium neceſſario (inquit) eſſe aliam qualitatẽ. quia contraria ſunt ſub eodem genere; Quæ proprietas non conuenit omnibus: colores enim medij vt color flauus, viridis, &c. qualitates ſunt, & tamen non habent proprie contrarium. Secunda, ſuſcipere magis & minus. Tertia, quod ſecundum illam res dicantur ſimiles, aut diſsimiles, eſt enim qualitas fundamentum relationis ſimilitudinis.

Tertio obijcit, ſcientiã eſſe poſitam in prædicamento ad aliquid, ergo non pertinet ad hoc. Reſpõdetur, ad vtrumq; ſecundum diuerſas rationes pertinere, per ſe quidem, & ſecundum abſolutam entitatẽ, ad hoc, ſecundum relationem autem quæ hanc conſequitur entitatem, ad illud, vt in prȩcedenti dictum eſt.

DISPVTATIO. XV.

De Qualitate, & eius ſpeciebus.

QValitatis nomen, quod ſe prius inueniſſe teſtatur Plato in Theetheto, varie accipi ſolet: tres tamen ſunt in præſenti valde notandæ acceptiones, ad diſcrimen qualitatis ab alijs prædicamẽtis. Primo enim ſignificat omnem differentiam ſubſtantialem, vt docuit Ariſt. 5. Meth. cap. 14. Secũdo ſignificat omne accidens, quia omne illud prædicatur in quale, & non in quid. Tertia deniq; acceptio exprimit peculiare genus entis diſtinctum ab alijs prȩdicamentis: de cuius eſſentia inquirit.

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

Quid qualitas ſit, & an recte definita ab Ariſtotele.

ET Quidem, eſſe diſtinctã ab alijs prædicamentis, cõſtat aperte, tum Ariſtotelis authoritate, Architæ, & aliorum omniũ Philoſophorũ. Tũ quia non eſt ſubſtantia vt per ſe patet, non enim exiſtit per ſe, neq; continetur ſub quantitate, quoniam non conſtat partibus exigentibus ex natura ſua diſtantiam loci, aut durationis. Cum enim proprium ſit eius, intendi & remitti, in eadem omnino parte ſubiecti eſſe poſtulat: neq; ſub relatione, eſt enim abſolutum accidens, & potius fundamentum relationis. Quòd autem ſub alijs non contineatur, quando de illis fuerit ſermo conſtabit. Qua eſſentia quaſi per negationem iam explicata, vt explicemus eam per poſitiuum quid.

Dico. Definitionem Ariſt. rectam eſſe, ſcilicet qualitas eſt *qua dicimur eſſe quales*. Pro cuius explicatione Notandum eſt primo, quòd licet qualitates primo, & ſecundo modo ſumptæ, verè aliquo modo reddant ſubiectum quale, non vero abſolutè, & ſimpliciter. Et quidem de differentia eſſentia eſſentiali (in quo eſt maior difficultas) non dicitur quòd ſit abſolutè qualitas, neque ad quæſtionem factam per quale abſolute, per rationale. V. g. Reſpondetur. Neq; enim ſi abſolute quæras, qualis ſit homo, reſpondebis rationalis, niſi forte inquiras, quale animal ſit homo: Tunc enim ly *quale animal* modificatum, de qualitate eſſentiali & ſubſtantiali rei inquirit, non vero de illo accidenti, per quod res abſolutè dicuntur quales. Si vero de alijs accidentibus ſermo ſit, quantitas V. g. & relatio, licet ſubſtantiam ad aliquod eſſe accidentale modificent, non tamẽ eam faciunt ſimpliciter & abſolutè qualem, ſed quantam aut relatam. Vnde ad quæſtionem factam per quale (vt etiã per cætera alia prædicamenta aliquantulum diuagemur) ſi

inquiras qualis eſt Petrus, nō rectè reſpondebis eſſe alicubi, in hoc vel illo loco conſiſtere, hoc vel illo tempore eſſe, agere, aut pati, &c. Recte tamen ſi reſpondeas, ſtudioſum, aut improbum, doctum aut indoctū, album eſſe, aut nigrum. Qualitas ergo, eſt illa forma, quæ ſpeciali habet quodam modo modificare ſubſtantiam; quod non habent alia, qui modus recte explicatur, ſi dicamus, modificare ſubſtantiam qualificando, ſiue eſſe modū illū peculiarem qui eſt in ſubſtātia, per quem ſimpliciter & abſolutè, ad quæſtioné per quale factā Reſpondetur; quod nō poteſt ſic in communi magis particularizari, niſi ad peculiares ſpecies qualitatis deſcēdēdo, vt eſſe doctū, aut indoctum, album, aut nigrum, &c.

Notandum ſecundo eſt, varie authores in explicanda qualitatis eſſentia fuiſſe diſtractos. Aſſeruerunt quidam, Qualitatem eſſe accidens, quod cōuenit ſubſtantiæ ratione formæ. Contra quod eſt, figurā ſe tenere ex parte materiæ, & tamen qualitatē eſſe, & actio ſe tenet ex parte formæ, & tamen qualitas nō eſt. Docuere abſolute alij, eſſentiā qualitatis eſſe modificare ſubſtātiā: ſed ſi id amplius nō explicēt, falſū eſt, hoc enim omnibus alijs accidentibus eſt cōmune. Alij deniq; exiſtimātes, ſe iā veritatis ſcopū attigiſſe, lōga quadā illā definitione definiūt ſic, (Ariſt. definitionē ſimul imperfectam nimis, deſcriptionem eſſe aſſerētes) eſt affectio rei accidētalis, nō exigēs extēſionē ſuarū partiū, omnino abſoluta, & quæ ſemper conſequitur particulares & ſpeciales rationes rerū, & ex aliqua differentia fluit. Quam definitionem eſſe nullā (præter quam quod nimis longa eſt, & a definitionis perfectione aliena) probo ſic. Quia præter illā particulā quę datur per negationē, ſcilicet non exigere partes extenſas (de qua ad poſitiuā eſſentiæ explicationé fere nulla habēda eſt ratio), omnes aliæ conueniunt alijs accidentibus, vel non illi. Quòd enim ſit affectio rei accidentalis, certū eſt omnibus accidentibus cōuenire, quòd ſit omnino abſoluta, quātitati; Immo & alijs cōuenire præter relationē: ſicut enim illa ſunt relatiua ſecundum dici, ita & qualitas (đ quo aliquid infra.) Quæ ſemper conſequitur particulares rationes rerū: Si ſenſus ſit, quod ſemper ſe teneat ex parte formæ, á qua peculiaris ratio rei petitur, falſum eſt (vt probaui) in figura: immo in qualitate quæ eſt cōueniēs cōmuniſsimę rationi entis mixti

Digitized by Google

ꝙ enim quod mixtũ eſt quali tates habet: Vnde non ita conuenit ratione peculiari rei. Quod addit: & ex aliqua ſpecifica differentia fluit. Si de fluxu quæ ſit propria paſsio, falſum eſt, ſunt enim innumeræ qualitates quæ non ſunt propriç paſsiones, immo quãtitas etiã in hoc ſenſu erit qualitas, quia eſt propria paſsio ſubſtãtiæ corporeæ: ſi vero de alio accidentali fluxu, alijs etiam accidentibus id conuenit. Verum eſt in qualitatibus eſſe aliquas quæ præcipue a differentia ſpecifica oriuntur vt ſcientia & virtus a differentia ſpecifica hominis, albedo autem nigredo & ſimiles; quis dicet quod ab eſſentia dimanant ſpecifica? Illud ergo non ſufficit ad hoc quod qualitas in cõmuni ſic definiatur, cũ hoc omnibus debeat qualitatibus cõuenire; & certe hæc definitio obſcura nimis eſt, & multę earum particulæ alia definitione indigebant, quod eſt contra rationem definitionis.

Definitio ergo Ariſt. eſt recta: explicat enim eſſentiam & quidditatem generaliſsimi, eo modo quo videtur explicabilis: explicat enim illam per ſuũ effectum formalẽ, ſcilicet qualificare, ſeu per quale in concreto, quod notius nobis eſt quam abſtractum, quia concretum eſt magis compoſitũ, magis perceptibile, quia magis ſenſibile, qui quidem effectus ſic in communi, non poteſt amplius explicari, quam ſupra explicatus eſt, niſi deſcendendo in particulari. Neq; enim poteſt per genus & differentiam definiri, cum generaliſsima genus non habeant, per quod definiri queant.

In qua definitione notanda eſt illa particula *dicimur* (id eſt) nos homines, in qua latere myſteriũ, notat Albertus Magnus, & alij. Quod ego ſic explico. Aduertendo, inter qualitates, alias eſſe corporeas vt calor, frigus, &c. alias ſpirituales, vt virtutes, ſcientiæ, & ſimiles; homo etiam inter creaturas eſt quaſi medium, habet enim ſimul corporeum quid, ſecundum quod & rebus corporeis communicat, & corporeis etiam afficitur qualitatibus: habet etiam aliud ſpirituale, rationalem ſcilicet animam, ſecundum quam & ſpiritualibus creaturis affinis eſt, & ſpiritualibus etiam afficitur qualitatibus, ſcientijs videlicet & virtutibus: vt ergo Ariſtot. vtramque qualitatem, tam ſpiritualem, quam corpoream comprehendat *dicimur* dixit: collocando in definitione hominem, qui eſt vtriuſq; qualitatis

 licet

licet ratione diuerſarum partium, ſubiectum. Ex quo redditur adhuc clarior definitio, cum enim hominibus illa tradita ſit, ad quos proprie acquiſitio ſcientiarum ſpectat, illud aſſerit eſſe qualitatem quo ipſi homines tam ſecundum corpus, quam ſecundum mentem quales dicuntur, vt albedo in corpore, virtus in mente; non quia has ſolas exiſtimet eſſe qualitatis ſpecies, ſed quia illis cognitis, & ratione qualitatis corporeæ & ſpiritualis percepta, facile homines ipſi, ex ſe ipſis, quid in omnibus qualitatis ſpeciebus dicendum ſit, cognoſcent. Hanc autem exiſtimo, non ſolum ſufficientem, ſed ſufficientiſsimam eſſe generaliſsimi in communi cognitionem, vnde recta eſt definitio Ariſt.

Sed contra obijcies, Philoſophus infra *quale*, per *qualitatem* definit, dantur ergo definitiones iſtæ per circulum, vitioſæ ergo. Reſpondeo: qualitatẽ definiri per quale, tanquam per effectum notiorem nobis, pręcipue modo explicato; multi enim ſunt qui cognoſcant album, albedinem autem in abſtracto nequeãt percipere. Declarata autem iam qualitatis eſſentia, cum ſuis ſpeciebus, definit *quale* per qualitatem, vt per cauſam notiorem natura, & iam per explicationem ſpecierum maxime notam; iſte autem circulus vitio caret, quia non vnum eodem modo per aliud, ſed diuerſo explicatur, vt dictum eſt. Quale ergo veluti a priori, qualitatẽ vero veluti a poſteriori deſcribit, vt docent Verſorius, Boecius, Bruxelis, & Cai. Addo, definitionem hanc non eſſe omnino perfectam, quidditatiuam, & eſſentialem, ſed magis accedere ad deſcriptiuam, in qua nõ ſunt definitionis conditiones ita riguroſe examinandæ, in illis præcipue rebus quę generaliſsima ſunt, & non habent ſupra ſe genus. Ex quibus quædam omnino facilia quæ hic obijci ſolent, ſoluta manent.

✝

QVAES-

QVÆSTIO II.

Quid ſint Habitus, & Diſpoſitio, & an differant ſpecie.

VAriæ ſunt huius vtriuſq; vocis acceptiones. Primo enim, *habitus* (qui a verbo deriuatur habere) tria ſignificat, ſicut & verbum ipſum, primo enim rem aliquam ſignificat poſsidere, qua ratione aliquem habere ſeruum cō muniter dicitur. Secundo ſumitur nomen habitus pro eo quod eſt veſtitum eſſe, ſiue pro aptitudine habendi veſtem; qua ratione conſtituit prædicamentū habitus ſeu habere, de quo ſuo loco. Tertio ſignificare ſolet quamlibet formā poſitiuā, qua ratione dicitur, inter habitū & priuationē, oppoſitionē intercedere priuatiuā. Nulla tamē harū triū acceptione hic ſumitur; ſed tantum pro qualitate cōuenienti aut diſconuenienti ſubiecto difficile mobili ab illo.

Diſpoſitio etiā, primo ſignificat ordinē quo partes in loco diſpoſitæ ſunt, quæ ſignificatio pertinet ad prædicamentum ſitus. Secundo ſumi poteſt pro ordine, & poſitione partiū inter ſe, qua ratione Capite de Quantitate, quoddam quātum eſſe diximus, conſtans partibus habentibus poſitionem inter ſe. Tertio tandem ſumitur hic pro qualitate diſponente ſubiectum benè vel male, quæ a ſubiecto facile mobilis eſt.

Quælibet autem harum vocum tribui ſolet integræ ſpeciei, & ſumi pro qualitate, tam habitui quam diſpoſitioni cōmuni; fortaſe fundamentum habuit in communi loquendi modo, ſi enim ab aliquo an ſit bene vel male affectus in ordine ad ſe (quæ eſt ratio conſtitutiua huius ſpeciei ſic in communi, vt videbimus) ſcire cupimus, qualiter ſe habeat *ecce habitū* quoue modo ſit diſpoſitus *ecce diſpoſitionem* ſolemus inquirere. Habet hoc præcipua fundamenta in Ariſt. 1. enim topicorū, diſpoſitionē appellauit genus diſciplinæ, diſciplina autē eſt habitus: de habitu

bitu vero conſtat ex eodem 5. Meth.cap.20.vbi habitum definiens,inquit, ***habitus eſt diſpoſitio ſecundum quam bene vel male diſponitur diſpoſitum, aut ſecundum ſe,aut ad aliud***, & ponit exemplum in ſanitate,quã tamen in hoc loco appellauit diſpoſitionem.

Vt ergo ad id quod primo loco inquirebat quæſtio,accedamus.Dubium eſt,an eſſentia huius ſpeciei, vt comprehẽdit tam facile quam difficile mobilem qualitatem, ſumatur in ordine ad naturam ſubiecti, ſeu ad ſubiectum ſecundum eſſe:An vero ad illum ſecundum potentias, aut ſecundum operari illius. Et quidem D. Tho. 1.2.q.49.ar.2. docet, ſpeciem hanc conſtitui per conuenientiam,aut diſconuenientiam,in ordine ad naturam & eſſe ſubiecti,& ideo priori loco poni, quia prius eſt eſſe quam operari.Confirmat definitio adducta ex Ariſt.vbi dicitur quod *habitus*(quem pro tota hac ſumpſit ſpecie) ſit diſpoſitio ſubiecti in ordine ad ſe,&c. exemplificat etiã in ſanitate,& ægritudine,quæ vt per ſe patet, non ſunt per ſe primo ordinatæ ad operationẽ. Adde,gratiã iuſtificantem ſecundum communẽ Theologorũ ſententiã,eſſe habitum ad hanc primã qualitatis ſpeciẽ pertinentẽ,& tamen immediate in eſſentia animæ eſt,necper ſe primo operatiua, ſed dans homini participationem eſſe diuini. Quod vero in ordine ad operationẽ debeat ſumi eſſentia hæc,probant plures definitiones habitus, quæ ſemper dãtur per operationẽ. D.enim Auguſ.in lib. de bono coniugali cap. 21. (quam definitionem tradddit etiã Aber.) ſic definit habitum, ***habitus eſt quo quis vtitur*** ecce operationem & vſum ***cum voluerit.*** Et Ariſt.etiam 2.AEthicor.c.5.& 6. ***habitus*** (inquit) ***eſt quo bene vel male operamur***.Et ratio id ſuadet,quoniam hoc quod eſt eſſe conuenientem, aut diſconuenientem naturæ ſubiecti,cõmuniſsima ratio eſt, omnes qualitatis ſpecies tranſcendẽs, ergo non poteſt eſſe conſtitutiua peculiaris ſpeciei.

Poſſunt tamen duo iſta placita in concordiam reduci,ſi aduertamus ad hãc ſpeciem pertinere,ea quæ præcipue ad eſſe bene vel male diſponunt: ſicut ergo quia ad eſſe ſequitur operari,ideo ea quæ diſponũt ad bene vel male eſſe, conſequẽter diſponunt, ad bene vel male operari, & ſicut qui diſponit ad bene vel male eſſe, præſupponit eſſe (prius enim eſt eſſe,quam eſſe tale) ita qui diſponit ad bene vel male operari,præſupponit operari:ſciẽtia

tia ergo V.g.diſponit ſubiectũ ad eſſe bene vel male, facit enim illud bene eſſe, quia eſtper fectio,& diſponit cõſequenter etiã ad bene operari, quia cũ illa operatur perfecte ſubiectũ. Vnde hæc duo coniunxit Ariſ.in definitione dicẽs, *quod habitus ſit diſpoſitio qua diſponitur diſpoſitũ, ſecundum ſe* ecce ordinem ad eſſe, *& ad aliud* ecce ordinẽ ad operari. Idẽ fere docuit Sanct.Thom.loco citato. Itaque ſpecies iſta, primo & per ſe reſpicit eſſe ſubiecti,& quaſi ſecundario & conſequenter operari illius: Quod adhuc explico ex Ariſt.7.Phiſ. vbi definit habitum, *quod ſit diſpoſitio perfecti ad optimũ*, dico autem, *perfecti* quod eſt diſpoſitum ſecundum naturam, *ecce ordinem ad eſſe: optimum*, (ideſt) ad hoc quod potentia recte poſsit operari & faciliter. Quod tandem eleganter S.Tho.(licet aliquantulũ obſcure) explicuit ar. 3.q. citatæ: diſtinguit enim duplicem ordinem ad operationem, alium qui poteſt conuenire habitui, ſecundum rationem habitus ſic in communi, qua ratione cum habitus importet ordinem quendam ad naturam rei,& hæc rei natura ad alterum finem ordinetur, qui vel eſt operatio, vel aliquid acquiſitum per operationem, non ſolum habitus importat ordinem ad naturã rei, ſecundum eſſe, ſed conſequenter etiam ad operationem, in quantum eſt finis naturæ, vel perducens ad finem,& hæc eſt communiſſima ratio huius primæ ſpeciei, quæ ideo ponitur prima, quia natura eſt illud quod primo conſideratur in re, & hæc ſpecies vt ſic, prius & principalius dicit ordinem ad naturam,& conſequenter (vt dixi) ad operationem, ſed ſunt quidam habitus, (ſubdit S.Tho.) qui etiam ex parte ſubiecti in quo ſunt, primo & principaliter, important ordinem ad actũ, quia habitus primo & per ſe importat habitudinem ad naturam rei: ſi igitur natura rei in qua eſt habitus, conſiſtat in ipſo ordine ad actũ, ſequitur quod habitus principaliter importet ordinẽ ad actũ quatenus ordinatur ad naturam alicuius potentiæ, cuius natura & eſſentia eſt quod ſit principium actus, quod etiam conuenit diſpoſitionibus. (Opinio enim quæ eſt in potentia quæ natura ſua ordinatur ad actum, Verbi gratia in intellectu, eſt diſpoſitio.) Itaque omnes ſpecies huius generis (eſt enim ad minus ſpecies ſubalterna) conueniunt in hoc, quod primo & per ſe reſpiciant naturam;

In quãtum autem natura quaſi conſequenter reſpicit actum aut eſt illius principium, ex cõſequenti etiam ſpecies iſtæ important ordinem ad actum: vnde Ariſt. 10. de hiſt. animal. de ſanitate agens, quæ vt patet primo, & per ſe ordinatur ad conuenientiam ſubiecti ſecundum ſuum eſſe; tunc inquit homo dicitur ſanus, vel membrũ aliquod, quando poteſt facere operationem ſani. Conueniũt etiam ſpecies iſtæ, quòd quale fuerit ſubiectum in quo ſunt, taliter ordinabuntur ad operationem: ſi natura ſubiecti fuerit primo, & per ſe reſpicere operationem, vt in potentia, natura etiam habitus & diſpoſitionis ea erit, vt dictum eſt de ſcientia quæ eſt habitus, & de opinione quæ eſt diſpoſitio. Si vero ſubiectum primo habuerit reſpicere (vt ita dicam) ſe, ita ſe habebunt habitus aut diſpoſitio, vt in exemplo de ſanitate conſtat facile, & in habitu gratiæ quæ per ſe ordinatur ad dandum eſſe diuinum participatum ſubiecto, quæ in eſſentia animæ immediate ſubiectatur nec per ſe primo eſt operatiua, vt diximꝰ

Colligo ergo definitionem huius primæ ſpeciei. *Eſt Qualitas, qua bene vel male diſponitur ſubiectũ id ordine ad ſe, & cõſequenter in ordine ad operationem*, hæc ſi facile mobilis ſit a ſubiecto, diſpoſitio, ſi difficile, habitus nuncupatur.

Prima ergo ſententia S. Th. proprius loquitur, & perfectiꝰ (vt ſolet.) Secunda autem, explicat eſſentiam habitus quaſi a poſteriori, quia operari eſt nobis notius quã eſſentia rei. Tum etiam, quia plures qualitates huius ſpeciei reſpiciunt ſubiecta. quorum eſſe, eſt reſpicere operationem, V. g. potentias: vnde per id quod fere omnibus qualitatibus huius ſpeciei conuenit, non incommodê explicatur ſpeciei huius natura, nihil autem aliud volunt adductæ definitiones. Ac deniq; ratio non conuincit, quia aliæ qualitates primo & per ſe non reſpiciunt eſſe, ſed operari, aut aliquid aliud, vt explicabimus. Vnde licet aliquo modo reſpiciant eſſe ſubiecti, hoc tamen non dicũt primo & per ſe, ſicut hæc prima qualitatis ſpecies. Adde, eandem rem ſecundum diuerſas conſiderationes & formalitates ad varias & diuerſas ſpecies, immo ad varia genera pertinere optime poſſe: aliæ autẽ qualitates ad alias ſpecies, ſecũdũ alias peculiares rationes pertinent. Solutio eſt D. Angelic. ar. 2. q. citatę ad 1. Sed cõtra. Habitus eſt actus ſubiecti in quo eſt, quia illũ actuat, ergo erit actus potẽtiæ

in

in qua eſt, ergo ſi habitus ordinatur ad actū potētiæ, ordinabitur ad ſe ipſum, qui actus potentiæ eſt. Reſpōdetur, habitū eſſe actū ſubiecti quaſi trāſcendētaliter, ea ratione qua quodlibet accidens actuare dicitur ſubiectū; quatenus tamē actuat potētiā in ordine ad aliquam operationē ab ipſa potētia elliciendā, dicitur ordinari ad operationē: & hinc intelligetis illud quod cōmuniter dicitur, habitū conſtituere potētiā in actu primo ad operādū, ideſt, conſtituit illam diſpoſitam in potentia proxima, vt quando voluerit, operetur, & elliciat ſuam operationem propriam, quæ appellatur actus ſecūdus. Itaque, habitus V.g. ſcientiæ, dicitur actus primus intellectus, ſeu illum conſtituens in actu primo, ideſt, proxime diſpoſitū, vt iā iam elliciat operationem ſcientiæ actualis, quæ appellatur actus ſecundus.

Circa ſecundum, an ſcilicet habitus & diſpoſitio ſpecie diſtinguantur. Prior ſententia negat ſpecie diſtingui, ſed ſolum differre aſſerit accidentaliter, ſic Boecius, Amonius, Titelman. Villalp. & Louanien. in hoc capit. Sotus itē q.9. huius capitis §. ad ſecundā quæſ. Probatur primo ex Ariſ. in hoc capite, qui de his qualitatibus docet primo, quòd ſunt vna ſpecies Secundo diſpoſitionē fieri habitū procedente tempore, ſi nimis radicetur in ſubiecto; at ſi diſtinctæ ſpecies eſſent, nō eſſent vna, nec vna in aliā cōuerti poſſet, ergo. Ratione probatur ſecundo, facile aut difficile mobile a ſubiecto, ſunt differentiæ accidentales, ergo non poſſunt eſſentialiter diſtinguere; antecedens probo in ſanitate aut ægritudine, quarū quælibet poteſt eſſe facile aut difficile mobilis, propter accidentales & extrinſecas cauſas, vt ꝓpter tēporis inclementiā aut aſpectū Planetarū, ſed hæc accidunt maximè qualitatis eſſentiæ, nō ergo poſſunt diſtinguere eſſentialiter. Tertio, vna ſpecies non poteſt in alterius trāſire naturā, ſed febris quæ in principio erat diſpoſitio, poſtea tēporis diuturnitate inueterata, fit habitus, habitꝰ ergo & diſpoſitio ſpecie nō differūt. Minor patet, quia febris in initio erat facilemobilis, ergo diſpoſitio: radicata poſtea fit difficile mobilis, ergo habitus; trāſit ergo de diſpoſitione ad habitū, ac proinde diſpoſitio & habitus diuerſę ſpecies nō ſūt. Quarto, perfectū & imperfectū nō variāt ſpeciē, ſed habitus & diſpoſitio tātū per perfectū & imperfectū diſtinguūtur, ideo enim virtus V.g. difficile mobilis eſt, quia eſt perfecta, facile

au-

autem.quia imperfecta, ergo.

Pro ſolutione notandum eſt primo. Qualitatem eſſe facile aut difficile mobilem à ſubiecto, dupliciter contingere, vno modo ab intrinſeco, per ſe, eſſentialiter, & ex ſua natura; alio modo per accidens & ab extrinſeco: illud dicitur difficile mobile per ſe, & ab intrinſeco, quia ſcilicet ex natura ſua cauſas habet immobiles & cõſtantes, vt ſcientiæ quæ habent euidentes, certas, ac neceſſarias propoſitiones, lumen intellectus circa illarum aſſenſum determinatum, ac proinde cauſas immobiles & conſtantes. Similiter illud dicitur facile mobile per ſe, ſeu ratione ſpeciei, quod ex natura ſua habet cauſas facile tranſmutabiles; vt opinio, ex proprijs principijs facile mobilis eſt a ſubiecto, quia procedit per probabilia argumenta, quæ intellectum non conuincunt, potius cum formidine alterius partis faciunt aſſentire. Sanitas etiam ex ordinato humorum temperamento conſtans, facile mobilis eſt, quia frigiditas, ſiccitas, caliditas, & humiditas, qualitates ſunt, quę propter frequentes alterationes facile transmutantur. Illud autem dicitur facile aut difficile mobile per accidens, quod licet ex natura rei ſit facile aut difficile mobile, ratione alicuius extrinſeci, nec illi eſſentialis, poteſt difficile remoueri, qua ratione idem habitus nimis intenſus difficilius remouetur quam remiſſus. Propter denſitatem etiam materiæ calor difficilius remouetur a ferro, quam ab aqua: propter temporis diuturnitatem: qua ratione diuturna febris difficile expellitur a ſubiecto, quia illo tempore multum conſumpſit radicalis humidi, naturales vires debilitans, a quibus ſuperanda erat; per accidens etiam fit aliquid facile mobile, vt propter ingenij imbecillitatem etiam, quis facile cuiuis rationi oppoſitæ, etiã probabili tantum, aſſentitur.

Quo circa Caiet. (notate ſecundo) habitum diſtinguit, alium ſecundum rem, alium ſecundum modum tantum, & alium ſecũdum rem & modum ſimul, idem proportionaliter de diſpoſitione dici poteſt. Habitus ſecundum rem & modum ſimul, eſt illa qualitas, quæ ex natura ſua difficile mobilis eſt a ſubiecto, & hunc modum difficilis remotionis vere habet in ſubiecto, neque ab aliquo extrinſeco impeditur, vt ſcientia & virtus iam perfecta, & firmiter radicata. Habitus ſecundum rem tantum, eſt

Digitized by Google

eſt qualitas ex natura ſua difficile mobilis, per accidens tamen non eſt radicata in ſubiecto, ac proinde modum illum difficilis remotionis quaſi in exercitio non habet, vt ſcientia, aut habitus virtutis in principio ſuæ acquiſitionis: tunc enim non eſt omnino radicata firmiter, ac proinde licet in re ſit habitus, modum tamen diſpoſitionis habet. Habitus vero ſecundum modum tantum, eſt qualitas, quæ licet ex natura rei ſit facile mobilis (& ideo eſſentialiter diſpoſitio) habet tamen modum habitus quantum ad hoc, quod ſcilicet per accidens & ab extrinſeco eſt difficile mobilis a ſubiecto, & hoc modo ſumunt habitum, qui dicunt calorem æthicum habitũ eſſe, & opinionem ſimiliter, in eo qui tenaciter ſuis opinionibus adhæret.

Notandum tertio. Quòd maior vel minor radicatio in ſubiecto, ſint accidentia aliquando ſeparabilia a realitate habitus, & diſpoſitionis, poteſt enim habitus non eſſe radicatus, & poteſt eſſe radicata diſpoſitio, nihilominus radicatio, & eſſe difficile mobile in actu exercito, accidens cõſonum eſt naturæ habitus; ac proinde ſine illo habitus videtur eſſe in ſubiecto, quaſi præternaturaliter, ex parte modi. Idẽ de diſpoſitione, quãdo enim radicata eſt, & in actu exercito difficultatem habet remotionis, quia id nõ poſtulat ex principijs intrinſecis, dicetur cũ illo modo dificilis remotionis, præternaturaliter eſſe in ſubiecto. His ſuppoſitis: Dicẽdũ eſt, quod ſi facile & difficile mobile ſumãtur ab extrinſeco, ſeu ſecũdũ modũ tantũ, aut in actu exercito, nõ ſufficiunt ſpecie diſtinguere, quod tantũ exiſtimo intendiſſe Boeciũ, & cæteros authores pro prima ſentẽtia citatos, quod rectè ꝓbãt eorũ argumẽta; & quia ſpecies non conſtituitur in eſſe talis naturæ per id quod illi conuenit ab extrinſeco. Si vero facile, & difficile mobile ab intrinſeco, ſumãtur eſſentialiter, & in actu ſignato, ſeu ſecũdum rẽ, differentiæ eſſentiales ſunt: patet, quia conueniũt eſſentialiter ab intrinſeco, & ex natura rerũ, & per has differentias ſic ſumptas hæ duæ qualitatis ſpecies diſtinguũtur. Probatur ex Ariſt. eas ſic diſtinguente. *Differre autem habitum a diſpoſitione* inquit *quòd permanẽtior ac diuturnior eſt, tales vero ſunt ſcientia & virtutes, ſcientia enim videtur eſſe permanentium, & diuturnorum, vt ſi quis vel mediocriter ſumat ſcientiã, niſi grãdis permutatio facta ſit,*

ſit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo eiuſmodi. Hæc Ariſt. Vbi conſtat, ſcientiã, quę natura ſua eſt habitꝰ, & difficile mobilis, accidentaliter radicationis & difficultatis modum poſſe amittere, nec tamen amittet rationem habitus. Ratione autẽ conſtat, quia vna ſpecies ex natura ſua non poſtulat rationes oppoſitas, ſed eſſe facile, & difficile mobile ab intrinſeco & eſſentialiter, oppoſitę rationes ſunt, qualitas ergo quæ ab intrinſeco & ex natura rei poſtulat vnam, diſtincta ſpecies erit ab ea, quæ ex natura ſua petit oppoſitam.

Ad argumenta facilis eſt ſolutio. Ad Ariſtotelem Reſpondetur, dixiſſe eſſe vnam ſpeciem, ideſt, conuenire in vna ratione ſuperiori vtriq; communi, quæ tamen ſpecies ſubalterna eſt, ſub qua proinde optime poſſunt eſſe inferiora ſpecie diſtincta. Quod vero ait diſpoſitionem fieri habitum procedente tempore, de habitu loquitur ſecundum ſtatum, aut modum tantum, non de habitu eſſentialiter & ex natura rei.

Ad omnes rationes adductas vno verbo Reſpondetur. Illas differentias, & variationes facile aut difficile mobilis, eſſe extrinſecas & accidentales, non vero eſſentiales: ſanitas enim & febris, diſpoſitiones ſunt ab intrinſeco, & eſſentialiter, ſunt enim faciles trãſmutari; poſſunt tamen ab extrinſeco habere modũ habitus, virtus autẽ ab intrinſeco eſt habitus, poteſt tamen per accidens & ab extrinſeco, ſeu ratione ſubiecti & impedimentorũ, habere modum diſpoſitionis.

Dices, quãdo aliquid alicui repugnat per ſe, non poteſt ei cõuenire neq; per ſe, neq; per accidens, ergo ſi eſſe difficile mobilẽ repugnat diſpoſitioni, quia eſt ratio conſtitutiua alterius ſpeciei, non poterit ei adhuc per accidens conuenire. Reſpondetur, quod ratio conſtitutiua alterius ſpeciei, quæ diſpoſitioni repugnat, nõ eſt eſſe difficile mobilẽ vtcũq; ſed eſſe difficile mobile per ſe & ab intrinſeco, hoc autẽ neq; per ſe, neq; per accidẽs poteſt conuenire diſpoſitioni, nunquam enim adhuc per accidẽs diſpoſitioni conuenit, quod ſit ab intrinſeco & per ſe difficile mobilis.

Dices ſecũdo, quãdo aliquis medijs actibus aliquẽ habitũ acquirit, cauſatur habitus ex vltima diſpoſitione, ergo habet cauſam facile mobilẽ. Res eſt ad materiã de habitibus expectãs. Reſpõdetur tamẽ, diſpoſitionẽ illam cauſare habitum, virtute actuum præcedẽtiũ, in

quo-

quorum virtute, difficilem habet variationem, nec proprie illa ſola diſpoſitio cauſa eſt: potentia enim eſt quæ præcipue agit, quæ quidem eſt difficile mobilis, & hoc abſq; dubio ſufficit ad generationē habitus, ſufficietq; pro nunc ad ſolutionem, perfecta intelligētia modi acquiſitionis & productionis habitus, ad prædictam de habitibus materiam relicta.

Quod ſi Ariſt. aliquando habitum diſpoſitionem appellat, ſumit diſpoſitionē vt eſt quid cōmune ad duas has ſpecies, appellatq; eas ſpeciem vnam participatione naturæ communis, qua ratione Porphirius dixit *participatione ſpeciei, plures homines ſunt vnus homo.* Adde, Ariſtotelem ibi nomine *vnius*, intellexiſſe primam ſpeciē (eſt enim familiare Græcis & Hebræis vnum pro primo vſurpare) in quo ſenſu Geneſ. 1. dicitur factū eſt veſpere & mane dies vnus, ideſt, primus.

QVÆSTIO III.

De naturali Potentia, & impotentia.

TRiplex poteſt alicuiꝰ operationis excogitari principium; alterum radicale & mediatū, quod eſt ipſa ſubſtantia rei, quæ medijs accidentibus aut potentijs proximis operatur, & ideo mediatum dicitur, quia ſubſtantia non eſt immediatum principium operationis: vnde operatur medijs potentijs, aut principijs proximis: dicitur autem radicale quia eſt radix harum potentiarum, quæ tribuuntur ipſi ſubſtantiæ a natura, & ex vi ſuæ generationis, & fere ſemper ſunt quaſi propriæ paſsiones eius, vt intellectus & voluntas reſpectu ſubſtantiæ rationalis. Aliud eſt principium immediatum, quod eſt accidens quoddam ſuperadditum ipſi ſubſtantiæ, quo non iam radicaliter, ſed formaliter & proxime redditur potēs ad elliciēdam operationem, & hoc accidens appellatur Potentia, quæ ſcilicet ad operandum ſimpliciter ſufficiens eſt, abſtrahendo a bene, vel male, faciliter

Digitized by Google

vel difficulter. Aliud datur accidens, ipſi potentiæ ſuperadditum, per ſe ordinatū ad perfectionem illius potentiæ, vt operatio illa, non tantum ſimpliciter, ſed recte, faciliter, & ſine errore exerceatur, & hoc eſt quaſi tertium principium, appellaturque habitus, pertinens ad primam ſpeciem qualitatis (de quo iam). Explico exemplo: in actuali operatione ſcientiæ, & eſt principium mediatum & radicale, ſcilicet eſſentia hominis, quæ eſt radix intellectiuæ potētiæ: & eſt principium proximum, & formale intelligēdi, ſcilicet intellectus, qui eſt principium intellectionis, abſtrahēdo a bona vel mala, facili aut difficili: eſt deniq; habitus ſcientiæ, intellectum diſponens, vt recte, faciliter, & ſine errore actualem ſciētiam, ſeu ſcientiæ operationem elliciat. Ex his ergo tribus principijs. Primum, radicale ſcilicet, ſubſtantia eſt, ac proinde in ſubſtantiæ prædicamento conſtituendum. Tertium principium, iam dixi eſſe habitum pertinens ad primam ſpeciem huius prędicamenti: principiū ergo ſecūdum quod remanet, hoc pertinet ad præſentē ſpeciem, & potentia nominatur. Itaq; nomine potentiæ Ariſt. hic intelligit principium proximum accidentale alicuius operationis, diſponens ſubiectum ad ſimpliciter operandum.

Notandum ſecundo, quod cum ſubiectum poſsit operari fortiter & debiliter, nomine *potentiæ* intelligit principium proximum operationis, diſponens ſubiectum ad fortiter agendum, aut reſiſtendum: nomine vero *impotentiæ* non intelligit priuationē potentiæ (hæc enim non eſt qualitas, ſed nihil) ſed intelligit debile principium agendi aut reſiſtendi contrarijs, qua ratione hebetudo ingenij, dicitur impotentia vel mollities, quatenus per illam res minus reſiſtit, facileq; cedit diuiſsioni & corruptioni: & potentia viſſus in iuuene, quia in illo eſt principium fortiter, & vt ſic dicam iuueniliter exercendi actum videndi, dicitur potentia; & in eo ſā ſene impotentia, quia non eſt principium exercendi fortiter ſed debiliter viſsionis actum.

Ex his, ellicies differentiam huius ſecundæ ſpeciei a prima, potentia enim cum ipſa ſubſtantia generatur, eſtque quaſi propria paſsio eius, habitus autem & diſpoſitio, diſcurſu temporis acquiruntur, cōmuniter per noſtros actus, vt de ſcientijs & virtutibus acquiſitis eſt manifeſtum. Secundo

do potentiæ ſemper ordinantur ad ſimpliciter operandum tanquam proxima principia operandi vt ſic, habitus vero vel non ordinantur per ſe & primario ad operationem, vel ſi ordinentur proxime ad operandum, non tamen ad operandum ſimpliciter, ſed ad operandum recte & faciliter. Sed obijcies: habitus fidei, ſpei, & charitatis, non tantum dantur ad bene, ſed ad ſimpliciter operandum, V.g. ad ſimpliciter credendum, amãdum, aut ſperandum, & tamen ſunt de prima ſpecie qualitatis, ergo hæ duæ ſpecies non diſtinguuntur. Addo, eſſe ſupernaturales habitus, ac per conſequens non diſponere ſubiectum ſecundum ſuam naturam. Reſpondetur, maiorem nunc admittendo (de qua in Theologia, neque enim eſt omnino certa) differentiam maximam eſſe inter potentiam & habitus iſtos. Primo, quia ſimul dãtur ad ſimpliciter, & ad bene operãdum; ſimpliciter autem ſecundum charitatem aut fidem operari, bene operari eſt, potentia autem vt ſic, abſtrahit à bene vel male. Secundo, operari ſupernaturaliter, vel præſupponit operari naturaliter, vel ſaltim poſſe, vnde ſupponit potentiam ad operandum vt ſic, ſicut ſupernaturale eſſe gratiæ, naturale eſſe ſupponit. Itaque charitas non datur ad ſimpliciter volendum aut amandum, ſed ſupponit voluntatem quæ eſt principium volendi, aut amandi, vt ſic, eamque potentem amare eleuat, vt amor hic non ſit amor vtcumque, ſed amor Dei finis ſupernaturalis. Vnde cum præſupponat in ſubiecto potentiam ſimpliciter volendi, charitas non eſt de hac ſecunda qualitatis ſpecie, ſed de prima.

Ad confirmationem Reſpondetur, hos habitus ſupernaturales bene diſponere naturam hominis, non quia naturales perfectiones ſint ipſius naturæ, immo quia ſuper naturales ſunt, melius perficitur illis ipſa natura, in ordine tamen ad ſupernaturales actus.

Sed Dubium eſt: An ad hanc ſpeciem pertineant potentiæ paſſiuæ, id eſt potentiæ non ad agendum, ſed ad recipiendum. Et primo reſiſtiuam aut reſiſtendi potentiam ad hanc ſpeciem pertinere, conueniunt omnes, propter Ariſtotelem id ita aſſerentem: licet enim aliquando reſiſtere non ſit operatio, duritiem tamẽ qua ſectioni aut diuiſioni

re-

reſiſtitur, reduxit ad potentiā operatiuam, quia reſiſtentia concipitur à nobis ad modum cuiuſdam reactionis in illum, à quo ſubiectum durum ſeu reſiſtens patitur. Tum etiā, quia ſicut Ariſt. 5. Meth. cap. 12. impotentiam appellauit capacitatem recipiendi aliquod nocumentum, aut aliquam nociuam actionem, quia potius deſeruit ad deſtructionem, quam ad conſeruationem rei, ſic nomine potentiæ comprehendit qualitatem illam, qua res à nocumento & actione deſtructiua defenditur; qualis eſt durities, qua ſubiectum difficiliter cedit diuiſioni, aut actioni corruptiuæ ſubiecti.

De alijs vero potentijs paſſiuis. Dubium manet; An in hac qualitatis ſpecie collocandæ ſint. Et quidem ſecundo videtur omnino certum; nullam paſſiuam potentiam præciſſè & formaliter ad hoc prædicamentum pertinere: quod probo ſic. Si aliqua potentia paſſiua pertineret ad hoc prædicamentum, maximè quæ eſt receptiua actionum & effectuũ potentiarum actiuarum huius prædicamenti, at tales actiones & effectus aliquando immediatè in ipſa ſubſtantia, aliquando in quātitate, & in alijs etiam ſubiectantur, vt dicemus in Philoſophia, ergo hæc ratio potentiæ paſſiuæ non pōteſt pertinere ad hoc prædicamentum, cum fere ad omnia alia prædicamenta pertineat; identificatur enim omnino cũ identitate ipſa rei ſuſcipientis aut patientis, & ideo ad idem genus entis, & ad eandē ſpeciem pertinebit cum illa. Sed probatur & explicatur ſecundo, quia ſubſtantia in ratione agendi, & patiendi, ſeu ſubſtandi, aut recipiendi, maximā differentiam habet, agendi enim non eſt immediatum principium, recipiendi autem, aut ſubſtandi, immediatum & proprium receptiuũ eſt, quia vel receptio eſt actus ſubſtantialis aut accidentalis; ſi ſubſtantialis, certum eſt ſubſtantialem actum aut formam, immediate recipi in ſubſtantia: ſi vero ſit actus aut forma accidentalis, immediate recipiuntur in ſubſtantia tanquam in ſubiecto *quod*; ſi vero aliquod accidens habet rationem ſubiecti *quo* hoc non eſt qualitas ſed quantitas. Ratio ergo potētiæ paſſiuæ non poteſt conuenire qualitati.

Nihilominus diſtingui poteſt, quia ſi de potentia riguroſè paſſiua loquamur, vera eſt hæc doctrina; ſi vero nomine potentię paſſiuæ intelligamus qualitatem diſponentem ſubſtantiam, vt melius formam aliquam

quam recipere poſsit, certum eſt potentiam paſsiuam pertinere ad hoc prædicamentum, & ad hanc ſpeciem, mollities enim qualitas eſt diſponēs ſubſtantiam ad facilius recipiendum, ſicut durities è contra ad reſiſtendum. Diſpoſitio etiam quæ remanet ex vltimo actu, vt habitꝰ acquiratur, diſponit ad recipiendum habitum, hæ ergo qualitates poſſunt appellari potentiæ paſsiuæ, & ſecundum hāc formalem rationem diſponendi ad recipiendū, ad hāc ſpeciem pertinebūt; nihil enim obſtat quominus vna & eadem qualitas ſecundum diuerſas formalitates ad diuerſas ſpecies poſsit pertinere, ſicut idem motus in genere actionis, & in genere paſsionis, in genere item quantitatis ſecundum diuerſas formalitates poni poteſt.

Quæres primo. An ſpecies intelligibiles & ſenſibiles, ad hāc ſpeciē pertineāt. Reſpōdetur, quod ſi cōſiderētur vt ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad operādū, ad hanc ſpeciē pertinēt: ſi vero vt ſunt qualitates perficiētes potētiā, & illā iuuantes ad modū habitus ad operationē, pertinent ad primā: ſi vero ſecundū quod ſunt termini alicuius actionis, pertinēt ad tertiā qualitatis ſpeciem, vt iā dico. Neq; eſt incōueniēs idē realiter (vt ſæpe dixi) ſecundum diuerſas rationes, ad diuerſas etiam ſpecies pertinere.

Quæres ſecundo quid intelligat Ariſtot. per ly *naturalis* quando dicit naturalis potentia. Reſpondetur ly *naturalis* idem eſſe quod non acquiſita, ad diſtinctionem habituū qui habentur per proprios actus ſubiecti, in quo ſunt, & ideo acquiſiti dicuntur, potentiæ autem non acquiruntur ſed a natura ipſa dantur.

Tandem dubitabis. An naturalis potentia & impotētia differant ſpecie. Breuiter dicendum eſt, naturalem potentiā & impotentiā, cum verſantur circa diuerſas operationes ſpecie, vel quando vna ordinatur ad agendum, alia ad reſiſtendum, ſpecie diſtingui. Patet, quia potentiæ diſtinguuntur per actus ad quos ordinantur, ergo quando actus ſpecie diuerſi ſunt, potentia etiam ſpecifice diſtinguetur. Idem conſtat, ſi vna ordinetur ad agendum, & alia ad reſiſtendum, quia agere & reſiſtere diuerſæ omnino rationis ſunt; ſi tamen naturalis potentia & impotentia verſentur circa idem, naturalis ſcilicet potentia ad aliquid fortiter agendum, impotentia vero ad idem agendum debiliter, certum

eſt non differre ſpecie: conſtat aperte exemplo illo potentiæ viſſus in iuuene, & ſene; eſt enim potentia viſus eadem ſpecie, immo eadem numero, in vno & eodem homine, quæ tamen, dum iuuenis eſt, eſt naturalis potentia, dum vero ſenex debiliter operatur, naturalis impotentia eſt. Ratione vero conſtat, quia potentiæ diſtinguuntur ſpecie per actus & obiecta, ergo quando verſantur circa eundem actum ſpecie, erunt eiuſdem ſpeciei. Diſtinctio enim operandi fortiter, aut debiliter accidentalis eſt, ſolumque pertinet ad magis & minus, ad perfectum & imperfectum, quæ ſecundum omnes non variant ſpeciem.

QVÆSTIO IIII.

Quid ſint Paſsio & Paſsibilis qualitas, & de his quæ ad hanc ſpeciem ſpectant.

MVltipliciter Paſsionis nomẽ vſurpari ſolet. Primo, pro proprietatibus quas cõmuniter appellamus proprias paſsiones. Secundo, pro receptione alicuius formæ, ſiue pro actione prout in paſſo recepta; qua ratione cõſtituit peculiare Paſsionis prædicamentum. Tertio, pro actibus internis appetitus ſenſitiui, qui etiam paſsiones dicuntur, vt amor, odium, gaudium, ſpes, timor, audacia, ira, verecundia, &c. Quarto deniq; præcipue & principaliter nomine paſsionis & paſsibilis qualitatis ſolẽt intelligi ab aliquibus, omnes & ſolæ qualitates illæ, quæ aptæ ſunt percipi ab aliquo ſenſu, atq; adeo ad hãc ſpeciem pertinent ſecundũ iſtos, omnia obiecta ſenſuum, vt colores, ſoni, ſapores, odores, qualitates etiam tãgibiles, vt calor, frig9 ſiccitas, humiditas quæ omnes vocãtur paſsiones vel paſsibiles qualitates, quia cauſare ſolent paſsionem in ſenſu, aut cauſantur aliquando ex paſsione appetitus tertia acceptione explicata; immo aliquando non tantum in ſenſu, ſed in ipſo appetitu quodammodo cauſant paſsiones, videmus enim albedinem aliquando,

Digitized by Google

do cauſare lætitiam, nigredinem e contra triſtitiam & metum, ſed proprius loquendo, rubor cauſatur ex verecundia, pallor ex metu; immo ad diuerſas paſsiones ſequuntur diuerſæ primarum qualitatum alterationes, nempe ad timorem frigus, calor ad iram, ſecũdum illud Poetæ.

Igneſcunt iræ, & duris dolor oſsibus ardet.

Et alibi. *Obſtupuere animi, gelidusque per ima cucurrit. Oſſa timor,* &c.

Secundo notandum eſt, quamlibet iſtarum qualitatũ paſsionem dici ſi parum duret: ſi vero diu perſeueret, paſsibilem qualitatem, V. g. rubor ex verecundia procedẽs, quia cito tranſit paſsio eſt, rubor vero natura inſitus patibilis qualitas: idem de pallore metu contracto, vel à natura, aut alicuius complexione prouenienie, dicendum eſt.

Tertio notandum eſt, quod tã actio, quam paſsio (loquor de paſsione ſecundo modo initio quæſtionis ſumpta) duplex eſt; alia perfectiua, corruptiua alia; paſsionem perfectiuã appellant Authores, receptionẽ alicuius formæ in ſubiecto, ſine expulſione contrarij, contrarij (inquam) poſitiui, vt receptio lucis in diaphano, & ſpeciei ſenſibilis in ſenſu, & intelligibilis in intellectu; corruptiuam vero appellant, receptionem formæ cum excluſſione contrarij, vt receptio caloris cum frigoris excluſione, quæ proprie eſt alteratio: & idem dicendum eſt de actione. Omnes autem qualitates quæ in hac ſpecie ponuntur, æthimologiam ſumpſere a ratione paſsionis corruptiuæ, quia hæc eſt præcipua in ratione alterationis paſsio, ſed licet hæc ſit ęthimologia, non tamen eſſentia. Aliud enim eſt id a quo nomen imponitur, aliud autem id, ad quod ſignificandum imponitur.

Quod autẽ hæc nõ ſit eius eſſentia. Probatur primo, quia ſonus vera qualitas eſt, & tamen nõ fit per propriã alterationẽ, aut actionẽ corruptiuã, cũ non fiat ex contrario præexiſtenti, neq; cauſat paſsionẽ corruptiuã in auditu, cũ non expellat aliquod cõtrariũ poſitiuũ ab illo. Idem patet ſecundo, in ſpecie intelligibili, quæ quatenus ab intellectu agẽti producitur pertinet ad hanc ſpeciẽ (vt vidébimus) & tamen neq; cauſat paſsionẽ corruptiuã, neq; per

Digitized by Google

actionem corruptiuam producitur. cum neq; expellat cõtrariũ, neq; ex præexiſtẽti contrario fiat. Ideq; de ſpeciebus viſsibilibus, & de verbis expræſsis, tã intellectus quã aliquorũ ſenſuũ externorum, quæ ex omnium ſententia ad hanc ſpeciem pertinent, & tamen neque contrarium prẹexiſtens expellũt, neq; ex præexiſtenti contrario fiunt, aut producuntur.

His ergo ſuppoſitis. Dicendũ eſt primo in hac quẹſtione. Probabile multum eſt, ad hãc ſpeciem pertinere tantum, qualitates omnes ſenſibiles, non præciſſe quatenus ſunt effectiuæ paſsionis in ſenſu, quia vt ſic potius pertinent ad ſecundam, ſed quatenus obiecta ſunt ſenſuum primo & per ſe: ſenſibilia, in quantum talis naturæ ſunt inter reliquas qualitates, quod illæ ſolæ ſentiri proprie poſsint, de quibus iã adduximus exẽplũ. Redditur hẹc cõcluſio veriſimilis primo, ex eo quod Ariſt. vtrãq; tã paſsionẽ, quã paſsibilẽ qualitatẽ deffinit in ordine ad ſenſum dicens, *paſsibilem qualitatem eſſe qualitatem difficile mobilẽ a ſubiecto afficientem ſenſum*. & idem de paſsione, ſi loco *dificile*, *facile*, addatur.

Secundo, quia iam probatũ eſt eius eſſentiam non conſiſtere in hoc quod cauſent, aut cauſentur ab aliqua actione corruptiua, ſed quod neque conſiſtat in hoc quod ſint termini alicuius actionis perfectiuæ aut corruptiuæ (vt communiter defenditur cum S. Tho.) Patet, quia hoc eſt commune omnibus rebus creatis, præter actionem ipſam, quod ſint termini alicuius actionis perfectiuæ aut corruptiuæ: vnde id quod eſt commune omnibus, non tãtum rebus iſtius prædicamenti, ſed etiam alterius, non debet cenſeri ratio & eſſentia alicui9 peculiaris ſpeciei. In qua ſtantes concluſsione, dicẽdum eſt: terminos intellectionum, volitionum, & ſimiles, reduci ad primam qualitatis ſpeciẽ, quatenus ſunt perfectiones potentiarũ (perficitur enim potẽtia ſuis actibus) ad ſpeciem diſpoſitionis: ſunt enim qualitates quæ in fieri & cõſeruari pẽdẽt ab actuali influxu agẽtis creati, qui talis influxus facile poteſt impediri, vel ab eodem agente ſuſpendi, ſi aliquo modo capax ſit libertatis. Sed qa S. Th. expreſſe. 1. 2. q. 49. ar. 20. eſsẽtiã huius tertiẹ ſpeciei qualitatis cõſtituit, in hoc quod ſit per ſe terminus alicuius actionis, ſiue perfectiuæ, ſiue corruptiuæ. Dicendũ eſt ſecundo (ne illi vlla ratione cõtrariemur) hanc eſſe huius tertiæ ſpeciei eſſen-

eſſentiam, quod fit facile ſi intelligatur non de quauis actione, quia hoc, vt recte probat argumentum factum, commune eſt rebus omnibus creatis, ſi ipſam excipias actionem, ſed de actionibus quæ aptæ ſunt produci per potentias ſupra in præcedenti ſpecie enumeratas, vel alicuius alterius actionis qualitatiuæ, vt lumẽ per illuminationem productum. Quod veriſimile fit Primo, quia congruens eſt, vt ſicut vna ſpecies ad ſedem potentiarum fuit deſtinata, alia etiam terminis per actionem harum potentiarum productis ad eorum locum & ſedem adaptetur. Secundo, quia cum hac ſententia ſtat optime, poni in hac ſpecie conceptus & ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles & ſimiles qualitates, quas ab hac excludere qualitatis ſpecie ſine ſingularitatis nota fieri non poſſet. Similiter per ly *corruptiua* aut *perfectiua* ſatis recte ſit argumentis in tertio notabili adductis, quæ tãtum de corruptiua loquuntur actione, aut paſſione. Per ly *per ſe* excluduntur habitus & ipſæ potentiæ, quæ non per ſe primo producuntur, ſed quaſi comproducuntur, potentia enim viſiua, auditiua, &c. comproducuntur ad productionem animalis; habitus etiam comproducuntur ad productionem alterius qualitatis, quæ producitur primo, & per ſe per actus quibus generatur habitus, quę dici ſolet vltima diſpoſitio: immo potentiæ ipſæ non producuntur per potentiam ad ſecundam qualitatis ſpeciem pertinentem. Per quod etiam Reſpondetur ad Ariſt. in præcedenti concluſsione adductum (ratio enim iam eſt ſoluta) particulas illas non inueniri in omnibus trãſlationibus, in illis autẽ in quibus inuenitur, hanc definit ſpeciẽ, quaſi exẽplificando in rebus & qualitatibus quę ſenſibiles ſunt, ac proinde notiores nobis, V.g. calor, frigus, &c. quæ ſimiliter ſunt termini per ſe alicuius actionis, ſcilicet calefactionis.

Dicendum eſt tertio in hac Quæſtione. Paſsio & paſsibilis qualitas tantùm differunt accidentaliter, conueniunt enim in eſſentia huius tertiæ ſpeciei iam explicata, ſolumq; differunt per hoc, quod vna diu durat, alia autem cito tranſit. Probatur primo, ex Ariſtotel. ponente exemplum paſsionis & paſsibilis qualitatis in colore eiuſdem omnino ſpeciei, dicit enim, ruborẽ aut pallorẽ ortũ ex cauſa cito tranſeunte, eſſe paſsionẽ, eundẽ autẽ colorẽ ex diuturniori exortũ cauſa, paſsibilẽ qualitatem.

Secundo ratione, ſupponendo, hanc diuturnitatem aut facilitatem remotionis non ſumi hic ab intrinſeco, & ex natura rei, tum, quia eadem omnino differentia eſſentialis nō poteſt eſſe duarum ſpecierum conſtitutiua, at facile aut difficile mobile, ab intrinſeco, differentia eſt conſtitutiua primæ ſpeciei qualitatis, non ergo eſſe poteſt differentia huius tertiæ. Tum ſecundo, quia hic Ariſt. eandem qualitatem, a quauis cauſa diu duret, aut cito tranſeat, appellat paſsionem, aut paſsibilem qualitatem. Ex quo ſic conficio argumentum. Paſsio & paſsibilis qualitas diſtinguūtur per hoc quod eſt diu durare, aut cito tranſire, vndequaque hoc proueniat, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco, ſiue ex natura ipſius qualitatis, ſiue ex quouis alio accidenti, hoc enim non variat ſpeciem vt patet, ergo, &c.

Sed contra dices. Secundum paſsionem non denominamur quales, ex Ariſtotele, neque enim ex eo quod aliquis pallorem cito tranſeuntem habeat ex timore contractum, appellatur pallidus, ſi aliàs nō habeat diu permanentem pallorem; paſsio ergo non eſt qualitas. Reſpondetur, quod licet non denominemur abſolutè & ſimpliciter quales, quia ab eo quod cito tranſit non dicitur aliquis abſolutè & ſimpliciter talis, dicimur tamen quandiu durat qualitas illa paſsionis, quales ab illa, pallidi V. g. aut rubi, quod ſufficit ad qualitatem, & ſic intelligendus eſt Ariſtoteles.

QVAES-

QVÆSTIO V.

Quid ſint forma, & figura, & an ſint plures ſpecies Qualitatis quam prædictæ.

NON Sumitur forma hic pro forma ſubſtantiali, aut abſolutè pro quauis forma accidentali, ſed tātum pro quadam qualitate vltimo vndequaq; terminante & circunſtante quantitatem, quæ non eſt diſtincta à figura, niſi tantū nomine: eadem enim qualitas quatenus conſideratur a Mathematicis, qui conſiderant quantitatem a materia ſenſibili abſtractam, appellatur figura, à Phiſicis autem, qui conſiderant quantitatem in materia ſenſibili, ſeu in corporibus, forma dicitur, vt indicent tam figuram, quam quantitatem, ipſos conſiderare in ordine ad materiam ſenſibilem, ſeu prout ſunt affectiones corporis naturalis, ac proinde vt habent rationem formæ aliquo modo. Addo, etiam, hoc ideo eſſe, quia figura ex interna ſubſtantiali forma rei profluit, diuerſitasq; figurarum valde ad diſtinctionem ſpecierum & formarum ſubſtantialium cognoſcendam, deſeruit. Ex quibus fit planum, non eſſe qualitates diuerſas: in quo non oportet immorari, quia res eſt clara.

Obijcies. Figura eſt modus quantitatis, ergo eſt ens incōpletum, ergo non poteſt eſſe ſpecies alicuius prædicamenti, ſed potius reductiue pertinebit ad quantitatem. Reſpondetur, duplicem eſſe modum: Alterum, qui ſolum habet hoc, quod eſt modificare, & eſſe cōplementum alicuius in ſuo genere, qua ratione ſubſiſtentia eſt modus ſubſtantiæ, & etiam inhærentia reſpectu accidentis, quæ non eſt natura completa, neq; ſpecies alicuius prædicamenti. Alius eſt modus, qui licet ſequatur ad aliud, non tamen dicitur illud proprie in ſua ratione complere, ſed eſt in diuerſo genere ab illo, & ipſe in ſuo genere eſt vere ens, &

quid completum, vt patet in relatione, quæ eſt modus fundaméti, & in Vbi, quod eſt modus rei præſentis in loco; & fere omnia accidentia hoc modo ſunt modi ſubſtantiæ, & iſte ſecundus poteſt optimè per ſe pertinere ad aliquod prædicamentum, vt patet in exemplis adductis, & de his eſt figura.

Sed contra obijcies Secundo, quia figura nihil aliud videtur eſſe, quam ſitus & ordo partium in ordine ad locum, vnde non pertinebit ad hoc prædicamentum, ſed ad prædicamentum ſitus. Reſpondetur, duplicem eſſe figuram, aliam quantitatiuam, quæ eſt diſpoſitio partium in ordine ad ſe, aliam localem, quæ priorem conſequitur, & hæc non differt a ſitu, prior tamen eſt, quæ pertinet ad hanc ſpeciem. Diſtinctio autem harum figurarum conſtat aperte in manu, in qua forma illa exterior digitorum, palmæ, &c. eſt figura quantitatiua, hac autem inuariata, poſſunt variari figuræ, & præſentiæ locales in ordine ad locum, ſi extendatur, aut comprimatur, aut diuerſas omnino figuras in ordine ad locum acquirat: figura ergo illa manus in ordine ad ſe, ſiue contracta ſiue extenſa, &c. eſt de hoc prædicamento. Secundo vero modo ſumpta, eſt de prædicamento ſitus, quod apertius conſtat in corpore Chriſti Domini Redemptoris noſtri in Sacramento altaris, vbi corpus eius non habet figuram localem, cum eius partes non ſint extenſæ in ordine ad locum, habet tamen figuram quantitatiuam, nam ſubqualibet parte ſpecierum habet caput, pedes, oculos, manus, & reliquas partes corporis, quæ non poſſunt intelligi ſine figura.

Tandem Notandum eſt. Aſperum & lene quatenus dicunt hanc rationem figuræ, ſcilicet, quod aſperum conſtet, nunc ſuperioritate, nunc inferioritate, & lene quaſi figura plana, pertinent ad hanc ſpeciem; ſi vero alio modo cō ſiderentur, ad alias.

Ad id quod ſecundo loco, inquirit Quæſtio. Reſpondetur cum Sanct. Thom. loco citato, non eſſe plures, nec pauciores. Ex eodem autem Sancto Doctore earum deſumo ſufficientiam ſic. Qualitas eſt peculiaris determinatio ſubſtantiæ, ad modum ſupra explicatum, ergo quot modis modificatur ſubſtātia per qualitatem, tot erunt ſpecies eius, ſubſtantia autem vel determinatur vt bene vel male ſe habeat

beat in ordine ad ſe, ſeu ſecundum ſuam naturam, & quaſi conſequenter ad operari, modo quo explicatum eſt ſupra, & ſic eſt prima ſpecies, *habitus* ſcilicet, & *diſpoſitio*: vel ſecundum operationem, & hoc, vel ſecundum primum principium, & ſic conſtituitur ſecunda ſpecies, vel ſecundum terminum, & ſic tertia, vel tandem determinatur ſecundum quantitatem, & ſic eſt quarta. Cum ergo non ſit alia determinatio, non erunt aliæ ſpecies qualitatis, vel ad minus, nullæ erunt qualitates, quæ ad has non poſsint rectè reduci; nihil autem obſtat (vt ſupra dixi) eandem rem ſecundum formalitates diuerſas, ad diuerſas has ſpecies pertinere.

Sed objicies, Ariſtotelem dixiſſe, fortaſſe eſſe plures, ſed hoc dictum magis fuiſſe modeſtè quam Metaphiſicè dictum, intelligendum eſt.

QVÆSTIO VI.

De Proprietatibus Qualitatis.

CIrca primam: *Qualitatem* ſcilicet, *habere contrarium* conſtat proprie loquendo, qualitatibus conuenire, vt ex his quæ in proprietatibus aliorum prædicamentorũ dictum eſt, manet explicatum; nec tamen ita proprie conuenit, vt conueniat quarto modo, quia non conuenit omni, lux enim & figura, immo neque intellectus, & voluntas non habent contrarium, immo neq; ſoli conuenire videtur, quia ſicut frigus & calor cõtraria ſunt, ita calefactio, & frigefactio, vt de actione capite ſequenti tradit Ariſt. ſed hoc conuenit actioni ratione termini: quod proprijſsimè conuenit primis qualitatibus, vt calori, frigori, humiditati, & ſiccitati: inter qualitates autem medias, licet non ſit ita propriè contrarietas, contrariantur tamen extremis, vt viride albo, &c.

Ex hac quaſi ſequitur ſecunda, ſcilicet, ſuſcipere magis & minus, de qua etiam aliquid

BREVIS DISPVTAT.

De ſex vltimis Prædicamentis.

DE His ſex vltimis Prædicamẽtis, breuiter in præſenti diſſeruit Philoſopho non quia facilia, vt docẽt aliqui: (ſunt enim difficilia ſatis, vt ex profeſſo 3. & 4. Phiſicorum conſtabit, & in præſenti videbimus) ſed quia de illis, citatis locis Phiſicorum latiſsime diſſerendum eſt. Vnde nos etiam, Philoſophi ſequẽtes veſtigia, breuiter de his agemus in præſenti, latius in Phiſicis, cum eodem Philoſopho diſputaturi. De his autem ſex Prædicamentis, late diſſeruit Gilbertus quidam Porretanus, integram de illis conficiens tractationem, ideoque author ſex Principiorum, aut Prædicamentorum dicitur.

DE ACTIONE, ET Paſsione.

RElicta actione Grammaticali, pro ſignificato ſcilicet cuiuslibet verbi actiui, (hæc enim neque eſt actio realis, ſed nominalis, neque ad nos de illa agere expectat.) Actio realis tribus præcipue modis ſumi poteſt. Primo, pro ſolis actibus liberis voluntatis, quo modo ſumitur ab Ariſt. 2. lib. magnorum moralium cap. 2. Secundo modo ſumitur pro qualibet actione immanenti, ſub qua comprahenduntur nõ

ſolum

ſolum actiones potentiarum rationalium, intellectus ſcilicet & voluntatis, ſed etiam actiones appetitus ſenſitiui, & ſenſuum, tam externorum, quã internorum, qua acceptione vſus eſt Ariſt. 5. lib. Ethi. cap. 4. Tertia tamen acceptio, vniuerſalior eſt & propria, pro quacumque ſcilicet vera actione, à quouis efficienti dimanans, ſiue libera ſit, ſiue neceſſaria, ſiue in eodem agente maneat: (quæ ideò dicitur actio immanens) ſiue in aliud ſubiectum tranſeat, (quæ ideo actio tranſiens nũcupatur.) Ommitto alias quaſi actionis acceptiones, quæ ab alijs exprimuntur, vt actiones artificioſæ, fortuitæ, violentæ, &c. hæ enim, etiam in hac tertia vniuerſali actionis acceptione includuntur, & ſatis accidentaliter quod attinet ad eas, vt in hoc prædicamento collocantur, per rationes illas expræſſas diſtinguũntur. Ariſt. ergo in hac tertia actionis ſignificatione, illam capite præſenti vſurpauit, exemplificans tam in actionibus immanentibus, vt in dolore, & triſtitia; quam in in actionibus tranſeuntibus, vt in calefactione & infrigidatione. Et ſic ſumpta actio, eſt ſupremum genus huius prædicamenti, quod idem proportionaliter de Paſsione dicendum eſt. Actionem igitur ſic deffiniuit Gilbertus. *Actio eſt ſecundum quam, in id quod ſubijcitur agere dicimur.* Sed hãc deffinitionem ex recentioribus nonnulli obſcuram, alij limitatam, neque omnes actiones cõpræhendentem eſſe affirmant, obſcura quidem quia id eſt quod inquiritur, quid ſcilicet ſit illa forma per quam agere denominamur? Limitata autem quia non compræhendit actiones tranſeuntes, per quas ſolum dicimur agere circa aliud nobis, non ſubiectum. Sed neq; compræhendit actiones, quæ non habent præſuppoſitũ ſubiectum, qualis eſt creatio. Deffiniunt ergo ipſi actionem & Paſsionem ſic. *Actio eſt via, quà media, effectus recipit eſſe, vel conſeruationem ab agente. Paſsio verò eſt, à qua aliquid dicitur pati, per impreſsionem effectus ab agente.* Sed imprimis Deffinitio Gilberti non eſt adeo obſcura, cum enim omnibus peruium ſit eſſe agẽtia, & illa in effectum influere, ab illisque *fieri* rei dimanare, rectè intelligitur actionem eſſe *fieri* rei, prout ab agente, ſatisq; declaratur per hoc, quod actio ſit ſecundum quam, in id quod ſubijcitur agere dicimur. Sed quod ſecundo loco obijciunt de limitatione, & inſufficientia deffinitionis; falſum

ſum eſt. Rectè enim compræhenduntur actiones tranſeuntes, in eo enim quod dicitur *id quod ſubijcitur*, tam ſubiectum ab agente diſtinctum, quam ipſummet agens, vt recipit, & patitur intelligitur. Siue enim paſſum diſtinctum ſit ab agente, ſiue idem, ſemper eſt id quod ſubijcitur; ac proinde, tã tranſeunti, quam immanenti actioni conuenire poteſt prædicta Gilberti deffinitio. Quòd vero ad creationem attinet, vel dicendum eſt, creationem non eſſe veram, & propriam actionem, ſed ſolam relationẽ dependentiæ creaturæ a Deo: vel ſecundo, ſi actio ſit, rectè prædicta deffinitione cõprehẽdi, tunc autẽ, effectus in eodẽ inſtanti ſuæ creationis illam recipiens, erit id quod ſubijcitur. Vel tertio, tam Ariſto. quã Gilbertum, Philoſophosque alios, de actione naturalis agẽtis, quæque naturali vi (vt ſic dicam) egreditur, diſſeruiſſe; & ideo Gilbertus, proprium ait eſſe actionis prædicamentalis, eſſe cum motu aut mutatione: & Ariſt. actionem deffinit, *eſt motus prout ab agente*, quod non conuenit creationi. Definitiones autem quas recentiores adducunt, verè inſufficientes ſunt. Primo, quia actionem deffiniunt per viam, formalitas autem & expræſsio viæ, trahit incompletionem, ideoque motum, vt viam à ratione directa prædicamenti excludunt omnes. Actio ergo, quæ tanquam genus generaliſsimum conſtituit prædicamentum, male per formalitatẽ entis incompleti deffinitur; Paſsionem etiam nõ recte deffiniunt, paſsio enim non eſt impræſsio effectus, neq; enim receptio effectus eſt paſsio, ſed receptio motus, eſt enim paſsio, motus prout in paſſo, ex Ariſ. 3. Phiſ. vbi peculiariter de hoc latius differendũ eſt. Deinde, dum dicit aliquid pati per impręſsionem effectus, non comprehendit creationem, quod tanquam inconueniens, ab eiſdem contra deffinitionem Gilberti adducebatur. Quòd vero non comprahendatur creatio, patet, quia dum dicitur pati per impręſsionem effectus, ſupponitur non pati effectum ipſum, ſed ſubiectum cui effectus imprimitur, ac proinde præſupponi ſubiectum ad paſsionem, & actionem, quod creationi, nullum præſupponenti ſubiectum, conuenire nequit.

Rectè ergo actionem deffiniuit Gilbertus: clarius autẽ ſic definies. Actio eſt fieri rei prout ab agente, vel actio eſt forma accidentalis, qua media potentia actiua, ſeu agẽs, in effec-

effectum influit. Paſsio vero eſt fieri rei, prout in paſso, vel forma accidentalis, qua media effectus recipit eſſe ab agente. Ex quo conſtat neceſſaria connexio actionis & paſsionis, & realis identitas inter illa, ſolumque diſtingui ratione ratiocinata, ſunt enim idem met fieri, & idem motus, ſub diuerſa tamen formalitate, ſub qua ſpecies & genera diuerſa comprehendi poſſunt. Quòd autem diſtinctio rationis ſufficiat ad diſtinctionem prædicamentorum, in fine huius diſputationis dicemus.

Sed obijcies primo. His duobus poteſt dari aliquid cómune vniuocũ, ergo nõ ſunt prędicaméta diuerſa. Antecedés probo, quia eſſe formam imperfectam conſiſtentem in fieri, eſt commune, & vniuocum actioni & paſsioni, cum in hac ratione conueniant, & per vltimas alias rationes diſtinguãtur. Reſpondetur, hanc eſſe rationem tranſcendentem rationes particulares vtriuſque generis huius, ſicut enim ratio accidentis in facto eſſe, tranſcendit differentias ſuorum inferiorum, V. g. quantitatis, &c. ita ratio accidentis in fieri, tranſcendit differentias actionis & paſsionis. Addo. paſsionem, eo modo quo concipitur diuerſa ab actione, concipi ab actione dependens, & ex illa quaſi reſultans, quod veræ vniuocationi repugnare ſolet, homo enim non apprehenditur vt dependens ab equo, aut è contra.

Circa actionis diuiſionem (ſi creatio actio eſt) Primo diuiditur actio, in eam quæ præſupponit ſubiectum, appellari que ſolet communiter, eductio formæ de potentia materiæ, aut vnitio eius cum materia; & in aliam quæ eſt fieri rei nullo præſuppoſito ſubiecto, qualis eſt creatio. Secundo diuiditur actio, in actionem ſubſtantialem, & accidentalem, ſumpta denominatione a terminis, ſubſtantialis enim eſt per quam producitur, aut conſeruatur ſubſtantia, accidentalis vero, per quam producitur aut conſeruatur accidens. Tertio diuidi poteſt, in actionem immanentem, quæ ſcilicet in agente manet, & in actionem tranſeuntem, quæ in ſubiecto alio ab agente diſtincto recipitur. Tandem quarto diuidi poteſt, in actionem ſucceſsiuam, ſcilicet quæ tempore durat, vt calefactio, aut nutritio, & in inſtantaneam, id eſt quæ inſtanti temporis menſuratur, vt generatio.

Circa Proprietates actionis & paſsionis, duas quas hic enumerauit Philoſophus, ſcilicet ha-

Digitized by Google

haberè contrarium,& ſuſcipere magis & minus, non conueniunt actioni aut paſsioni,niſi ratione terminorum, inter quos reperitur contrarietas; vnde neq; omni actioni, quia non omnis terminus eius habet contrarium, magisq; aut minus ſuſcipit: neque paſsioni ratione ſui. Tertiam addit Gilbertus,ſcilicet ſemper eſſe cum motu,aut mutatione: ſed hāc iam diximus actioni naturali præſupponenti ſubiectum non vero omni actioni (ſi creatio includatur) conuenire. Addunt alij, proprietatem eſſe actionis,paſsionē inferre,quia neceſſe eſt actionem quæ eſt accidens in aliquo recipi, illa tamen vt recepta paſsio eſt; ſed licet paſsio ſemper inferatur,ſi actio detur,non recte dicitur actionem in ferre paſsionem, quia vel illud inferre eſt illatio conſequentiæ, & ſic plura alia infert actio, ſcilicet agens, ſubiectum, & omnia etiam quatuor genera cauſarum: ſi vero inferre ſonet dationem,ſeu Phiſicam exhibitionem, ſicut paſsio non non fit ab actione, non recte dicitur inferri ab actione,ſed ab agente.

DE PRAEDICAMENTO Vbi.

PRæter locum extrinſecum, (quem Capite de Quantitate deffiniuimus) neceſſario concedendum eſt *Vbi* ſeu locus intrinſecus. Ratio clara id perſuadet:cū enim impoſsibile ſit motū dari,quin detur terminus talis motus,& terminus motus localis non ſit ſuperficies illa vltima continens, debet dari aliquis terminus illi9 quod nos appellamus *Vbi* Sed probo ſuperficiem illam non poſſe eſſe terminum motus localis,(antequam explicē quid ſit Vbi) primo ſic.Quia aliquādo moueri poteſt corpus localiter,& tamen non mutari ſuperficiem ambientem,vt contingit aquæ,quæ ſimul cum vaſe mouetur, & aliquando etiā poteſt mutari ſuperficies ambiens, & non moueri corpus localiter,vt contingit in turri, circa quam innumeræ mutantur ſuperficies ambientes, illa immota, & in baculo in medio fluminis fixo. Secundo,

Cœlum

Cœlum Empireum moueri poteſt a Deo,&c tamen non poteſt acquirere nouum locum extrinſecum, quia non eſt in loco extrinſeco ſecundum ſuperficiem conuexam;homo etiam qui moueretur per vacuum,vere moueretur localiter, & tamen non acquireret locum:neceſſario ergo concedendum eſt quoddam genus entis,quod conſtituat hoc prædicamentum, quod ſit terminus qui acquiritur, vel deperditur,per motum localem.

Vnde pro eius explicatione dicendum eſt. Vbi,eſſe quẽdam modum realem, & intrinſecum illi rei quæ alicubi eſſe dicitur, a quo habet talis res quòd ſit hic,vel ſit illic,qui modus per ſe non pendet a corpore circumſcribente,neq; ab aliquo alio extrinſeco, ſed ſolũ materialiter à corpore quod alicubi eſt;effectiue autem ab ea cauſa quæ tale corpus ibi conſtituit, vel conſeruat. Ex quo fit primo, vt *Vbi* ſit aliquid reale,patet,quia cum corpus dicitur eſſe hic, vel illîc, his vocibus ſignificatur aliquid reale cõueniens tali corpori;tũ,quia a parte rei id eſt verum ſine vlla mentis fictione:tum ſecundo,quia (vt dicebam) illud poteſt acquiri, & amitti per mutationem realem. Ex quo fit ſecundo, *Vbi*, non eſſe aliquid merè extrinſecum corpori vbicato, neque in ſola denominatione extrinſeca cõſiſtere.Primo,quia per mutationem ſolius denominationis extrinſecæ, non mutatur res realiter, nã etiam in Deo poſſunt variari denominationes extrinſicæ, qui tamen immutabilis eſt;ſed corpus ſi nũc ſit hìc, & poſtea illic, mutatur realiter,ergo.Secundo,quia ſi eſſet aliquid extrinſecum,maximè corpus circundans, aut ſuperficies vltima eius,ſed hoc non, poteſt enim, (vt probatũ eſt) variari corpus circundãs, & corpus ibidem manere, vt antea erat, & è conuerſo, res quæ erat hic, alibi conſtitui, etiam ſi eadem ſuperficie corporis circunſtantis circunſcribatur,vt exemplis turris,& vaſis aquæ probatum eſt. Si ergo mutata circunſcriptione, manet idem eſſe hic, aliquid aliud eſt quam extrinſeca circunſcriptio,præcipue, quia in vacuo etiam eſt *Vbi*. Fit tertio *Vbi* eſſe modum diſtinctum realiter à ſubiecto, patet,quia poteſt amitti,& de nouo aliud acquiri, eodem ſubiecto manente.

Eſt ergo (vt ex dictis colligamus definitionẽ:) *Vbi, præſentia rei in ſpacio loci,cuicumq; enti creato conueniens*. Explicata eſt iam definitio. Dicitur autem

tem *in ſpatio loci*, quia licet per ſe, loci circunſcriptionem non requirat, ob naturalem tamen ordinem corporum vniuerſi, nunquam eſt ſine illa, præterquã in vltima Sphera Cœleſti; vel ſecundo, nomine *ſpatij*, intelligitur ſpacium verum aut imaginarium. Dicitur autem *loci*, quia ſpacium illud imaginarium circunſcribens, ad modum loci intelligitur; & vacuum definiri ſolet, *eſt locus aptus repleri*, vnde omnes rationem Vbi, per ſpacium aliquod explicant, ſaltim imaginarium.

Dixi *cuicumq; enti creato cõueniens*, quia Deus nõ propriè habet *Vbi*, ſed eſt vbique, neq; in illo locum habet aliqua ratio prædicamentalis, excedit enim omnia prædicamenta, accidentia etiam Deo omnino repugnant; Cætera autem entia creata, (etiã Angeli) proprium Vbi habẽt: vt enim recte inquit D. Tho. ſpiritus creati mutabiles ſunt, ſecundum electionem, & ſecundum locũ, per veram potentiam paſsiuã in eis exiſtentem: & ita 1. p. q. 53. ar. 1. docet, Angelum moueri dimittendo vnum locum, & acquirendo alium, quæ eſt etiam cõmunis ſententia Scholaſticorum cum D. Tho. ibi, & cum Magiſtro in 2. diſt. 6. Immo D. Bernardus ſerm. 5. in cãtica, *Angelos* (inquit) *de loco ad locum mutari, tam indubitata, quam manifeſta probat authoritas.* Ex quo fit, vt ſi mutantur localiter verè, verum etiã habeãt vbi. Tum, quia ſpiritualis ſubſtantia ita poteſt eſſe in re corporali, vt ſecundum ſuã ſubſtantiam ſit illi intimè præſens, & ab illa indiſtans, ergo eſt illìc, & cum non ſit vbique, erit ibi, & non alibi: ſed eſſe determinatè hìc, aut illìc, eſt habere vbi, ergo. Tum ſecundo, quia omnis motus intrinſice inhærens alicui ſubiecto, relinquit in eo aliquem realem terminum, quia motus eſſentialiter eſt via & acquiſitio termini; ſed in ſubſtantia Angeli ineſt aliqua vera mutatio realis cum mouetur localiter, ergo aliquid per illam acquiritur, vel amittitur, in tali ſubſtantia intrinſecum & inhęrens.

Ex his colligitur diuiſio *Vbi*, in circunſcriptiuum, & definitiuum, circunſcriptiuum eſt *Vbi*, quod habet corpus quantũ, quod ita eſt pręſens ſpacio, vt toti ſpatio correſpõdeat totũ corpꝰ & partibus correſpõdeant partes, *Vbi* vero definitiuum, poteſt vocari ſimplex præſentia in ſpatio, per quam res dicitur præſens, ſine commenſuratione vel accommodatione ad illud, per quod

Vbi, res ſpirituales præſentes ſunt. Dicitur autẽ definitiuũ, quia licet hic modus *Vbi* non commenſuretur ſpatio quantitatiue, nullus tamen ſpiritus creatus,ſecũdũ ſubſtantiã ſuã poteſt eſſe cuicũq; ſpatio aut magnitudini præſens,ſed vnusquiſq; habet in hoc Spherã limitatam,& definitã.Ratio eſt, quia cum perfectio ſubſtantiæ Angelicæ ſit finita,& limitata, proprietates,& virtutes finitas etiã & limitatas habet,vna autẽ proprietatum eſt, poſſe eſſe præſentẽ magnitudini & ſpatio extenſo, ergo hæc cũ limitatione in Angelo reperietur. Addo,immẽſitatẽ eſſe propriã Dei,ratione cuius vbique eſt, quæ cũ Angelo conuenire nequeat, Angelꝯ hic,aut illic erit per determinatum *Vbi*.

Secundo diuiditur *Vbi* ab Ariſt.7.& 8.libro Phiſ. in *Vbi* ſurſum, & deorſum, per quæ, tanquam per proprios terminos ſpecie diſtinguuntur motus locales ſurſum,& deorſum. An autem ipſa *Vbi* terminantia,ſpecie diuerſa ſint,controuerſa res eſt inter authores,5.Phiſ.determinanda.

DE PRAEDICAMENTO Quando.

VOx *Quando* latine ſumpta,non eſt nomen ſignificans rem aliquã, ſed eſt aduerbiũ tẽporale,quo vtimur ad interrogandum quo tempore res ſit,aut operetur, inde vero translata eſt ad ſignificãdam formã quandam accidentalem inhærentem rei,ratione cuius ad interrogationem de *Quando* reſpondemus. Dicimus enim,hodie,aut heri, aut alio ſimili tempore rem eſſe vel fuiſſe, vnde Ariſt. cum veniſſet ad hoc prædicamentum inquit,*Quando autem,vt heri, ſuperiori anno*,&c. Gilbertus vero definit *Quando* dicens. *Quando ſignificat rationem ex temporis inſidentia relictam,nõ vero tempus ipſum*.Et infra ait, *eſſe quandam affectionem rebus additam,per quam dicuntur eſſe,fuiſſe,aut futuras eſſe, non vero tempus ipſum*.Hinc orta eſt illa vulgaris deſcriptio qua etiam vtitur Sanct. Thom. opuſculo 48. dicens. *Quando eſt id quod ex adiacentia temporis relinquitur*, quæ definitio

ſatis obſcura eſt, nimiſque diffi cilè explicatu, quid ſit illud quod relinquitur ex adiacentia temporis, ita vt prædicamentum aliquod poſsit conſtituere.

Pro eius tamen explicatione, Notandum eſt ex eodem D. Thom. citato loco, motum primi mobilis regulariſsimũ eſſe, & ideo durationem eius certiſsimam eſſe menſuram durationis rerum omnium tẽporalium, vt ſcilicet tempore durant. Quo ſuppoſito dicunt aliqui, ſatisque probabiliter, quòd *Quando* nihil aliud eſt quam intrinſeca duratio rei temporalis, quæ explicari non poteſt niſi per ordinem coexiſtentiæ ad aliam durationem veram, aut imaginariam, dicimus enim heri hoc feci, id eſt, quando habebam intrinſecam durationem, qua correſpondebam, vel coexiſtebam tali circulationi primi mobilis. Duratio autem ipſa primi mobilis etiam (inquiunt) pertinet ad hoc prædicamentum, eſt enim vera duratio rei temporalis, poteſtque menſurari, vel ſe ipſa vt ratione diſtincta, vt ſi inquirenti, quando primum mobile circulationem integram con fecit, reſpondere poſſumus, heri: vel ſaltim menſurari, aut explicari poteſt eius duratio per ordinem ad aliam durationem non veram, ſed imaginariam, cum eſſe non poſsit alia duratio perfectior, & conformior per quam duratio primi mobilis regulari poſsit. Quod ſi obijcias, durationem motus primi mobilis eſſe tempus, quia tempus eſt duratio motus, tempus autem pertinet ad prædicamentum quantitatis. Reſponderi poteſt: tempus dupliciter conſiderari poſſe: primo, vt eſt quoddam ens habens extenſionem partium ſucceſsiuarum continuatam indiuiſsibilibus, nempe inſtantibus, & hoc modo pertinet ad prædicamentum quantitatis. Aliò vero modo conſiderari poteſt, vt eſt duratio motus, aut mutationis, ſecundum quam rationem abſtrahit a ſucceſsiuo & inſtantaneo, dicitque perſiſtentiam motus, aut mutationis; & hoc modo pertinet ad hoc prædicamentum, apertum enim eſt, quod ſi in ratione quantitatis neceſſario dicit extenſionem, & in ratione durationis abſtrahit ab illa, diuerſæ rationes formales ſint.

Reſponderi tamen poſſet melius, quòd ſi de duratione rigoroſè loquamur, licet detur

menſura motus, non tamen duratio mot9. Ratio eſt, quia duratio, eſt permanentia & perſiſtentia rei, res autem ſucceſsiuæ nec permanent, nec perſiſtunt, ſed in cõtinuo fluxu ſunt, ita vt riguroſè loquendo, nulla detur pars tẽporis aut motus præſens, ſed tãtum inſtans, ergo non durant. Quod etiam ſignificat nomen ipſum durationis, ſonat enim permanentiam, ſicut res duræ dicuntur quæ permanent, nec facilè cedunt diuiſioni, aut corruptioni. Addo, durationem eſſe accidens quoddã, aut rationẽ, quæ ſequitur poſt primum eſſe rei: prius enim eſt, aut intelligitur quod res ſit, quã quod duret: ſed in rebus ſucceſsiuis nihil poteſt intelligi quod ſequatur poſt primum eſſe rei, quia immediate omnino poſt primũ eſſe rei, ſequitur illius non eſſe, quę ratio omnino oppoſita eſt durationi, ergo. Sed de hoc latius 4. Phiſicorum.

Alij ergo Doctores probabilius diſtinguunt durationẽ, in durationem per ſe ſucceſsiuam, qualis eſt duratio motus, & in durationem rei permanentis; aſſeruntq; durationes omnes rerum permanentium (æternitatem excipio) etiam Angelorum, pertinere ad hoc prædicamentum, & eſſe quoddam accidens ex natura rei a ſubſtantia diuerſum, quod poteſt definiri ſic. *Eſt præſentia rei in ſpatio temporis, ſiue veri, ſiue imaginarij.* Sicut enim *Vbi* definitur, præſentia rei in ſpatio loci, ſiue veri, ſiue imaginarij, ſic *Quando* rectè definitur præſentia rei in ſpatio temporis veri aut imaginarij, non quod tempus, aut coexiſtentia cum illo ſit de eſſentia *Quando* ſicut neq; commenſuratio cũ loco extrinſeco eſt de eſſentia *Vbi* ſed quia nos durationem rerum per hanc coexiſtẽtiam cum regulari circulatione primi mobilis menſuramus: & ex duratione rerum temporalium, ad cognoſcendam durationem rerum ſpiritualiũ ducimur, & ideo rationem huius prædicamenti authores per hanc cum tempore adiacentiam, aut commenſurationem definiunt, vel per id quod ex illa reſultat, reſultat enim duratio, vt nobis cognita, ideoq; claritatis gratia vt ſic definitur.

Sed quia ſatis probabile eſt durationem non diſtingui ab exiſtentia rei, nihil enim videtur aliud hæc duratio intrinſeca quam exiſtentia rei permanens, ſeu non corrupta, & in hac opinione, exiſtentia ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, & conſequenter, duratio ſubſtantiæ

ſubſ-

Digitized by Google

ſubſtantia eſt, hæcq; ad prędicamentum accidentis non poteſt pertinere, & durationes etiam cæterorum prædicamẽtorum, ad eadem prædicamenta, aliqui ſatis probabiliter aſſerunt, hoc prædicamentum, *Quando* non eſſe niſi extrinſecam quandam denominationem, ortam ex eo quod res dicantur tempori coexiſtere. Quæ ſententia ſatis probabilis eſt. Prior vero, quia melius ſaluat authoritatem Ariſtotelis & diuiſionem decem prædicamentorum, communiter receptam, deffendatur.

DE PRAEDICAMENTO Situs.

RElictis aliquibus acceptionibus huius vocis Situs, propria acceptione ex Gilberto, & ex Ariſt. 5. Meth. cap. 19. ſic poteſt definiri. *Eſt forma quædam accidentalis intrinſeca rei, habentis partes ſic, vel ſic diſpoſitas, quibus res apta redditur ad bene exercendas aliquas operationes*, vt ſtare, ſedere, iacere, &c. Quod ergo Situs non ſit denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca forma, probatur: quia ſedere V. g. quæ eſt forma ad hoc pertinens prædicamentum, non ſumitur a ſede in qua quis ſedet, ſed a ſeſſione, quæ eſt interna quædam diſpoſitio ipſius corporis ſedentis. Similiter ſtare, quis non dicitur ab aere circunſcribente, neque a terra in qua ſtat, ſed ab intrinſeca diſpoſitione corporis, quæ etiam in vacuo reperiri poſſet, in quo homo vere eſſet ſtans, aut ſedens, per intrinſecam diſpoſitionem partiũ corporis in ſe. Secundo, quia prædicta diſpoſitio reddit hominẽ aptum ad facilius exercendas tales operationes, ſed per denominationem extrinſecam præciſſè, nõ ponitur realis aliqua aptitudo in ſubiecto, vt realem operationem exerceat, ergo ratio Situs non conſiſtit in denominatione extrinſeca, Dixi, *rei habẽtis partes*, quia res incorporeæ nõ habẽt Sitũ, eſt enim diſpoſitio totius, reſultans ex ordine partium, res autem incorporea non habet partes: quæ ratio Situs non vtcumq; requirit partes, ſed eas quæ diuerſarum rationum aut figurarum

capaces ſint. & ex propria & intrinſeca virtute diuerſimodè componi poſſunt, aut diſponi, in ordine ad locum; conſtat enim ſtare, iacere, ſedère & ſimilia, non poſſe conuenire rebus inanimatis; vnde rationē ſitus definiuit Gilbertus in ordine ad animalia dicens. *Situs eſt poſitio partium corporis, & generationis ordinatio*, nomen generationis ad animalia referens, quæ ſecundum naturam & generationem, ſuarum partium ordinationem habent, vt homo, caput ſurſum, deorſum pedes, &c. & hanc ordinationē (vt ſic dicam) flexibilem, & variabilem in intrinſeca earum diſpoſitione. Quòd autem hæc diſpoſitio partium, in qua conſiſtit ratio formalis huius prædicamēti, diſtinguatur ab *Vbi*, non ſolum ratione, vt contendunt recentiores cum Suarez 2. tom. Metaph. diſputat. 52. ſect. 1. nu. 9. Probatur aperte, quia inuariata partium diſpoſitione ſtandi, vel ſedendi, poſſunt variari plura *Vbi*, vt ſi quis ſedens aut ſtans moueatur, varianturneceſſario *Vbi* per motum localem, inuariata interna diſpoſitione ipſius corporis ſedentis; cum ergo corrumpatur *Vbi* præexiſtens manente eadem interna diſpoſitione corporis, nō poſſunt realiter identificari, aliàs, idē maneret & non maneret realiter, quod (vt capite de Relatione vidimus) concedi non poteſt. Quòd vero diſtinguatur a figura. Conſtat primo, quia figura & ſitus habent diuerſas definitiones. Secundo, quia inuariato ſubiecto figuratiuè varientur ſitus per diuerſos modos ſtandi, aut ſedendi ipſius rei figuratæ, etenim in quantitate nulla eſt intrinſeca mutatio per ſtare aut ſedere, in ordine ad figuram, rectè tamen in ordine ad ſitū; præcipue quia ex figura vt ſic præciſſè, non ſumitur maior aut minor aptitudo ad facilius exercendas operationes, ſicut ſumitur ex diſpoſitione, & ſitu. Tertio, quia ſatis probabile eſt rationem ſitus, debere eſſe diſpoſitionem habentis partes extenſas localiter, ita vt quantum eſt ex parte diſpoſitionis earum, extenſa ſint in ordine ad locum, etiā ſi in vacuo reperiri poſsint, ratio autem figuræ in quantitate eadem eſt, quantumuis extenſione hac in ordine ad locū careat; per ſitum ergo intelligitur modus aliquis ſuperadditus rei figuratæ, & vbicatæ, diſtinctus proinde a figura, & vbi.

Deniq; dicitur, quòd per talium partium diſpoſitionem aliquid ſit aptum ad facilius exercendas aliquas operationes,

nes, vbi nomine aptitudinis non intelligimus potentiam quæ eſt de genere qualitatis, hanc enim æqualiter habet qui ſedet, aut qui ſtat: eſt enim Potentia de prędicaméto Qualitatis, aliquid magis intrinſecum, & in ſe minus dependens ab his extrinſecis diſpoſitionibus, aut poſitione corporis, quę eſt modus quidã códucés ad meliꝰ exercédas operationes: in quo ſenſu per illã dicitur ſubiectũ reddi aptius. Ex quo non fit, eſſe potentiam de prædicamento qualitatis, non enim quicquid quouis modo conducit ad exercitium operationum, potentia de genere qualitatis eſt, ſed ſolum illud quo agens redditur formaliter & proxime potens ad ſimpliciter operandum.

Genera, & ſpecies huius prędicamenti brebiter colligit Albert. lib. de ſex principijs, tractatu de poſitione cap. primo dicens, differẽtias ſubalternas huius prædicamenti, eſſe æquè vel non æquè poni, ſeu flexè aut rectè, ſpeciales vero differentias eſſe, ſeſsionem, ſtationem, &c. quod etiam habet D. Tho. opuſ. 48. Nec circa hoc prædicamentum aliud annotatione dignum occurrit.

DE PRAEDICAMENTO *Habitus ſeu Habere.*

PRo explicatione & intelligentia huius prædicamenti Notandum eſt ex Ariſt. 3. lib. de partibus animalium c. 1. Naturam dediſſe animalibus loco veſtium quibus operiantur, cutem, pilos, lanam, ſquamas aut quid ſimile, arma etiam quibus ſe ab alijs defendere & tueri poſsint: hominem vero formauit natura nudum, ſic tamen vt intellectu, & induſtria poſſet ſibi veſtes & arma quærere, & ex rebus alijs extrinſecis ea conficere. Ex quo fit primo, tegumenta & arma animalium eſſe partes integrantes ſuorum corporum: vnde non dicuntur ea habere proprie, ſed ſolũ ratione quadam communiſsima, & tranſcendentali, ſicut dicuntur habere pedes aut caput, non autem proprie, ſumimus enim habere nunc: vt recte definiuit Gilbertus, *pro adiacentia quadam corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt.* Vnde hæc ad

iacentia ſemper eſt inter corpus & aliquid omnino ſibi extrinſecum (hoc enim ſonant verba illa quæ circa corpus ſunt) quia ergo tegumenta animalium, & eorum arma, non dicuntur circa corpus eſſe, ſed ad eorum intrinſecam conſtitutionem pertinere, proprie illa non habent, ſed ex eis conſtare aut intrinſice componi dicuntur. Habere autem veſtes aut arma proprium ſolius hominis eſt, adiacent enim eius corpori, & omnino extrinſeca illi ſunt; & ideo proprie dicitur homo veſtitus, & armatus, licet enim Symias induamus, armemus equos, & canes, non tamen proprie armati aut veſtiti dicuntur, ſed per quãdam Analogiam & ſimilitudinem ad hominem.

Fit ſecundo, Naturam, homini non ſolũ dediſſe intellectũ, & induſtriã, actiuãve aptitudiné faciendi veſtes, aut arma, ſed etiã paſsiuã (vt ita dicã) accomodationem, ratione cuiꝰ ſpeciali modo eiſ ſé ſe aptaret & accomodaret, dũ eis indueretur, ratione cuiꝰ accomodationis paſsiuæ & naturalis, ſpecialé ornatũ, propriumq; & quaſi natiuum decorem ei tribuunt veſtes & arma.

Fit tertio, vt licet homo nudus hãc habeat naturalem aptitudinem, & coaptationem paſsiuam ad veſtes, dum tamẽ eis induitur, exeat in actum talis aptitudo, non quidem in actum qui ſit actio (hanc enim aptitudinem nõ intelligimus per modum potentiæ actiuæ, ſed paſsiuæ) ſed qui ſit modus formalis, actualis accomodationis & coaptationis in eo productus, aliquo modo ſimilis paſsioni, in quantum veſtibus & armis dicitur homo veſtiri & armari. Hæc ergo habitio veſtiũ, ſeu hic actualis modus habendi, quaſi reſultans ex coaptatione illa & accomodatione paſsiua naturali ad veſtes & arma, actu ſibi applicata, eſt qui conſtituit hoc prædicamentum habitus. Quod recte explicuit Ariſ. 5. Meth. cap. 20. dicens, *habitum eſſe quendã actum, ſeu modum medium inter habentem, & rem habitam*, ad modum quo actio mediat inter agens & effectum. *ſic* (verba ſunt Ariſtotelis) *inter eam qui veſtem habet, & veſté quæ habetur, medius eſt habitus*. Vnde infert, ipſum habitum haberi non poſſe, alio ſcilicet habitu medio, ne in infinitum habeamus. Igitur ex ſententia Philoſophi, habitus non eſt veſtis quę extrinſecus adiacet, ſed eſt (vt ſic dicã) habitio veſtis, quæ non eſt in veſte ipſa, ſed in veſtito.

Pro cuius ampliori explicatione,

tione, adhuc Notandum; quòd in homine poteſt intelligi triplex potentia paſsiua, triplicē etiam reſpiciens formā. Prima eſt, potentia paſsiua ſubſtantialis, quæ eſt materia reſpectu ſubſtantialis formæ, cuius receptio vocatur vnio, eſtq; modus quidam ſubſtantialis, medians inter materiam & formam, illasq; vniens. Secunda potentia paſsiua, eſt potentia ſubſtandi accidentibus, & hæc etiam accidentia reſpicit tanquam formas accidētales, mediatq; modus alius, ſcilicet inhærētia actualis, ratione cuius homo dicitur accidentia intrinſicè habere. Eſt denique Tertia potentia paſsiua in homine, non quidem ad formam aliquam intrinſecam aut inhærentem, ſed (vt ſic dicam) ad formam aliquam extrinſecus adiacentem; & quia potentia hæc paſsiua naturalis eſt in homine, vt reſpectu veſtium, & armorum probatum eſt, oportebat vt in actuali adiacentia huius extrinſecæ, & adiacentis formæ, quam vere homo dicitur habere, eſſet in ipſo homine modus aliquis naturalis & intrinſecus, quo medio illam habere diceretur. Quod explico adhuc, quia licet corpus hominis poſsit eſſe preſens ſpatio aut loco extrinſeco, non proprie dicitur ſpatium in ſe habere, aut locum; ſed in ſpatio eſſe, aut a loco contineri; ideoque ad has formas extrinſecas loci & ſpatij, non requiritur peculiaris modus habendi, neque ex illa accommodatione actuali ad locum, oritur modus aliquis inhærens habendi, ſed ſolum relatio quædam fortaſſe reſultans; neque quantum ad hoc peculiaris aliqua ratio eſt inter humanum corpus, & alia corporea locata. Reſpectu vero veſtium quas peculiari ratione habere dicitur, & peculiarem adaptationem paſsiuam habet ad illas, rectè conſtituitur modus quidam accidentalis illas habendi, qui habitio aut habitus conſtitutiuus huius prædicamenti nominetur. Et hæc de his ſex vltimis prædicamentis.

Ex dictis conſtat, rationes horum ſex Prædicamentorum non eſſe denominationes extrinſecas, vt volunt plerique ex recentioribus. Primo, quia ens reale diuiditur ab Ariſtotel. in 10. prædicamenta, ergo membra diuidentia debent participare naturam diuiſi, ac proinde aliquid etiā reale erunt. Cum ergo denominatio extrinſeca nihil reale ſit, immo actu & formaliſſimè necdum quid rationis, non poterit eſſe conſtitutiua præ-

prædicamentorum. Secundo, quia extrinſicæ denominationes non habent peculiare prædicamentum ad quod reducantur, ſed ad ea pertinẽt prædicamenta, ad quæ reducuntur formæ denominantes, ſic enim eſſe viſſum, reducitur ad qualitatem, ad quam pertinet viſsio, & ſic de alijs. Neq; ſunt etiam compoſita ex quatuor alijs generibus præcedẽtibus, vt exiſtimarant cum Amonio nonnulli, componentes *actionem & paſsionem* ex complicatione quadam ſubſtantiæ, & qualitatis. *Vbi*, ex connexione ſubſtantiæ & quantitatis permanentis. *Quando*, ex nexu ſubſtantiæ & quantitatis ſucceſsiuæ, ſcilicet temporis. *Situm*, ex coniunctione ſubſtantiæ & relationis, *Habere*, ex adiacentia & extrinſeca vnione duarum ſubſtantiarum. Non (inquã) tolerabilis eſt hæc ſententia, primo, quia vt ſic eſſent entia per accidens, genus autem, præcipue ſupremum, & conſtitutiuũ prædicamenti, debet eſſe ens per ſe. Secundo, quoniam eſſentiæ diuerſorum prædicamẽtorum debent eſſe impermixtæ, quippe quæ ſunt primo diuerſæ. Tertio, quia ſumma genera debent eſſe ſimplicia, Metaphiſicè autem componũtur ab iſtis authoribus, & hoc ex pluribus generibus.

Laborant plurimum authores, in reddenda ratione adæquationis huius diuiſsionis entis in hæc decem genera, & fortaſſe laborant infeliciter; rationes enim quas adducunt non omnino conuincunt, pluraq; inuoluunt difficilia, nec omnino neceſſaria, ac proinde relinquenda. Mihi placet ſententia Nimphi. 5. Meth. q. 17. aſſerentis, hanc diuiſsionẽ congruam quidem, & probabilem tantum eſſe, poſſent enim multa membra diuidentia vel non cenſeri talia, vel ſi omnino Metaphiſicè res expẽderentur alia adinueneri: congruè igitur ſufficiens eſt hæc diuiſsio, quia nullum videtur inueniri genus entis quod ad aliquod ex his decem generibus non pertineat.

Tandem hic Notandum eſt. Sufficere ad diſtinctionẽ prædicamentorum, aut rerum quę pertinent ad diuerſa prædicamenta, rationis diſtinctionem. Patet ex Ariſt. & S. Thom. qui hoc docent de actione & paſſione, hic, 1. p. q. 28. ar. 3. & ille 3. Phiſ. cap. 3. Quod probo breuiter, primo, diſtinctio rationis tantum, ſufficit vt aliqua cẽſeantur primo diuerſa, vt conſtat in differentijs ſubordinatis, rationale & ſenſibile, ergo ſufficit etiam hæc diſtinctio vt poſsint res pertinere ad diuerſa

ſa prædicamenta. Secundo, quia prædicamentum perficitur ratione, & eius ratio formalis, eſt ordo & diſpoſitio rationis, licet ſit rerũ, ſed vt res per rationem diuerſimodè ordinentur, ſufficit diſtinctio illarum ſecundnm rationem, quia res eo modo ordinantur & diſponuntur ab intellectu, quo concipiuntur; ergo ſi ab illo concipiuntur diuerſa cum fundamento, poterunt ab illo vt concipiuntur diuerſimodè ordinari.

Et hæc ſufficiant de toto hoc tractatu Prædicamentorum Ariſtotelis.

EXPO-

EXPOSITIO IN LIBROS De Poſteriori Reſolutione.

IN Libris de Poſteriori & de Priori Reſolutione Tertia dirigitur operatio intellect9: hi, circa ſyllogiſmũ in communi, illi vero, circa demõſtratiuum ſyllogiſmum verſantur, qui eorum obiectum eſt abſque dubio, teſte S. Tho. hoc loco lect. 1. Simplic. Philop. Alber. Magn. in Proœmio huius operis, Tolet. q. 1. Sot. etiam, & alijs. Quod conſtat ex Ariſtotele, qui primo Priorum c. 1. & 4. docet, agendum ſibi eſſe de demonſtratione, prius tamen de ſyllogiſmo, vt per ſe vniuerſaliori, ſed in libris Priorum de ſyllogiſmo in communi differit, ergo in his qui illos immediatè ſequuntur, agit de demonſtratione, vt etiã cõſtat in omnibus capitibus, quæ fere omnia in natura demonſtrationis tradděda, vel certe in aliquibus, quatenus ad illã ordinantur, ſunt occupata. Et ratio id conuincit apertè, non tantum Metaphiſice, ſed Prudentialiter. Si enim ſyllogiſmus in communi, ſyllogiſmus Topicus, & quod magis eſt, ſophiſticus, tractatus peculiares habent, qui circa illos verſantur, quibuſq; illi obijciũtur conſiderandi: ſyllogiſmus demonſtratiuus, inter omnes precipuus, operationũ intellectus perfectiſsima, principale Dialecticæ obiectũ, ſine quo haberi ſciẽtia nõ poteſt, hac erit dignitate priuãdus? nullo modo:

atqui nō eſt alia Logicæ pars quę circa illum verſetur, excepta hac, non ergo hæc excipi debet, quia aliàs maneret Logica ſine demonſtrationis tractatione ieiuna. Adde, illam verſari tanquam circa obiectum, circa operationes intellectus dirigendas, quas certe dirigeret minime, ſi principaliorem hanc non conſideraret.

Dicuntur autem Libri iſti de Poſteriori reſolutione; quod vt intelligatis aduertite. Reſolutionem nihil eſſe aliud quã reductionem rei in ſua principia: vnde in naturalibus corpus mixtum quod ex elementis componitur, quando corrũpitur, reſoluitur in quatuor elementa, & propoſitio reſolui dicitur in terminos. Vnde intelligetis Ariſtot. dicentem: *Terminum eſſe in quem reſoluitur propoſitio, & ſyllogiſmus, ſimiliter in propoſitiones, propoſitiones etiam ipſæ reſoluuntur, ſeu reducuntur ad ſua prima principia, ex quibus veritatem habent, aut neceſsitatem.* Poteſt autem (vt hoc reddatur clarius) in ſyllogiſmo duplex fieri reſolutio, vna ex parte formæ, ex parte materiæ alia, quando ergo examinamus ſyllogiſmum ex parte formæ an rectê in modo & figura conſtitutus ſit, illũq; reducimus ad aliquem ſyllogizandi modum ex per ſe notis, aut euidentibus, dicimur illum ex parte formæ reſoluere. De qua reſolutione agũt libri de Priori, & nos egimus in ſummulis. Alia eſt reſolutio concluſionis, vel reſolutionis alicuius in principia priora, & notiora ex quibus ſequitur, & ex quibus neceſsitatem habet, qua ratione hominem eſſe riſibilẽ, reducimus ad hoc principiũ, quod eſt, hominẽ eſſe animal rationale, & hominem eſſe rationalẽ, vel non rationalẽ, ad hoc principium, quodlibet eſt vel non eſt, & ſic de alijs: & hęc appellatur reſolutio ex parte materiæ: quia ergo perfectior eſt materia, & rectè ſyllogizandi modi neceſsitas, vniuerſalior eſt, requiſitaq; ad omnem materiam, tam Topicã, quam Demonſtratiuam, decem libri qui de illa agunt, de reſolutione Priori, hi vero qui de hac ſecunda de Poſteriori Analyſi, ſeu reſolutione nuncupantur. Sed quia in his libris multa tractari ſolent quæ neceſſaria non ſunt, neceſſaria ſolum explicabuntur relictis ſimul cum alijs, capitum textibus videndis in Oña, & recentioribus: quæ enim ex illis oportet exprimere in diſcurſu Diſputationum ad notabuntur.

DIS-

DISPVTATIO XVI.

De eſſentia Demonſtrationis, eiuſque requiſitis.

SYllogiſmum demonſtratiuũ ſic dictũ,quia quaſi digito oſtendit, & demõſtrat ignotum, poſsibile eſſe,ita certum eſt apud omnes, vt hoc indubiũ vertere ſcientis hominis indignum ſit. De quo in q.1. de vniuerſalibus,euidentem & certam dari rerum cognitionem concluſimus,quæ certa & euidens cognitio non niſi per demonſtrationem poteſt acquiri. Licet enim noſtra cognitio incipiat a ſenſibus,& ſenſus decipiãtur aliquando,& fortaſſe propter hoc,quando iudicat de rebus quoad exiſtentiam falli poſsit, tamen non ſemper falluntur,& intellectus etiam proprio lumine innixus,connexionẽ prædicamentorũ perpendens eius rei quam cognoſcit, nullamq; inueniens repugnantiam, de rebus,ſine periculo iudicat falſitatis, quod etiam reperitur in aliquibus principijs, quæ in naturalibus ſemper ſunt neceſſaria & euidentia: non ſic in ſupernaturalibus, vt quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem interſe (Pater enim, & filius ſunt idem in eſſentia, & tamen inter ſe diuerſi realiter) quæ principia, intellectus euidentia iudicat in rebus naturalibus limitatis, & finitis, quæ ſunt noſtro intellectui proportionatæ,& in his falli non poſſumus, non autem in ſupernaturalibus & infinitis quæ noſtrum captum excedunt:ſed de hoc latius in materia de Trinitate. Quia vero aliqua ante Demonſtrationẽ (vt rectè fiat Demonſtratio) præcognoſcenda ſunt,inquirit de illis.

QVAES-

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

Vtrum omnis cognitio diſcurſiua fiat ex praexiſtenti cognitione.

CОntra duos errores qui tẽpore Ariſt. in Schola verſabantur, alterum Eracliti & Cratili, qui exiſtimantes nihil eſſe in rebus vniuerſale, ſed omnia eſſe ſingularia ſenſibilia, quæ in continuo motu, & fluxu ſunt, conſequenter aſſerebant, nec dari ſcientiam de rebus, nec dari poſſe, quia ſcientia ſi eſſet poſsibilis, de vniuerſalibus atque perpetuis eſſe deberet. Alterum Platonis, concedentis quidem ſcientiam, non tamen de nouo acquiſitã, ſed a principio habitam: exiſtimabat enim animam plenam ſpeciebus rerum omnium per quas poſſet omnia ſcire, corpori infundi, non tamẽ exire in actum ſciẽdi, propter impedimenta, quæ paſsim in hac corporea mole inueniuntur, & propter aliqua (vt ſic dicam) ligamenta ſenſuum, & potentiarũ, quovſq; tale impedimentũ exercitatione, aliove modo tollatur, quo ſublato incipit anima cognoſcere, non ea quæ prius ignorabat, ſed ea quorũ non recordabatur, vnde ſecundum Platonis doctrinam axioma erat receptiſsimum, *ſcire noſtrũ, eſt quoddam reminiſci.* Quod hac ratione probabat Plato. Dum homo vult aliquid ſcire, aut ſcire vult id quod iã ſciebat, aut quod neſciebat, non primum, quia nemo ſcire vult quæ iam cognoſcit: neq; ſecundum, quia ſicut fruſtra aliquis quæreret hominem, quẽ non nouit, quia etiam ſi illum inueniat, cognoſcere nõ poterit, ita fruſtra quæreret aliquis ſciẽtiã eius quod ignorat, quia etiã ſi ei ſe ſe offerat, non poterit illud cognoſcere; neceſſe eſt ergo aſſerere quod ea vellim9 ſcire, nõ quę ignorabamus, neque quæ actualiter & expreſſẽ cognoſcebamus, ſed quæ obliuioni traddidimus, vt ſic, quando id ſeſe nobis offerat, cognoſcere rectè poſsimus.

Con-

Contra hos ergo duos errores, in hoc primo capite de præcognitis, hanc inter alia, proponit Ariſt. vniuerſalem propoſitionem. *Omnis doctrina omniſq; Diſciplina intellectiua fit ex praexiſtenti cognitione*, vbi per doctrinam, & diſciplinam intellectiuam, ſcientificam cognitionem, quæ a Magiſtro traditur, & a Diſcipulis comparatur intelligit, contra Eraclitum & Cratilum, non diſtinguentes intellectiuam, a ſenſitiua cognitione, quia omnem exiſtimabant eſſe ſingularium. Per illud autem quod dicit *fit*, contra Platonem aſſerit de nouo fieri, ita vt res per medium illud intellectiuę cognitionis cognita, prius ſimpliciter ignoraretur.

Circa hanc ergo propoſitionem Ariſtotel. & eius intelligentiam, præſens Quæſtio proponitur. Variæ ſunt Doctorum expoſitiones circa illam. Primo enim Philoponus, Paulus Venetus, Scotus, & alij, dictam Ariſtotelis propoſitionem intelligunt de omni cognitione intellectus, tam complexa quam incomplexa, tam quæ ſit ſimplex apprehenſio, quàm compoſitio, & diſcurſus. Quælibet enim harum cognitionum neceſſario ſit ex præexiſtenti cognitione ſenſuum, iuxta illud eiuſdem Ariſtotel. *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.*

Secundo tamen alij, vtramque cognitionem, tam quæ doctrinæ nomine explicatur, quàm præexiſtentem cognitionem, ex qua fieri dicitur, de intellectus cognitione explicantes: ſic explicant cum Themiſtio & Alfarabio dictã propoſitionem. Omnis cognitio complexa intellectus, neceſſario fierî debet ex præexiſtenti cognitione terminorum, quia ad ſecundam operationem intellectus quæ eſt compoſitio, neceſſario præſupponitur ſimplex apprehenſio intellectiua terminorum, ex quibus compoſitio intellectiua reſultat; quare aſſerunt Ariſtotelem non loqui de præexiſtenti cognitione ſenſus, ſed intellectus, tum, quia ipſe Ariſtotel. addidit *intellectiua* tum etiã, quia loquitur de præexiſtenti cognitione, quæ eſt eiuſdem ordinis cum ſequenti, vt illam diſtinguat a cognitione brutorum, in quibus etiam reperitur cognitio ſenſus. Tertio, alij de cognitione diſcurſiua tantum, ſeu de tertia operatione intellectus ſic in communi intelligunt, vt compræhendit etiam opinionem: exiſtimantes non eſſe limitandam ad de-

demonſtratiuam cognitionē, ſic Magiſter Sotus quæſt. 1. huius capitis probat, quia etiā opinio, eſt cognitio intellectus habita per medium aliquod, generatur enim ex aliquo principio euidenti per probabilem conſequentiā, dū ſic V. g. argumentamur. Corpus ſphericum, aut perfectè rotundum, tangit aliud corpus perfectè planum in puncto, ergo datur punctum indiuiſibile.

Alij deniq; omnino probabilius, hanc Ariſtotelis propoſitionem intelligunt de cognitione demonſtratiua, quā aſſerit fieri ex præexiſtenti præmiſſarum cognitione. Ita D. Tho. Albertus, Aberroes, & cōmuniter Recentiores; quod primo probatur ex textu ipſius Ariſtotelis. emendatiores enim codices legunt. *Omnis doctrina diſcurſiua, & rationalis*, ſic enim vertit Boecius, & ſic propriè transferendum eſſe ex Greco, docuit Nimphus, ex quo duo habemus. Primo, propoſitionem Ariſt. non intelligi de cognitione primæ aut ſecūdæ operationis intellectus, ſed de cognitione diſcurſiua quę pertinet ad tertiā. Secundum eſt, hanc cognitionem debere eſſe talem, vt merito nomen doctrinæ participet, qualis non eſt opinio, tū, quia eſt cognitio cum formidine alterius partis, tum ſecūdo, quia inter opiniones adhuc illa quæ eſt minus probabilis & reijcienda, opinio eſt, tum tertio, quia ſi de omni Syllogiſmo vniuerſaliter, vt pertinet ad tertiam operationem intellectus loqueretur, hæc propoſitio ſolum eſſet definitio Syllogiſmi, quam tamē hic nunc adducere nugatoriū erat, & ad errores prædictos euertendos parum conducēs, tum quarto, quia dantur etiā opiniones in ſuo genere per ſe notę, ſeu per ſe probabiles, in quibus non habetur vna cognitio ex alia, ſed ex ſola notitia terminorum, vt hæc propoſitio, quælibet mater diligit filium ſuum. Ex his ergo duobus, ſic conficitur argumētum. Simplex appræhēſio aut cōpoſitio intellectus, opinio item, & cognitio probabilis, non ſunt doctrinę rationales, & diſcurſiuæ, ergo Ariſt. non loquitur de illis, ſed ſolum de demonſtratiua, & ſcientifica cognitione. Secundo, quia cū Ariſt. ait, *omnem doctrinam fieri ex præexiſtenti cognitione*, ly, *ex*, dicit habitudinem cauſæ efficientis, ita vt præexiſtēs cognitio ſit cauſa effectiua cōcluſionis, vt oſtendam infra: ſed cognitio incomplexa, ſeu ſimplex appræhenſio, intelle-

ctus, non ſit effectiuè ex cognitione ſenſus, hæc enim ſolum ſe habet vt aliqualis diſpoſitio ad appræhenſionem: neq; cognitio complexa effectiuè fit ex incomplexa, hęc enim ſolum ſe habet ad cognitionem complexam, vt conditio ſinę qua non, vel ſaltim, vt cauſa propoſitiua obiecti: ſolum ergo loquitur Ariſtot. de doctrina per diſcurſum acquiſita, quæ effectiue fit ex præexiſtenti præmiſſarum cognitione.

Nihilominus adhuc pro recta intelligentia huius propoſitionis argumētor. Primo cōtra illam ſic. Nomine diſcurſus aut demonſtrationis non ſolum intelligitur concluſio, ſed etiā includuntur præmiſſæ, ſed ante pręmiſſas nulla eſt præexiſtens cognitio, ex qua fiat demonſtratio, illa ergo nō fit ex præexiſtenti cognitione. Maior probatur, quia cognitio concluſionis tantum, ſolum eſt quædam cognitio cōplexa ex terminis, eſt enim vna tantum propoſitio, & ita non eſt complexa ex propoſitionibus; ſed cognitio complexa ex terminis pertinet ad ſecundam operationem intellectus, complexa vero ex propoſitionibus ad tertiā, ergo. Minor etiam probatur, quia ſi ly, ex, cum dicitur ex præexiſtenti cognitione, ſonat rationem cauſæ effectiuę, ante totam demonſtrationem non præcedit cognitio, quæ ſit effectiua cauſa tam pręmiſſarum, quā concluſionis ſimul, ergo. Secundo argumentor. Si omnis doctrina fit ex præexiſtēti cognitione, ſequitur proceſſus in infinitum, quia nunquam poſſumus venire ad aliquā præmiſſam, quæ non habeat rationem doctrinæ, cum per quamlibet doceri poſsimus: ergo cum illa ſit doctrina, & omnis doctrina fiat ex præexiſtenti cognitione, dabitur proceſſus in infinitum. Tertio, Deus & Angeli perfectiſsimas habent demonſtrationes, cum perfectiſsime cognoſcant proprietates rerū per ſuas proprias, & immediatas cauſas: cognoſcunt enim hominem eſſe riſibilem; quia eſt rationalis, quod tantum requiritur ad perfectiſsimā demonſtrationem. Quod enim hęc perfecta cognitio effectus per cauſam, pluribus cognitionibus acquiratur, hoc non poteſt eſſe eſſentiale demonſtrationi, tum, quia hoc potius eſt imperfectio, ac proinde ad perfectam cognitionē, qualis eſt demonſtratiua, nihil conducens. Tum ſecundo, quia ratio demonſtrationis, vt nomine demonſtrandi ſignificatur, etiam poteſt in

Angelis reperiri, Angeli enim inferiores illuminantur à ſuperioribus, illuminatio autem non videtur eſſe aliud, quam manifeſtatio aut demōſtratio veritatis, quam ſuperior cognoſcit, & ignorat inferior; habent ergo Angeli perfectiſsimas demonſtrationes; at ex cognitione vnius, nō tendunt in cognitionem alterius, quia vnico ſimplici intuitu rationem effectus & cauſæ cognoſcunt, ergo non omnis demonſtratio fit ex præexiſtenti cognitione.

Pro ſolutione, & vera intelligētia huius, in qua verſamur propoſitionis, Notandum eſt primo, quòd ſicut quælibet enunciatio aut compoſitio intellectus, præ requirit duas appræhenſiones veluti diſparatas & impermixtas; vnam ſubiecti; & alteram prædicati, vt poſtea fiat iudicium conuenientiæ, & diſconuenientiæ inter prędicatum, & ſubiectum, quod iuditium formaliter eſt enunciatio, & actus quidam vnus intellectus, etiam ſi obiectum eius complexum ſit, qui actus licet neceſſario prēſupponat appræhenſiones prædicati & ſubiecti; ipſe tamē formaliter non eſt appræhenſio, ſed alius actus intellectus, qui dicitur enunciatio; ſicut inquam hæc ſecunda operatio prēſupponit plures ſimplicis appræhenſiones, ad primam operationem intellectus pertinentes, ſic tertia operatio intellectus quæ dicitur diſcurſus, præſupponit cognitionem duarum propoſitionū maioris, ſcilicet & minoris, quas appellamus præmiſſas, quæq; vt propoſitiones ſunt, ad ſecundam operationem intellectus pertinēt, ex quarum cognitione intellectus elicit actum cōcluſionis, qui quamuis ſit ex vi cognitionis præmiſſarum, & neceſſario ſupponat earum cognitionē (propter quod dicitur fieri ex præexiſtenti cognitione,) formaliter tamen non eſt, cognitio præmiſſarum, ſed concluſionis.

Secundo Notandum eſt. Inter veritates intellectiuas, aliquas eſſe adeo independentes, adeo euidentes & certas, vt ſola indigeant appræhenſione terminorum, ad hoc quod intellectus de earum veritate iudicet, earumque approbet certitudinem, quas veritates ſolent Philoſophi Dignitates, aut prima principia appellare. Eſt enim in eis hæc in genere intellectiuorum dignitas, vt ex illis ad alias veritates confirmandas procedatur, ita vt probatio & aſſenſus

veritatum quæ demonſtrãtur, aut probantur, ex primorum principiorum omnino recepta & ſimpliciter cognita veritate, depẽdeãt, ipſa vero principia in genere veritatis & probationis, à veritatibus demonſtratis, ſaltim in eodẽ genere independentes ſint; & quia ſicut ſe habet finis in operabilibus, ſic principium in ſpeculabilibus, ſicut in operabilibus datur finis vltimus, & dantur fines etiam intermedij, qui reſpectu ſuperioris finis habent rationem mediorum, & reſpectu inferiorum habent rationem finis, ſic dantur quædam principia omnino prima, quæ (vt dixi) dignitates appellantur, vt illud vniuerſaliſsimum, *quodlibet eſt, vel non eſt*; *Totum eſt maius ſua parte*, &c. alia vero principia intermedia, quæ reſpectu horum primorum principiorum ſunt veluti concluſiones probatæ, & deductæ, reſpectu vero aliarum (vt ſic dicam) veritatum inferiorum, habent rationem principij, ex quibus quaſi præſuppoſitis & præmiſſis, veritates illæ deducuntur.

Tertio notandũ eſt. Duplicẽ poſſe diſtingui diſcurſum, vt colligitur ex S. Tho. 1. p. q. 14. art. 7. alius eſt quem poſſumus appellare obiectiuum, qui ſe tenet ex parte obiecti, alius vero qui ſe tenet ex parte potentiæ, quem poſſumus appellare formalem. Primus eſt, veritates ipſæ connexæ & cõplexæ, quæ objiciuntur diſcurſui, ſeu circa quas diſcurrere poteſt homo, vt totum hoc, Homo eſt riſsibilis, quia eſt rationalis, cum omne riſsibile, rationale ſit: & hic dicit quidem complexionem veritatum. Secundus vero non tantum ſe tenet ex parte rei cognitæ, ſed ex parte potẽtię cognoſcentis, eſtq; modus intellectionis dicens ordinem ad intellectum, non ſolum intelligẽtem complexa, & compoſita, ſed intelligentẽ pluribus cognitionibus, ac proinde complexe & cõpoſitè. Sicut enim in ſecunda operatione intellectus inuenimus complexionẽ in obiecto, & verè ſimplicitatẽ in actu, quia ſimplici actu intellectus cognoſcitur complexa veritas, & de illa iudicatur, immo circa veritatem iam compoſitam poteſt eſſe ſimplex appræhenſio, ſic poſſumus in diſcurſu, veritatem (vt ſic dicam) diſcurſibilem & obiectiuam, diſtinguere à diſcurſu ſe tenente ex parte potentiæ: ita vt ſi aliquis intellectus fuerit, qui circa hanc diſcurſibilem veritatẽ poſsit ſimpliciter, & incomplexè verſa

ri, ſa-

Digitized by Google

ri, fateamur ex parte obiecti diſcurſum, aut rationem diſcurſibilis, ex parte vero potētiæ cognoſcentis diſcurſum negemus. Itaq; poſſumus diſtinguere veritatem diſcurſibilē, in eam quæ eſt diſcurſibilis ſecūdum neceſsitatem, vel quæ eſt diſcurſibilis ſecundum capacitatem, primam appellamus eam, quæ neceſſario poſtulat (vt cognoſcatur) diſcurſum ex parte potentiæ: ſecundam vero illam, quæ poſsit quidem per diſcurſum ſe tenētem ex parte potētiæ cognoſci, hoc tamen non poſtulet neceſſario, ſed poteſt cognoſci ſimpliciter & incōplexè. Quibus ſuppoſitis Dicendum eſt. Propoſitionem Ariſtotelis nō eſſe intelligendam de quacūq; cognitione intellectiua, etiā quę habeat rationē dignitatis & primi principij, hæc enim (vt patet) non fit ex præexiſtenti cognitione, potius aliæ cognitiones fiunt ex illa tanquam ex principio. Quę ratio etiam probat de quouis principio intermedio, formaliter vt principium eſt, hac enim ratione, non fit, ſed facit. Senſus ergo erit, *omnis doctrina*, ideſt omnis concluſio doctrinalis, quæ vt ſic, non habet rationem principij, ſed concluſionis ellicitæ, & principiatę, *fit*, vt pote quę principiata eſt, *ex præexiſtenti cognitione*, id eſt, ex cognitione alia habēte rationem principij reſpectu illius; An autem ly, *ex*, ſonet rationem cauſæ efficientis, an materialis, quæſt. 3. dicēdum eſt.

Ex His fit id quod Dico Secundo. Propoſitionem Ariſt. intelligendam eſſe de doctrina diſcurſiua, diſcurſu ſe tenēte ex parte potentiæ. Probatur, quia multiplicat cognitiones, dicit enim, *doctrina fit*, ecce vnam, *ex præexiſtenti cognitione*, ecce aliam. Secūdo, quia ly, *ex*, denotat habitudinem cauſæ & effectus inter cognitiones, ergo diſtinctionem, & multiplicationem earum.

Dico tertio. Hæc etiā propoſitio Ariſt. concluſioni opinatiuæ, formaliter vt ellicitæ ex præmiſsis, poteſt adaptari; etenim intra certitudinē opinionis plura ſunt, quę merentur nomen doctrinæ & diſciplinæ: inter ea enim quæ à Magiſtro traduntur, & accipiuntur à Diſcipulis, innumera ſunt, quæ ſolum opinatiuam certitudinem habent. Vnde præciſſe ex vi doctrinæ tantū, non videntur recte poſſe excludi opiniones ab huius propoſitionis cōmuni doctrina, quam tamen (fateor) Ariſt. applicat, & communiter Doctores, doctrinæ demonſtratiuæ,

Digitized by Google

vt conſtat ex adiunctis, & ex cognitione præcognitorum, quæ vt in demonſtratione reperiuntur, hic explicantur ab Ariſt. ſic q; poſſunt conciliari Authores, qui hanc propoſitionem etiam ad opinabilem diſcurſum extendũt, cum illis qui tantũ de diſcurſu demonſtratiuo exiſtimant debere intelligi.

Per quod facile patet ad argumenta. Ad primum Reſpondetur, nomine doctrinæ intelligere Ariſtotelem concluſionem, formaliter vt concluſio, non vero abſolutè, vt eſt quędam propoſitio. Vt concluſio autem eſt, doctrina diſcurſiua eſt, ideſt per diſcurſum acquiſita, cuius veritatis aſſenſus dicit ordinem non tantum ad complexionem terminorum, ſed ad complexionem propoſitionum, vt primo Notabili explicatum eſt.

Ad ſecundum Reſpõdetur. Non omnem veritatem intellectiuam, habere rationem doctrinæ diſcurſiuæ, ſed ſolũ veritatem ellicitam & principiatam, ac proinde non dari proceſſum in infinitum: tum, quia deueniri poteſt ad principiũ omninò primũ, quod eſt dignitas: tum ſecundo, quia quælibet cognitio quæ habeat rationem principij etiam intermedij, vt principium eſt, non eſt doctrina quæ fit, ſed quæ facit.

Ad tertium Reſpondetur. In Deo & Angelis nulla ratio ne inueniri diſcurſum ex parte potentię, licet diſcurſus ex parte obiecti, ſeu veritas compoſita, & aliàs diſcurſibilis, à Deo & ab Angelis percipiatur, vt ſatis explicatum eſt Notabili tertio. Addo, quod ſicut ſimplex veritas attributorum diuinorum, etiam ſi omnino ſimplex ſit, propter imperfectionem tamen noſtri intellectus à nobis cũ diſcurſu cognoſcitur, vnum attributum quaſi per aliud diſtinctis cognitionibus percipiendo, per immutabilitatẽ enim Dei, eius ęternitatem & cognoſcimus, & probamus: ſic veritates aliquæ plures, obiectiuæ, & compoſitæ, propter perfectionem diuini intellectus, & Angelici, poſſunt ſimpliciter & ſine diſcurſu cognoſci.

Solum reſtat ſoluere argumentum Platonis. Ad quod Reſpondetur, in concluſione demonſtratiua, qua habetur ſcientia, velle hominem ſcire id non quod omnino ignorabat, neq; quod ſciebat formaliter, ſed quod formaliter ignorabat, ſciebat tamen virtualiter, hoc eſt, non in ſe, ſed

ed in alio prius cognito, in quo virtualiter continebatur nempe in præmiſsis, & principijs, ex quibus deducitur concluſio, incipit ergo cognitio à ſenſibus & à primis principijs, quæ pręciſſe ex propoſitione terminorũ haberi poteſt, indeq; tanquam ex radice deducuntur plures cognitiones, quæ de nouo ſciuntur, & in illo virtualiter continebantur. Sed hic Platonis error ſæpe tam ſupra, quam ex dicendis infra, inculcandus & improbandus eſt.

QVÆSTIO. II.

Vtrum bene aſsignentur ab Ariſtotele duæ tantum Præcognitiones, & tria Præcognita.

ALiam in præſenti capite præter ſuperius explicatam, Ariſtoteles cõſtituit propoſitionem, ſcilicet. *Ante demonſtrationem duæ ſunt præcognitiones, An res ſit, & quid ſit*, & *tria præcognita, ſcilicet principiũ. paſsio, & ſubiectum. De principio præſupponi debet quod ſit, de paſsione quid ſit, & de ſubiecto an ſit, & quid ſit.* Vt ergo hoc Ariſtotelis aſſertum intelligatur, & explicetur, inſtituitur præſens Quæſtio.

Principio ergo Notandum eſt, pręcognitionem nihil aliud eſſe, quam anticipatam aliquam, ſeu pręhabitam cognitionem de aliqua re, ita vt præcognitio nihil ſit aliud, quam cognitio quæ aliam antecedit; qua ratione ſenſuum exteriorum cognitio reſpectu interiorum, & cognitio interiorum reſpectu intellectus, & eius appræhenſio ſimplex reſpectu compoſitionis aut diſcurſus, poſſunt verè dici præcognitiones, ideſt, antecedentes cognitiones. Strictius tamẽ poteſt ſumi præcognitio, pro ſpeciali cognitione, quę pręcedere debet demonſtrationem, vt ſic autem, adhuc

Digitized by Google

diuiditur ab Aberroë primo poſt.cap.5.in agentem, & dirigentem. Agentem vocat cognitionem præmiſſarum, quæ aliquomodo agit in cognitionem concluſionis, & illã cauſat, de quo quæſtione ſequenti. Dirigentem vero appellat illam qua diſponitur intellectus quaſi remotè, quales ſunt cognitiones illæ quæ pręcedunt totam demonſtrationẽ. Sed adhuc tertio. Pręcognitio conducens ad demonſtrationem dupliciter ſumi poteſt, vno modo pro actione intellectus qua res cognoſcitur, alio modo, pro conditione aliqua, aut modo qui cognoſcitur in obiecto, nomẽ enim cognitionis aliquando obiecto applicatur, vt in præſenti Ariſtot. præcognitionem ſumens pro his modis, *an ſit*, & *quid ſit*, quę de ſubiecto & principio aſſerit pręcognoſci debere. Itaq; præcognitionis nomine in præſenti modos quoſdam aut conditiones obiectorum intelligit Ariſt. quæ de terminis aut rebus demonſtrationem intrantibus cognoſci oportet ante illam. Hi modi ſunt. *An ſit*, & *quid ſit*. Præcognita vero ſunt termini illi, de quibus hi modi cognoſcuntur, & ex quibus conſtat, aut componitur demonſtratio. Hi vero appellantur *Principium*, & *ſubiectum*, & *paſſio*.

Pro quorum præcognitorũ intelligẽtia: Præmitto Secundo. Proceſſum demonſtratiuũ ad hoc fuiſſe inuentũ, vt per illũ habeatur aſſenſus clarus, & euidens alicuius concluſionis de qua quis dubitare poſſet. Cũ autẽ aſſenſus iudicatiuus, ſit actus quo aliquid de aliquo affirmamus, aut negamus, neceſſario in hoc aſſenſu concurrunt, id de quo aliquid affirmatur, aut negatur, quod appellatur ſubiectum, & illud quod negatur, aut affirmatur, quod dicitur prędicatum. Ac tertio, quia ille aſſenſus, eſt ex alijs ellicitus, & probatus, cõcurrere debet in diſcurſu demonſtratiuo mediũ, quo probetur prædicatum conuenire ſubiecto, & hoc appellamus Principium, vt ſi quis dubitaret, an homo eſſet riſibilis, & alius demonſtrare intenderet verè hominem riſibilem eſſe, taliter diſcurſum deberet cõponere, & ordinare, vt tandẽ in concluſione eliceret hanc propoſitionem, homo eſt riſibilis. Quia vero hoc per medium aliquod debet probare, & oſtendere, pro medio ſumere deberet principiũ aliquod, ex quo talis concluſio ellicere tur, quodque in homine eſſet principium habendi riſibilitatem, quod principium eſt

hominis

hominis definitio, nempe animal rationale, ſicq; ex tribus terminis, homine ſcilicet, quod eſt ſubiectum, quia de illo in concluſione aliquid prędicamus, & riſibile quod eſt paſsio, & id quod prędicatur in concluſione, & ex definitione hominis, nempe animal rationale, quod appellatur principium, ſic conficitur demonſtratio. Omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis. Hæc ergo dicuntur præcognita, ſubiectum, vt homo, paſsio vt riſibile, principium vt animal rationale.

De ſubiecto igitur aſſerit Ariſt. pręcognoſcendum eſſe, *an ſit, & quid ſit*, de principio, *quod ſit*, & de paſsione, *quid ſit*. Dubitant autem Authores quid nomine principij intelligat Ariſt. an principium omnino proximum, in demõſtratione poſitum tanquam medium. V. g. animal rationale, in prædicta demonſtratione; an vero principia remota & vniuerſaliſsima, quę appellantur Dignitates, *vt quodlibet eſt, vel non eſt*, &c. Aliqui Authores cum Scoto, Nimpho, Temiſtio, Aberroe, Philopporo, & alijs, aſſerunt intelligere principia vniuerſaliſsima. Ducuntur primo, quia Ariſt. loquitur de pręcognitis ante totam demõſtrationem, principium autem, quod eſt medium in demonſtratione, non pręcognoſcitur ante illã, ſicut Dignitas aut vniuerſaliſſimum principium, quod ante omnem demonſtrationem pręcognoſci debet. Vnde Philoſophus in textu, loco principij, poſuit hanc communiſsimam Dignitatem, *quodli et eſt vel non eſt*. Et infra aſſerit. Dignitatum veritates opus eſt habeat, quicumque docendus eſt ſcientia demonſtratiua.

Ego tamen cum alijs exiſtimo omnino probabilius, principij nomine intelligere principium illud proximum, & proportionatum cuilibet demonſtrationi in particulari, quod in illa tanquam mediũ aſſumitur, ad oſtendendam paſsionem de ſubiecto. Quod probo aperte, quia nominę ſubiecti & paſsionis intelligũtur ea, quę in demonſtratione peculiariter aſſumuntur, ergo nomine principij eodem proportionali modo principium proximum, quod vt medium in demonſtratione aſſumitur, intelligendum eſt. Secundo. Quia de hoc prę ſupponendũ eſt neceſſario quòd ſit, vt ſtatim

tim oſtendam; quòd autem Ariſt. exēplificauerit in principio vniuerſaliſsimo, ideo eſt, quia cum de nulla demonſtratione in particulari loqueretur, oportebat principium aliquod exprimere tranſcendens, & communiſsimum omni demonſtrationi, ſicut etiam nomine vnitatis intellexit ſubiectum, & nomine trianguli, paſsionem.

His ergo ſuppoſitis, Dico primo. Ante demonſtrationē duæ tantum ſunt præcognitiones in genere, & tria præcognita. Concluſio iam eſt explicata, eamq; fatentur, cū Ariſt. omnes eius expoſitores. Et quod tantum ſint duæ pręcognitiones, probatur Primo. Quatuor ſolum poſſunt inquiri, & cognoſci de qualibet re, ſcilicet, an ſit, quid ſit, qualis ſit, & propter quid ſit, vt docet expræſſe Ariſtot. Secundo Poſt. cap. 1. ſed duæ poſteriores ſolum demōſtrabiles ſunt de re, in demonſtratione enim propter quid, demonſtratur de ſubiecto quale ſit, vt de homine quod ſit riſibilis, & in demonſtratione quia, demonſtratur propter quid ſit, vt de riſibili, quod habet rationem effectus, demonſtratur rationale, quod habet rationem cauſæ, & propter quid. Illæ ergo aliæ duæ præcognitiones, nempe an ſit, & quid ſit, tanquam indemonſtrabiles præſupponuntur demonſtrationi. Secundo probatur, ſupponendo ex Caietano hic, quòd præcognitio non eſt quælibet anticipata cognitio, ſed ea tantum quę habetur in ordine ad tertiam operationem intellectus, ad quam pertinet demōſtratio, ſed ante tertiam operationem intellectus, tantum ſunt duæ operationes, ſcilicet prima & ſecunda, ergo tantū ſunt duę pręcognitiones, quia *quid ſit*, pertinet ad primam operationem intellectus, ſcilicet definitio, aut ſignificatio. *An ſit*, autem, ideſt, an ſit verum, pertinet ad ſecundam operationē intellectus, in qua veritas reperitur. Secunda pars concluſionis, quòd ſcilicet tantum ſint tria præcognita, probatur, quia ante demonſtrationē præcognoſcenda eſt quæſtio, ideſt cōcluſio, ſub nota dubitationis, vt an homo ſit riſibilis, ergo præcognoſcuntur, ſaltim aliquo modo, eius extrema, quæ ſunt ſubiectum, & paſsio; habemus ergo duo præcognita, & cum paſsio debeat demonſtrari de ſubiecto per mediū, aut principium aliud, hoc etiam debet præcognoſci, ſupponitur

Digitized by Google

ponitur enim, vt pote principium, ante actualem demonſtrationem paſsionis de ſubiecto, quia eſt cauſa illius. Secundo, quia in demonſtratione ſolum ſunt tres termini, paſsio, ſubiectum, & principium, (vt declaratum eſt,) ergo illæ præcognitiones, *an ſit*, & *quid ſit*, ſolum conducent ad demonſtrationem, vt ſunt modi horum terminorum, ergo ſolum de illis prædictæ erunt præcognitiones. Quomodo autem hæ pręcognitiones his tribus conueniant, de quolibet in particulari differendo, explicandum eſt.

Dico Secundo. Licet præcognitiones in genere ſint tãtum duæ, in ſpecie tamen ſunt plures. Probatur primo, quia præcognitio, *quid ſit*, diuiditur in quid rei, & quid nominis, cum enim quid ſit, idem ſit quòd definitio, definitioq; duplex ſit, alia nominis, alia rei, etiam hæc præcognitio, *quid ſit*, erit duplex, ergo cum præcognitione, *an ſit*, plures erunt iam præcognitiones quam duæ. Secũdo probatur, quia etiam præcognitio, *an ſit*, diuerſo modo conuenit rei complexę vt principijs, vel præmiſsis, & rei in cõplexæ, vt paſsioni, vel ſubiecto, quod recte notarunt Aegidius & Caietan. hìc, quia cum de ſubiecto aut paſsione præcognoſcimus, *an ſit*, illa præcognitio tantum eſt, an exiſtant paſsio, & ſubiectum; cum vero *an ſit*, pręcognoſcitur de principijs, illa præcognitio tantum eſt, an illa principia ſint vera, nam præcognoſcere an principia ſint, nihil aliud eſt quã cognoſcere quòd ſint vera; eſſe enim principij, vel propoſitionis, præcipuè quòd ad præſens attinet, eſt veritas, neque poſsibile eſt eſſe principium, & non eſſe verum: ergo in præcognitione, *an ſit*, etiam alia duplex diſtinguitur præcognitio, nempe, *an ſit*, *vt eſt*, dicit exiſtere in ſenſu infra explicando, & an ſit verum.

Sed obijcies. Ante demonſtrationem etiam oportet præcognoſcere bonitatem conſequentiæ, aliàs non poterit rectè quis conficere demonſtrationem, ergo plures ſunt præcognitiones, & plura præcognita, additur enim tanquam præcognitum conſequentia, & additur, tanquam præcognitio, *an ſit bona*. Sed Reſpondetur facilè ex libris Priorum qui hanc Poſteriorum, tractationem antecedunt, ſupponẽdam eſſe bonitatem conſe-

conſequentiæ, ibi enim docetur illius diſpoſitio & inuentio, & ideo tanquam aliquid ibi præſuppoſitum, hic non numeratur ab Ariſt.

Dico Tertio. Rectè applicantur præcognitiones tribus præcognitis ab Ariſt. ſcilicet, quòd de ſubiecto præcognoſci debeat, *an ſit*, & *quid ſit*, de paſsione *quid ſit*, & de principijs, *an ſint* tantum. Hæc concluſio probatur. Primo authoritate Ariſt. & ſecundo explicationibus adducendis, ſolutionibuſq; argumentorum in oppoſitum. Sed nunc ſigillatim tertio probatur, & explicatur, quia volens per demonſtrationem concludere illud prædicatũ, V. g. riſibile, conuenire homini, præcognoſcere debet neceſſario antequã ad ipſã demõſtrationẽ accedat (ſi recto ordine accedere cupit) quid ſignificent extrema, quia ignorata ſignificatione extremorum, non poterit habere appræhenſiones illorum, quæ neceſſario ad iudicium prærequirũtur. Deinde, ſcire debet, vtrũ ſubiectum de quo demonſtrare intendit prædicatum, ſit verũ ens, an vero chimericum, aut fictum ab intellectu; ergo de ſubiecto & paſsione, quod idem eſt quod de ſubiecto & prædicato, præcognoſci debet, *quid ſint*, ideſt, quid ſignificent, & de ſubiecto in ſuper, *an ſit*; ſcilicet, verum ens, an fictum. Tandem, ſi de principijs cõmuniſsimis ſit ſermo, oportet vt illis aſſentiatur, cognoſcatq; quòd ſint vera; idẽ dicendũ eſt de quolibet principio proximo, quia cum aſſumatur vt medium, & principium probandi; debet eius veritas, & natura ſupponi, quia principium dicit primitatẽ, & medium probandi, debet ſupponi aſſertum vel probatum; aliàs ſemper procederemus in infinitum. Addo. Principium intermedium licet habeat rationẽ principiati reſpectu principiorum ſuperiorum, & in illo vt ſic ſiſti non debeat, formaliter tamen vt habet rationem principij, reſpectu veritatum inferiorum, aut probandarum, debet eſſe primum ſaltim in illa demonſtratione, ac proinde in illo ſiſtendum, nec in prædicta demonſtratione probandum, ſed ante illam neceſſario ſupponendum, ſiue, hoc ſit, quia ipſum principium ſecundum ſe tale eſt, vt cognitis terminis aſſentiamur, ſiue quia aliàs, ſeu per aliam demonſtrationem probatũ ſupponitur: vel tandem, quia licet ex terminis cõmuniſsimis non ſit per ſe notũ, eſt tamen

per

Digitized by Google

per ſe notum, ſaltim ex terminis & principijs talis ſcientię, ac proinde in illa supponendum, non probandum.

Sed ex hac poſitione Ariſt. plures oriuntur difficultates. Prima eſt circa principia, de quibus docet Ariſt. nullomodo cognoſci quid ſint, ſed an ſint tantum. Contra quod argumētor. Impoſsibile eſt principia eſſe vera, ignorata eorū ſignificatione, ergo de principijs non tantum cognoſcitur an ſint, ſed etiam quid ſint, ſaltim quoad definitionē quid nominis. Et Confirmatur ex ipſo Ariſtotele, qui infra ſecūdo cap. aſſerit, ſupponendum eſſe de principijs quid ſignificent, ergo haec tam præcognitio habenda eſt de principijs. Dupliciter reſpōderi poteſt huic difficultati. Primo, aduertēdo, quod ſignificatio, ſeu quid nominis, propriè cōuenit extremis principiorum, & per illos toti illi pronunciato, veritas autē propriè & primario cōuenit propoſitioni, aut principio, etenim complexa non definiuntur, ſed ſimplicia, & è contra, veritas nō eſt in ſimplicibus, ſed in complexis. Reſpondetur ergo, quid ſint, aut definitio nominis propriè conuenire extremis, non vero toti pronunciato, quod appellatur principium: & ita de toto illo rectè dici, non eſſe præcognoſcendum quid ſit, ſed an ſit verum, quia veritas non in terminis ſed in principio complexo reperitur: quia tamen, vt hæc veritas cognoſcatur, oportet ſignificationem terminoru n cognoſcere, ideo Ariſt. 2. loco citato aſſeruit, neceſſario cognoſcendum eſſe de principijs quid ſignificent, & hæc mihi videtur probabilior ſolutio. Nihilominus Reſpondetur ſecundo. De principijs præcognoſcēdum eſſe, quòd ſint vera, & quid ſignificēt, quia licet principia quatenus complexa formaliter definiri non poſsint, poſſunt tamen ſecundum partes definiri, quia partes eius incomplexæ ſunt, & ſic ex ſignificatione extremorum habita per definitionem quid nominis, præcognoſcitur ſignificatio principiorum. Ad Ariſt. autem Reſpondetur. Primo, hanc præcognitionē quid nominis, pretermiſsiſſe tanquā omnino apertā, pręcipue qa de ſimplicibus extremis qualia ſunt ſubiectum & paſsio, iam dixerat præcognoſcendū eſſe quid nominis; ex quo facile quiſq; poſſet deducere etiā in extremis ſimplicibus ex quibus principiū conſtat, eandem præcognitionē quid nominis, eſſe requiſitam. Vel ſecundo

cundo Reſpondetur, quòd cũ hæc ſignificatio requiratur in principio ad veritatẽ cognoſcendam, quæ in illo vt ſic, primario intenditur & habetur, non diſtinxit hanc ſignificationem à præcognitione veritatis, quia vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantũ, nec cenſebatur præcognitio ſignificationis diſtincta à præcognitione veritatis, ratione cuius requirebatur.

Secunda difficultas eſt circa paſsionem, de qua ſolum dixit Ariſt. præcognoſcendum eſſe, *quid ſit*. Contra hoc argumentor, quia eo ipſo quòd de aliquo cognoſcimus quid ſit, ſupponimus ipſum eſſe, ergo ſi de paſsione præcognoſcimus quid ſit, præcognoſcẽdum eſt etiam neceſſario an ſit. Secundo, quia an ſit, vel ſumitur pro veritate, ideſt, an ſit verũ, vel pro exiſtentia, aut entitate nõ fictitia: ſi primo modo, licet, quia in terminis ſimplicibus non eſt veritas, de paſsione non oporteat veritatem præcognoſcere, idem etiã de ſubiecto, quod eſt terminus ſimplex, dicendum eſſet, cum tamen de ſubiecto aſſerat Ariſt. præcognoſcendum eſſe, *an ſit*. Si vero loquimur ſecũdo modo, pro exiſtentia, aut entitate non fictitia, ſicut de ſubiecto præcognoſcendum eſt eſſe ens verum, & non chimericũ, ſic etiam idem præcognoſcendum eſt de paſsione, ens enim chimericum non debet intrare tanquam prædicatum veri ſubiecti in demonſtratione.

Sed pro ſolutione Notandum eſt. De hac præcognitione, *an ſit*, & de paſsione ſimiliter, dupliciter loqui poſſe. Primo, vt *an ſit*, dicit eſſe, & paſſio ſumitur vt ens eſt: Secũdo quatenus paſsio formaliter: ideſt, non ſolum vt dicit poſse exiſtere, ſed vt dicit conuenire tali ſubiecto, & eſſe proprietatem, aut paſsionem illius. Vnde, *an ſit*, etiam poteſt ſignificare, an ſit paſsio, ſeu an conueniat ſubiecto. Reſpõdetur ergo facile ad argumẽtum, quòd an ſit ſecundo modo, non ſupponitur de paſsione ante demonſtrationẽ, quia hoc ipſum eſt quod probatur per demonſtrationem, vt patet cum demonſtramus hominem eſſe riſibilem: ante demonſtrationem autem inquirebatur an riſibilitas conueniret homini, hoc autem in concluſione deducitur, ergo nullo modo ante demonſtrationem ſupponitur. Reſpondetur, ergo in forma ad primum argumentum. Eo ipſo quòd de aliquo cognoſcimus quid ſit,

Digitized by Google

ſit, aut ſignificet, ſupponimus an ſit, diſtinguo, an ſit vt dicit eſſe concedo, an ſit vero vt dicit conuenire ſubiecto, nego: nam ex hoc quod ego cognoſcam quid ſignificet riſibile, non ſupponitur conuenire homini. Ad ſecundum Reſpōdetur. An ſit, vt negatur, tanquā præcognitio paſsionis, non ſumi pro eſſe, ſed pro eſſe verum, in quo conuenit cum ſubiecto, & pro hoc quod eſt conuenire illi, quod non poteſt de paſsione præcognoſci ante demonſtrationem, & in hoc à ſubiecto differt; ſubiectum enim non eſt id quod prædicatur, aut quod conuenit alteri, & ita præcognitio de conuenientia, aut non conuenientia, non habet locum reſpectu illius. Addo tamen, quòd loquendo de præcognitione an ſit, vt dicit eſſe verum, & nón fictitium, ſemel præcognito vero eſſe de ſubiecto, tāquam notum relinquebatur, id eſſe de paſsione præcognoſcendū, quia eſſe paſsionis ſequitur eſſe ſubiecti: Vnde tota (vt ſic dicam) difficultas erat quoad præcognitionem in ſubiecto, & ideo in illo eam expræſsit Ariſtot.

Tertia difficultas eſt circa ſubiectum. An verum ſit quòd de ſubiecto præcognoſcamus, *an ſit*, & *quid ſit*. Et quidem de præcognitione an ſit, nulla eſt difficultas, vel ſi quæ eſt, ex dicendis infra ſoluetur. Neque etiam de præcognitione quid ſit, ſi de definitione nominis intelligatur; Certum enim eſt quòd ſi ignoremus quid ſignificet hęc vox homo, non poterimus habere de illo veram aliquā notitiam, aut ſcientiam. Difficultas ergo eſt de definitione quid rei, aut quidditatiua ſubiecti, an ſit neceſſario præcognoſcenda, videtur enim quid rei, neceſſario eſſe præcognoſcendum, quia in demonſtratione propter quid, ſubiectum ſupponitur vt cauſa paſsionis, ſed non eſt cauſa paſsionis ſecundum nomen, ſed ſecundum ſuam eſſentiam, ergo ſupponitur quidditas & eſſentia illius, & non ſignificatio tantū. Secundo. Quia in demonſtratione propter quid, in qua ſcilicet demonſtramus effectum per ſuā cauſam, principium proximum, aut medium quod aſſumimus, eſt definitio quidditatiua ſubiecti, vt patet in ſuperius adducta demonſtratione, vbi animal rationale aſſumimus tanquam medium, ad demonſtrandum de homine quod ſit riſibile, ergo

ergo ante quam demonſtremus paſsionem conuenire ſubiecto, præcognoſcimus de illo quid rei. Ex alia vero parte videtur non eſſe neceſſario præcognoſcendũ quid rei de ſubiecto. Primo, quia Aſtrologi demonſtrant Lunam eclipſari per ſuam cauſam, ignorantes quidditatiuam definitionem Lunæ & cœlorum, & Mathematici demonſtrant de figuris & numeris, ignorantes definitiones eorum. Secundo. Quia quod demonſtratur nõ præcognoſcitur ante demonſtrationem, ſed de ſubiecto poteſt demõſtrari quid rei, ergo hoc nõ poteſt præcognoſci, ſed ſolum quid nominis. Minorẽ probo, quia hic Ariſt. demonſtrat quid ſit demonſtratio, & in libris Priorum, quid ſit Syllogiſmus, & in libris de Anima, quid ſit anima, cum tamẽ anima, & ſit ſubiectum demõſtrationis, & librorum de anima, demonſtratio item ſubiectum demonſtrationis, & huius etiam tractationis, idem de Syllogiſmo reſpectu librorum de Priori reſolutione.

Pro ſolutione Notandũ Primo. Duplicem eſſe demonſtrationem. Alia dicitur Quia, in qua demõſtramus cauſam per effectum, vt ſi dicas, omne riſibile eſt rationale, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt rationalis: vbi rationale quod eſt cauſa, demõſtratur per riſibile. Alia eſt demõſtratio propter quid, in qua è conuerſo effectum per cauſam demonſtramus, vt riſsibile per rationale. Sed hęc demonſtratio propter quid adhuc eſt duplex: Vna in qua demonſtratur propria paſsio de ſubiecto per eius quidditatiuam definitionem: alia vero in qua demonſtratur effectus, per depẽdentiam effectus à cauſa, etiã ſi definitio quidditatius ſubiecti non habeatur, vt quãdo demonſtramus eclipſim Lunæ per cauſam, nempe interpoſitionem terræ inter Solẽ, & Lunam, non vero per definitionem Lunæ: ſufficit etiam poſteriores rationes, & paſsiones, per priores demonſtrare, vt riſsibile per admiratiuum.

Secundo notãdum eſt. Doctrinam præcognitionum & præcognitorum ab Ariſt. hic traditam, non habere locum in demonſtratione quia, ſed in demonſtratione propter quid. Vnde Ariſt. cap. 2 huius libri aſſerit, de modo ſciendi à poſteriori, hoc eſt per demõſtrationem quia, nõdum fuiſſe loquutum, ſed nec loquuturum vſq; ad decimum caput, vbi vtramq; demonſtrationẽ diſtinguit.

His ſuppoſitis. Dicendum eſt,

eſt, de ſubiecto precognoſcendum eſſe quid rei. Sic docent Porphirius, Albertus, Scotus, Caietanus, & alij: ſufficienterq; argumenta pro hac parte in ratione dubitandi adducta, eam confirmant. Nomine autem quid rei intelligitur vel definitio quidditatiua ſubiecti, vel proprius conceptus cauſæ, ac dependentiæ effectus ab ea, ſeu rationis, per quam demonſtratur effectus, hoc enim ſufficit vt demonſtratio detur per cauſam, & ſit propter quid.

Ad argumenta Reſpondetur. Ad primum, ſufficere præcognoſci dependentiam cauſæ & effectus, ſeu rationis per quam demonſtratur, vt conſtat in demonſtratione eclypſis, facta per interpoſitionem terre inter Solem, & Lunam; idemq; reperitur in demonſtrationibus de figuris & numeris, apud Mathematicos. Vnde ſufficiet ad demonſtrationem propter quid, rationes poſteriores per priores demonſtrare, hoc enim ipſo quod priores ſunt, habent rationem cauſæ reſpectu poſteriorum. Addo tamen, in demonſtratione illa eclypſis, veram & quidditatiuam dari effectus definitionem, ibi enim non demonſtramus tanquam effectum Lunam, ſed eclypſari Lunæ, huius autem quod eſt eclypſari, quidditatiua ratio eſt interpoſitio terræ.

Ad ſecundum Reſpondetur. Illas eſſe demõſtrationes quia & à poſteriori, de quibꝰ (vt ſecundo Notabili dicebã) non loquitur Ariſt. Quidditas enim rei nõ poteſt à priori & per cauſam oſtendi, quia in re nihil aliud eſt prius, quã quidditas eius.

Tandem aduerto, circa præcognitionẽ, *an ſit*, de ſubiecto, non intelligendam eſſe de exiſtẽtia ſingulari, ab hac enim potius abſtrahit ſciẽtia, niſi forte quando ſubiectum eſt indiuiduum, & ſingulare, vt ſi dicas. Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal. Intelligenda ergo eſt illa præcognitio de eſſentia, ad quam poteſt ſequi exiſtentia, ſic tandem, vt ſi res quæ cognoſcitur ſit realis, præcognoſcatur vt potens exiſtere realiter, ſi tamen nõ poſſit realiter exiſtere, vt vacuum, vel non poſſit habere eſſe à parte rei, vt ens rationis, tunc quidem præcognoſci debet de ſubiecto, *an eſt*, iuxta ſuam naturam, ita quòd ens rationis cognoſcatur poſſe exiſtere per intellectum, & vacuum ſupernaturaliter. Vnde nunquam in ſcië-

tia demõſtratur ſubiectũ eſſe, ſaltim per ſe, & ſecundũ rectã Prudentiam, licet contra proteruos demonſtrari poſsit, vt facit D. Thom. 1. p. probans Deum eſſe, contra inſipientes, qui dicunt in corde ſuo non eſt Deus.

QVÆSTIO. III.

Utrum Præmiſſæ ſint cauſa concluſionis, & in quo genere.

MEminiſſe oportet, Ariſtotelem ſuperius dicẽtem: *Omnẽ doctrinam fieri ex præexiſtenti cognitione*, & Cõmentatorem ſupra etiam relatum, diſtinguentem præcognitionem pro actu intellectus ſumptam, in agentem, & dirigentem. Oritur ergo Quæſtio præſens circa illam particulã, *ex*, quæ ſonat cauſalitatem, ac proinde cognitionem pręmiſſarum, eſſe cognitionem agentem in concluſionem. Et quidem quod præmiſſæ ſint aliquo modo cauſæ concluſionis dubitari non poteſt, tũ, propter authoritatem Ariſtot. explicatam per particulam illam *ex*, & Commentatoris iã relati, & S. Thom. 2. Phyſic. lect. 5. & 1. contra gentes cap. 57. Probariq; poteſt, quia concluſio fit ex præexiſtenti cognitione præmiſſarum, ergo ſi in concluſione eſt ratio fieri, aut effectus, erit in præmiſsis ratio cauſæ, & ratio faciendi. Neq; reſponderi poteſt, fieri ex præmiſsis tanquam ex termino à quo, ſicut dici ſolet, ex calido fieri frigidum, aut è cõtra. Contra hoc enim eſt, quod terminus à quo, incompoſsibilis eſt cum termino ad quem, vt conſtat in exẽplo adducto; opponitur enim termino ad quẽ, & ammittitur per acquiſitionem illius, cum tamen aſſenſus antecedentis aut præmiſſarũ nec aſſenſui concluſionis opponatur, neq; per cõcluſionis aſsẽſum ammittatur. Secundo, probatur ex Ariſt. hìc aſſerente, concluſionẽ virtute contineri in præmiſsis, ſed virtute cõtinere aliquid, propriũ eſt alicuius cauſæ reſpectu ſui effectus, ergo aliqua cauſalitas eſt in præmiſsis reſpectu concluſionis. Confirmatur ex eodem Ariſtot. 2. Phyſic. tex. 31. &

31.& 89.& 5.Meth.tex.2.Vbi aſſerit, principia eſſe cauſam concluſionis. Tertio ratione probatur,quia ratio diſcurſus non conſiſtit in hoc quòd vnũ poſt aliud cognoſcat ſecũdũ ſucceſsionẽ tẽporis, id enim vel nõ eſt neceſſariũ,(de quo infra,)vel etiã ſi neceſſariũ ſit, poſſunt plures propoſitiones diſparatæ, vna poſt aliã ſucceſſione tẽporis dignoſci,quæ tamen non efficiant demonſtrationẽ.Conſiſtet igitur demonſtrationis ratio in eo, quod vnius cognitio,ex natura & cognitione alterius efficiatur, aut cauſetur;ergo cognitio cõcluſionis ex præmiſſarũ cõcluſione,non tanquã ab aliqua prioritate tẽporis præſuppoſita,ſed tanquam à cauſa deducitur. Vide D.Tho. 1.p. q. 14. art.7.in corpore.

Suppoſito ergo,aliquã eſſe cauſalitatem præmiſſarũ reſpectu cõcluſionis, dubitamus quænã illa ſit. Et quidẽ cõcurrere præmiſſas aliquo modo in genere cauſæ materialis ad aſſenſum concluſionis,certum eſt,tum,quia cũ concluſio cõponatur ex terminis præmiſſarũ;nempe ex maiori & minori extremitate, videntur præmiſſæ præbere materiam illi; terminos ſcilicet, ex quibus ipſa cõponitur. Sed ſecundo, determinatur aſſenſus concluſionis per aſſenſum principiorũ, quia ex talibus V.g.principijs non poteſt intellectus indifferẽter quaſcũq; ellicere cõcluſiones,ſed neceſſario determinatur ad elliciẽdas has, & nõ alias,ſed hic modus determinãdi,ad genus cauſę materialis expectat,ergo in genere cauſę materialis cõcluſionẽ à prędmiſsis depẽdere certũ eſt. Ex hac tamẽ determinatione, quę cõmuniter ad genus cauſę materialis reducitur,fortaſſe probabilius dici poſſet, nõ tã in genere cauſę materialis depẽdere concluſionẽ à præmiſsis,quã in genere cauſę formalis & ſpecificãtis extrinſicę.Ratio eſt,quia illa determinatio cõcluſionis ex præmiſſis, eſt veluti ſpecificatio, determinatur enim intellectꝰ ad vnionẽ extremitatũ in cõcluſione,per vnionẽ quã habẽt tales extremitates cum medio, hæc autẽ(vt ſic dicam)talitas ad rationẽ formalem & quidditatem ſpectat talis cõcluſionis aut demõſtrationis.Quòd autẽ ad ſpecificationẽ & formalitatem ſpectat, non pertinet ad genus cauſæ materialis,ſed ad genus cauſæ formalis quaſi extrinſicę. Poteſt eſſe exemplum in relatione quæ in genere cauſæ formalis extrinſicæ ſpecificari a termino dicitur, V.g. Paternitas

Digitized by Google

à ſubſtantia abſoluta genita, ad quam terminatur, quod adhuc explicari poteſt ſic; quia à principijs ſpecificatur cognitio concluſionis. Eiuſdē enim concluſionis cognitio ſi per medium, & principium probabile procedat, opinio, ſi vero per neceſſarium, ſcientia dicitur.

Habemus ergo in præmiſſis reſpectu concluſionis aliqualē rationem cauſæ materialis, & aliqualem etiam cauſæ formalis, quæ in ſenſu dicto negari non poteſt. Rationem cauſæ finalis habere non poſſunt, quia illę potius ordinantur tanquam ad finem, ad aſſenſum concluſionis, licet quoad reſolutionem poſsint dici præmiſſę finis concluſionis, in reſolutione enim concluſiones in præmiſſas, & in principia reſoluuntur, cum reſolutio ſit deductio rei ad ſua principia, id autem quod deducitur eſt veluti in via, principium autem ad quod deducitur, & in quo ſiſtit, eſt quaſi terminus, & finis. In hoc igitur ſenſu poſſunt dici finis concluſionis, non tamen propriè cauſa finalis, vt patet.

Solum ergo reſtat Dubium de cauſalitate efficienti. Vtrū ſcilicet aſſenſus præmiſſarum ſint cauſę efficientes aſſenſus cōcluſionis. In qua dubitatione prior ſententia eſt Durandi in ſecundo diſt. 2. quæſt. 2. ad quartum negantis efficiētiam aliquam præmiſsis reſpectu concluſionis. Probatur autē hæc ſentētia. Primo, quia cauſa efficiens agit in quantū eſt actu in rerum natura, nam quod non eſt, non poteſt efficere, ſed quando intellectus aſſentitur concluſioni, iā præterijt aſſenſus præmiſſarum, ergo præmiſſę non ſunt cauſa efficiens concluſionis. Minor probatur, quia intellectus nō poteſt ſimul habere plures actus, vel aſſenſus, ſed vnum poſt alterum, præcipue in diſcurſu, ergo dū actu habet aſſenſum concluſionis, iam præterijt aſſenſus præmiſſarum. Sed etiam ſi maneat, argumētor Secundo, quia aſſenſus pręmiſſarū eſt actio intellectus, ſed vnus actus non poteſt habere virtutem effectiuam reſpectu alterius, non enim per actum efficitur actus, ſed terminus, ergo. Tertio. Aſſenſus præmiſſarum ſpecie diſtinguitur ab aſſenſu concluſionis, ergo ſi eſt cauſa efficiens erit æquiuoca, at ęquiuoca cauſa eſſe non poteſt, quia cauſa æquiuoca eſt vniuerſalis & remota, vt cœlum, aut Sol, &c. aſſenſus autem Principiorum eſt cauſa particularis & proxima concluſionum, vt patet,

ret, ergo non eſt æquiuoca.

Oppoſita tamen ſententia, ſcilicet, quòd aſſenſus principiorum ſit cauſa efficiens conclusionis, probabilior eſt: hãc enim tenet expreſsè S. Thom. in præſenti cap. lect. 3. Vbi aſſerit, eſſe ſententiam Ariſtot. 2. lib. Phiſicorum. Idem docet primo lib. contra gentes, cap. 57. ratione quarta: vbi etiam Ferrar. Linconienſis etiam, Paulus Venetus, Sotus hìc, Toletus, & cõmuniter recentiores. Probatur primo, quia illa particula, *ex*, ſæpius repetita, aliquam dicit cauſæ habitudinem, ſed non cauſæ materialis aut formalis, quia hæ cauſæ ſunt de eſſentia rei, quam componunt, cognitio autem præmiſſarum licet ſit requiſita ad cognitionem concluſionis, non tamen poteſt eſſe de intrinſeca illius compoſitione, cum ſint aſſenſus, & diuerſi realiter, & ſpecie ſimiliter. Illa autem quaſi extrinſeca ſpecificatio, ſolum dicit in aſſenſibus præmiſſarum rationem termini, ſicut in exemplo relationis videri poteſt, ratio enim cõcluſionis vt ſic, licet conſtituatur in eſſe talis per ordinem quendam quaſi tranſcendentalem ad premiſſas, illæ tantum habent hunc ordinem terminare, quod tamen, & nulla eſt cauſalitas, & per hoc non rectè explicatur illa particula, *ex*. Similiter non poteſt denotare cauſam materialem, tum, quia dum illam denotat, adiungitur alicui intrinſicè totum componenti, vt cum dicitur domum fieri ex lignis, & lapidibus, nunquam tamen propriè dicimus cognitionem intellectus fieri ex cognitione ſenſitiua, etiam ſi hæc illam antecedat, & quaſi determinet. Deinde, hæc ratio determinandi proprius competit, & reducitur, ad genus cauſæ efficientis, vt conſtat in phantaſmate, quod quidem habet rationem inſtrumenti cum intellectu ad productionem ſpeciei intelligibilis, & clarius in ipſa intelligibili ſpecie, tam in intellectu, quam in ſpecie intentionali reſpectu aliarum potentiarum, quæ ſunt partiale principium effectiuum actionis, potentias alias indifferentes, ad hanc aut illam determinantes actionem. Ex quibus omnibus rectè concluditur, nullum aliud genus cauſæ eſſe quod præmiſſæ reſpectu concluſionis poſſint habere, niſi genus cauſæ efficientis.

Secundo probatur, quia illud quod conſtituit potentiã

in actu primo, concurrit cum ea efficienter ad actum ſecundum, vt conſtat in exemplis de ſpeciebus intelligibilibus, & intentionalibus adductis, ſed per ſpecies principiorum, & aſſenſum eorum, conſtituitur intellectus in actu primo ad aſſentiendum concluſioni, ergo. Minorem probo, quia intellectus nudus, non eſt ſufficiens, aut completa cauſa aſſenſus concluſionis, niſi informetur & actuetur per aſſenſum principiorum, concurrit ergo aſſenſus iſte per modum formę determinantis & conſtituentis ipſum in actu primo. Tandem tertio, quia Ariſtot. 2. Phyſic. text. 89. præmiſſas refert ad genus cauſæ efficientis, reſpectu concluſionis, quem hic ſic intelligit S. Tho. lect. 3.

Ad argumenta in oppoſitum Reſpondetur. Aſſenſum præmiſſarum & concluſionis dupliciter conſiderari poſſe, Primo, ſecundum quòd quilibet aſſenſus eſt in ſe vnus, & veluti in genere phyſico intellectiuo completus, ſeu quatenus eſt quædam enunciatio pertinens ad ſecundam operationem intellectus, qua ratione concluſiones & præmiſſæ, quaſi tres enunciationes diſparatæ intelliguntur. Alio modo conſiderantur in quantum habent ordinem & dependentiam, inter ſeſe, nempe concluſio, quod ei aſſentiatur intellectus propter principia, & principia, quod ſint cauſa concluſionis, & formalis ratio aſſentiendi. Conſiderari (inquam) poſſunt, non quidem per modum pluriũ, ſed per modum vnius, in quantum efficiunt vnum diſcurſum. Quam diſtinctionem eleganter expręſsit S. Thom. 1. 2. quæſt. 8. artic. 3. his verbis. *Primo aliquis intelligit ipſa principia ſecundum ſe, poſt modum autem intelligit ea in ipſis concluſionibus, ſecundum quod aſſentit concluſionibus propter principia.* Hæc S. Thom. Reſpondetur ergo, quod licet principia materialiter, & vt ſunt propoſitiones, vt ſic dicam, ſolutæ, & diſparatæ, ſic poſsint antecedere concluſionem, vt in inſtanti aſſenſus illius non maneãt: formaliter tamen, vt principia, & vt rationes aſſentiendi concluſioni, & ſecundum quod componunt vnum diſcurſum, in inſtanti aſſenſus concluſionis manent. Manent enim tunc licet plura, ſemper per modum vnius, vt ex S. Thom. viſſum eſt. Sed Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondetur ſecundo, non repugnare, intellectum plura, vt plura, ſimul cognoſcere, licet non cum tanta intenſione ac ſi cognoſceret vnum tantum, ſi enim ſenſus plura vt plura percipere poteſt, vt patet de viſſu qui plures colores diuerſos ſimul apprehendit, vt album, & nigrum, non eſt cur id intellectui, potentiæ ſpirituali & perfectiſsimæ denegetur, quod iã a pleriſq; Thomiſtis aſſeritur, vt à Soto hic, & Dominico Bañes 1. part. quæſt. 58. artic. 2. Addo 3. poſſe manere aſſenſum præmiſsarum, ratione termini, aut ſpeciei relictæ in intellectu, etiam ſi vt actio tranſierit.

Ad ſecundum Reſpondetur. Aſſenſum præmiſsarum concurrere ad aſsenſum concluſionis ratione ſpeciei, aut verbi producti, & in intellectu manentis, quæ quidem qualitas actiua, inſtrumentalis eſt. Vel ſecundo Reſpondetur. Actum immanentem vt manendo eſt forma potentiæ, poſſe ſimul cum illa cauſam eſſe alterius actus.

Ad tertium Reſpondetur, concedendo præmiſſas habere rationem cauſæ æquiuocę, negando tamen quod ſola cauſa vniuerſalis & remota ſit ęquiuoca, poteſt enim dari cauſa particularis & proxima, quæ ęquiuoca ſit, ſi ſit ſpecie diſtincta: ſi enim eo ipſo quòd eiuſdem ſpeciei eſt, eſt vniuoca, eo ipſo quòd eſt ſpecie diſtincta, æquiuoca erit.

QVÆSTIO. IIII.

Vtrum cognitis maiori & minori, neceſsitetur intellectus in eodem inſtanti ad aſſenſum concluſionis.

QVæſtio hęc procedit nũc, de intellectu cognoſcente præmiſſas euidẽtes, & neceſſarias, & ſimul bonitatẽ conſequentiæ, & illationis. Quid enim dicendum ſit quãdo præmiſſæ ſolum ſunt probabiles, etiam ſi debito ordine Syllogiſtico diſponantur, inferius dicendum eſt. Pro cuius quæſtionis deciſione.

Notandum eſt. Dupliciter poſſe aliquam potentiam ad ſuum actum neceſsitari, vno modo quoad ſpecificationẽ, ideſt, quòd taliter ſit determinata ad actũ, quòd licet poſſit illum ſuſpendere, neq; in actum exire, ſi tamen exit, in hunc neceſſariò V.g. aſſenſus, & non in illum diſſenſus exire debet: qua ratione in hac vita voluntas circa bonũ aut beatitudinem in communi neceſſitatur quoad ſpecificationẽ, non enim eſt determinata vt illam ſemper amet, ſed vt ſi aliquem circa illam habitura ſit actum, amoris ſit, & non odij, cum nullam in illa rationem mali reperiat. De quo in materia de actibus. Secundo modo poteſt neceſsitari quo ad exercitium, quando potentia ita eſt determinata, vt non ſolum actum V.g. amoris elliciat, ſi operari vellit, ſed etiã vt illum ſemper exerceat & illum de facto ſemper neceſsitetur ellicere, qua ratione voluntas Beati in patria neceſsitatur, nõ ſolum vt Deum quẽ clare videt non odio habeat, ſed etiam vt ſemper diligat, & ab eius dilectione non ceſſet.

Quibus ſuppoſitis. Dico in hac dubitatione primo. Poſitó aſſenſu præmiſſarũ quę neceſſarię ſũt, & cognita, vt dixi, illationis bonitate, neceſsitatur intellectus quoad ſpecificationẽ ad concluſionis aſſenſum, ita quod non poteſt diſſentiri illi, ſed ſi aliquem eſt producturus actum, ille neceſſario debet eſſe aſſenſus. Concluſionem hanc fatentur om-

Digitized by Google

nes, neq; video qui illam neget, ideo non oportet aliquẽ in particulari in illius confirmationem adducere. Probatur ratione, primo: quia vel iudicat bonam eſſe conſequentiam, vel non: ſi non, non loquimur de illo, ſed de illo qui bonam eſſe iudicauit: ſi primum: ergo non poteſt diſſentiri, quia illa eſt bona conſequẽtia, in qua ex vero antecedenti, non poteſt ſequi niſi verum conſequens, ſi ergo iudicauit bonam eſſe illationem, & pręmiſsis iam eſt aſſentitus tanquam veris, non poteſt diſſentiri concluſioni vlla ratione. Secundo: quia ſi diſſentitur concluſioni, aſſentitur virtualiter contradictorio illius, ſed qui aſſentitur contradictorio concluſionis, cogitur aſſentiri contradictorio antecedentis illius quod iam conceſſerat, ergo cogitur aſsentiri duabus contradictorijs: qui enim aſsentitur huic contradictorio, *homo non eſt riſibilis*, debet etiam aſſentiri huic propoſitioni *nullum animal rationale eſt riſibile*, quod eſt contradictorium illius, quod iam conceſſerat.

Sed licet hæc concluſio in præmiſsis neceſſarijs admittatur ab omnibus, in probabilibus tamen, etiam ſi recto illationis ordine diſponantur, ab aliquibus non admittitur, ducti hoc argumento. Quod præmiſſæ ſi ſolum ſunt probabiles, quantumuis ſit recta illatio, non poſſunt vlla ratione intellectum neceſsitare, quia poteſt aliunde probabiliores rationes habere, propter quas eligat concluſioni diſſentiri. Alij autem etiam prędictam concluſionem, in propoſitionibus probabilibus verã exiſtimant: quia ſicut ſtante aſſenſu præmiſſarum quæ neceſſariæ ſunt, non poteſt non intellectus neceſsitari concluſionis aſſentiri, ita ſtante probabili aſſenſu præmiſſarum, non poteſt non intellectus probabilitati concluſionis aſſentiri. Multis autem circa hoc relictis. Exiſtimo omnino veram hanc ſecundã ſententiã (quicquid dicant plures Recentiores) concluſionemq;, etiam in probabilibus propoſitionibꝰ tenendam eſſe: adducta enim ratio eam probat aperte, immo adductæ rationes ad probandã concluſionẽ id etiam conuincunt. Quod ſic explico: quia licet propoſitiones probabiles non neceſsitent intellectũ ad aſſentiendũ, ſed poſſit recte illis diſſentiri, ſi ſemel tamen ſupponamus illis præbuiſſe aſſenſum, cognoſcuntur neceſſario ab illo vt verę, ſed ex vero antecedenti, non poteſt

Digitized by Google

teſt ſequi niſi verũ conſequẽs in recta illatione, ergo ſtante aſſenſu præmiſſarum probabilium, neceſsarius omnino eſt aſsenſus concluſionis, cum recta ſupponatur illatio. Secundo: quia ſi diſſentitur concluſioni, aſſentitur virtualiter cõtradictorio illius, & conſequẽter cõtradictorio alicuius pręmiſſæ, quam iam conceſſerat, vt in ſecunda ratione concluſionis explicatum eſt. Tertio: ſicut neceſſarium eſt, concluſionem deductam ex principijs neceſſarijs, eſſe neceſsariam: ſic neceſsarium eſt, concluſionem rectè deductam ex principijs probabilibus, eſse probabilem, ergo ſicut nõ poteſt intellectus diſsentiri priori concluſioni vt neceſsariæ, ſic non poteſt diſsentiri probabilitati concluſionis probabilis: eſt enim neceſsariũ eſse probabilem: cumq; indifferẽtia quam poterat habere intellectus, ad diſsentiendũ pręmiſsis probabilibus ablata ſit, quia ſupponimus determinate illis aſsenſum præbuiſse, ablata etiam eſt indifferentia quoad concluſionem quæ ex præmiſsis neceſsario conſequitur, ac proinde cui ex pręmiſſarum aſsenſu neceſsario etiam debetur aſsenſus.

Difficilius eſt. An intellectus neceſsitetur quoad exercitium in aſsenſu cõcluſionis. Plures ex Recentioribus exiſtimantes illud ex S. Tho. doctrina ellicere, aſſerunt: quod adhuc poſitis aſsenſibus præmiſsarum, quantumuis euidẽtes & neceſsariæ ſint, rectaq; cõſequutio, poſsit intellectus ſuſpendere aſsenſum cõcluſionis. Probant, quia intellectus ſubditur voluntati quantum ad exercitium actus, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 9. ar. 1. ad tertiũ dicens, *voluntas mouet intellectum quantum ad exercitium actus, quia & ipſum verum quod eſt perfectio intellectus, continetur ſub vniuerſali bono, vt quoddã bonũ particulare*, hæc S. Tho. ex quo loco ſic argumentantur: verum quod eſt obiectum intellectus, eſt quoddã particulare bonũ, ſed circa particulare bonũ quodcumq;, non neceſsitatur volũtas, ſed poteſt velle & nõ velle illud, ergo liberum eſt volũtati, velle applicare intellectum ad operandum, circa quodcũq; verum in particulari, vel diuertere illum, poterit ergo à concluſionis aſsenſu illum remouere.

Secundo etiam ex doctrina S. Tho, argumentantur. Potentia non eſt capax habitus, niſi in ordine ad obiectum, circa quod poteſt operari libere. (Vnde potẽtia omnino naturalis,

ralis, nullam habens libertatẽ in ſuis operationibus, ſaltim ex participatione voluntatis, nõ eſt capax habitus, vt patet in potẽtia nutritiua, & in potentia viſiua, ſed intellectus per aſſenſus principiorum, acquirit habitũ qui vocatur intellectus, & habitis aſſenſibus principiorũ acquirit habitũ ſcientiæ per aſſenſum concluſionis, ergo circa illum aliquã habet libertatem, non quoad ſpecificationem (vt vidimus) ergo ſaltim quoad exercitiũ. Aſſumptũ totius huius argumentationis ſumũt ex D. Tho. 1.2.q.50.ar.1.& 3. Hęc ſunt argumenta Recẽtiorũ. Pro illis tamen adhuc argumentor vrgentius: aliquãdo ex eiſdẽ pręmiſsis, duæ poſſunt inferri cõcluſiones, directa vna, indirecta alia: poſſumus enim ex duabus pręmiſsis vniuerſalibus in prima figura, pro libito inferre, vel directã vniuerſalem in *Barbara*. Vel indirectã particularẽ in *Baralipton*, ergo vel intellectus eſt determinatus quoad exercitiũ, ad inferendũ vtramq;, vel ad aliquam illarũ determinate, nõ ad vtrãq; ſimul, vt patet, quia vna demonſtratio vnam tantũ habet & poſtulat concluſionẽ: neq; ad aliquã determinate, quia ex vi præmiſſarũ, poteſt quælibet illarum deduci, ergo circa concluſionem nõ poteſt eſſe neceſsitas quoad exercitium, eſſet enim intellectus indifferens & liber ex vna parte, ex alia vero omnino determinatus, quod implicat.

Oppoſita tamẽ ſentẽtia, quę omnino probabilior eſt, nẽpe intellectũ neceſsitari quoad exercitiũ ad aſſenſum concluſionis, quando præmiſſæ euidentes & neceſſariæ ſunt, & recta illatio, eſt abſq; dubio S. Tho. 1.p.q. 82. art. 2.& 1. Periarm. lect. 13. colligiturq; ex eodẽ 1.2.q.8.ar.3. Ex quo prędicto loco ſic argumẽtor: ſicut ſe habet in voluntate intentio finis ad electionem mediorũ, ſic ſe habet in intellectu aſſenſus principiorũ, ad aſſenſum concluſionis (Hæc eſt S. Tho. ibi) ſed poſita efficaci intentione finis, & perſeuerante voluntate in ea, nõ poteſt ſuſpendere actum electionis, ſed neceſſitatur omnino ad eligẽdum aliquod medium pro cõſequutione illius, ergo habito aſſenſu principiorum, & perſeuerante in eo intellectu, non poteſt vllo modo ſuſpendere actum concluſionis. Reſpondent Recentiores, diſparem eſſe rationem: quia voluntas no elligit media propter finẽ vtcumque, ſed propter conſequutio-

ſequutionē eius. Vnde ſi perſeueraret in intentione efficaci, debet eligere ad conſequendum: aſſenſus autem concluſionis, non ordinatur ad conſequutionē alicuius finis, ſed ſolum habet neceſsitatem cōſequentiæ, ſolumq; conuenientia ſtat in hoc, quod ſicut voluntas per ſe primò tendit in finem, & ex intentione finis mouetur ad media, ſic intellectus per ſe primo mouetur ad aſſenſum principiorum, & ex aſſenſu principiorum, mouetur ad aſſenſum concluſionis. Sed hæc vel falſa ſunt, vel non ſoluũt argumētum. Primò: quia totus diſcurſus & ordinatio præmiſſarum, ad aſſenſum concluſionis ordinatur tanquam ad finem. Vnde Ariſtot. ſequenti c. p. 7. demōſtrationem definit *Syllogiſmum ſcientialem*, & ipſi Recentiores explicant ſic definiuiſſe: quia finis demonſtrationis eſt generare ſcientiam, ergo etiam ibi eſt influxus, & ordo cōſequutionis: immo hic ordo conſequutionis omnino naturalis & neceſſarius, præmiſſæ enim non ſunt cauſa libera concluſionis, ſed naturalis & neceſſaria, vt ſequenti ratione expendam. Secundo: quia ſimilitudo aut proportio adducta à S. Thoma, vt patet ex corpore articuli, in hoc conſiſtit, quod ſicut intentio finis eſt ratio volendi media, ſic aſſenſus præmiſſarum eſt ratio aſſentiendi concluſioni, ergo ſicut illa ratio volendi ſi duret efficaciter (quia eſt reſpectiua) non poteſt eſſe ſine volitione alicuius medij, quia vt ratio volendi aliud, poſtulat quod illud aliud eligatur: ſic præmiſſæ & principia, quia in demonſtratione non ſumuntur diſparatæ, & vt plures, ſed vt ſunt ratio aſſentiendi alteri (quę ratio eſt reſpectiua) ſi durent, non poſſunt eſſe ſine aſſenſu illius alterius, cui rationes ſunt aſſentiendi: hæc ergo eſt exacta S. Thomæ intelligentia, illa vero quam Recentiores adducunt ſuperficialis quidem, nec ſatisfaciens.

Ex quo deducitur ſecunda pro hac ſententia ratio: quia hic non loquimur de præmiſsis materialiter, & vt plures, ſeu vt propoſitiones diſparatæ, & ad ſecundam tantum operationem intellectus pertinentes, ſed de illis vt ſunt ratio aſſentiẽdi, & per modum vnius componentes cum concluſione diſcurſum vnum, ſed hæc ratio & eſt reſpectiua vt dicebam,

dicebam, & ad vnitatem, ac proinde ad indiuiſibilitatẽ expectans, durat atq; impoſsibile ergo eſt, ſine concluſionis aſſenſu reperiri.

Tertio intellectus non eſt potẽtia formaliter libera, ſed naturalis, ſicut ſenſitiuæ potẽtiæ V.g. viſus, quæ licet poſſit retrahi à perceptione obiecti, ſi obiectum auferatur aut medium non illuminetur, ſi tamen obiectũ præſens ſit, & medium illuminatum, non poteſt potentia illa, non ellicere actum, ergo intellectus cum habeat medium illuminatum, ſcilicet ſe ipſum naturali lumine, & præmiſſę euidentes ſint, euidenterque nota conſecutionis bonitas, non poterit non aſſentiri concluſioni. Quarto, aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus concluſionis, non libera, ergo naturalis, ſed cauſa naturalis nõ impedita, neceſſario cauſat ſuum effectum, ergo cum aſſenſus præmiſſarum cauſa naturalis ſit, & poſita ſint omnia requiſita ad operandum, neceſſario effectũ producet: ita vt licet voluntas imperare potuerit itellectui, ne cogitet de præmiſsis, & de bonitate illationis, at poſtquã intellectus hæc omnia vidit, impoſsibile eſt, quod tunc ſuſpendat actũ circa concluſionem, quantũcunque imperet voluntas. Ratio eſt: quia ex vi imperij prioris, vt intellectus aſſentiretur premiſsis, & de bonitate illationis cogitaret, & ex natura intellectus & obiecti præſentis, rapitur intellectus neceſſario, ac proinde quoad ceſſationem non poteſt efficaciter moueri alio voluntatis imperio omnino neq; voluntas tunc poteſt efficaciter ceſſationem imperare. Confirmo, quia omnino videtur impoſsibile, vt ſi cognoſco V.g. bonitatem conſequentiæ in *Darij*. Ex terminis non ſignificatiuis, quando illam in terminis ſignificatiuis formo, præcipue ex intentione deducendi in conſequẽtia V.g. *Petrus eſt animal rationale*, quod intenditur demonſtrari, ſi ſemel aſſentiat his, *omnis homo eſt animal rationale, ſed Petrus eſt homo*, nõ ſtatim neceſſaria intellectus vi, & conſequtione, & quaſi raptu veritatis omnino neceſſariæ & conſequentis, intellectus *Petrum eſſe animal rationale*, elliciat. Ego quidem de hac concluſione quam probamus, non dubito, & omnino S. Thomę eſſe exiſtimo. Argumenta autem in oppoſitum, omnino debilia ſunt, neq; ex doctrina S. Thomę aliquid con-

Digitized by Google

concludunt: etenim primum placet contra ipſos retorquere: ſi ex eo quod aſſenſus intellectus comparatur bono particulari, colligunt intellectum nō neceſsitari quoad exercitium, quia voluntas circa bonum particulare non neceſsitatur, cum etiam voluntas circa bonum particulare non neceſsitetur quoad ſpecificationem, hæc enim neceſsitas ſolū reperitur circa bonum in communi (quod beatitudinem in communi appellant Theologi) neque intellectus neceſsitabitur quoad ſpecificationem, circa particulare verum, quale eſt aſſenſus concluſionis. Reſpondetur ergo, quod aliud eſt neceſsitari abſolute, aliud vero ex ſuppoſitione alterius eſſentialiter connexi: ſi enim duo eſſentialem habeant connexionem, licet ad poſitionem prioris ſit libertas, ſemel tamen illa poſita, neceſſario ponitur alia cum qua prior eſſentialem ordinem dicebat. Quod adeo verum eſt, vt diuina & perfectiſsima libertas, hoc modo (ſi ita dici poteſt) neceſsitetur: licet enim Deus liber ſit ad producendam materiam, ex ſuppoſitione tamen quod illam producat, neceſſario debet producere formam cum illa. Et in opinione probabili; ſi exiſtente vno albo, vellit producere aliud, neceſſario ad relationis emanationem debet concurrere, quia implicat eſſe duo alba ſine relatione ſimilitudinis. Hoc ergo modo, quis dubitet voluntatem humanam circa particulare bonum, poſſe neceſsitari ex ſuppoſitione alterius? licet ergo fuerit libera, quoad applicationem intellectus ad aſſenſum præmiſſarum, & cognitionem bonæ illationis, hoc tamen durante & iam ſuppoſito, nec illa poteſt intellectum retrahere ab aſſenſu concluſionis, nec ille non aſſentiri.

Ad ſecundum Reſpōdetur primo: poſſe dari habitū, ad aſſenſum abſolute liberum licet ex ſuppoſitione tantum neceſſarium: pręcipue quia intellectus non eſt potentia adeo naturalis, ſicut nutritiua. Vel ſecundo Reſpondetur, habitum principiorum dari ad aſſentiendum præmiſsis ſecundum ſe, habitum vero ſcientiæ, non ſolum ad aſſenſum concluſionis ſecundum ſe, ſed ad coordinationem propoſitionum, quę eſt forma demonſtrationis, hæc autem

autem coordinatio libera eſt. Vel tertio, habitum ſcientiæ quoad exercitium ſui actus, non debere cenſeri diſtinctum ab habitu principiorum, ſed datur vt circa obiectum ſcientificum, ſimul cum habitu principiorũ ſcientifice & facilius intellectus philoſophetur, actus autem ſeu diſcurſus ſcientificus complete, vt ſcilicet ab vtroq; habitu procedit, liber eſt.

Ad tertium Reſpondetur primo: ante exercitium demonſtrationis, debere cognoſci concluſionem ſub nota dubitationis, vt recte percipiat intellectus quid ſit demonſtrandum, ſub nota autem dubitationis determinata habetur concluſio. Vnde hæc eadem ſine nota dubitationis demonſtratur. Secundo, cum debeat haberi cognitio veritatis conſequentiæ, prius etiam in actu ſignato, & veluti ſub terminis non ſignificatinis, determinatus modus illationis debet apprahendi, ac proinde in praxi, propter has duas rationes illa indifferentia tollitur, quam tamen ſpeculatiue (vt ſic dicã,) & ſecundum ſe tantum, duæ illæ propoſitiones vniuerſales affirmatiuæ dicebantur.

Dices. Vtrum in eodem inſtanti aſſentiatur intellectus præmiſsis, & cõcluſioni. Reſpondetur affirmatiue, in quo tamen ſenſu intelligendum ſit, explicatum eſt. q. præcedenti ad primum argumentum.

(?)

QVAES-

QVÆSTIO. V.

Quid ſit Demonſtratio in communi.

POſtquam de prçcognitis in prçcedentibus diſſeruimus, de ipſa oportet iam demonſtratione diſputemus: cumq; demonſtratio, & Syllogiſmus ſit, & talis ſuppoſita iam in illa, & Syllogiſmi ratione & quaſi genere definitionis ex libro Priorũ, inquirimus modo de differentia, quid ſcilicet requiratur ad rationem talis quidq; illam in ratione Syllogiſmi demonſtratiui vt ſit, cõſtituat. Definitur autem demõſtratio ab Ariſt. 2. cap. huius. 5. lib. Poſt. Primo ſic. *Demonſtratio eſt Syllogiſmus Epiſtemonicus*, ideſt, *faciens ſcire*, quç definitio quaſi per cauſam finalem data eſt, ſed quia hoc clare naturam eius non explicat, neq; quid illam conſtituat in ratione facientis ſcire, ſeu generantis ſcientiam, eam definit. Secundo Ariſt. & communiter Authores ſic. *Demõſtratio eſt Syllogiſmus procedens ex veris, primis, & immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſq; concluſionis*, quibus verbis, in primis fatentur omnes intendiſſe Ariſtotelem explicare naturã demonſtrationis propter quid, quia de demonſtratione quia nõdum agit. Secũdo D. Tho. Lincolnienſis, Venetus, Caietanus, & Magiſter Ciruelo, cõtineri aſſerunt eſſentialem demonſtrationis definitionem, ex cauſa quaſi materiali petitam, ex propoſitionibus ſcilicet, quibus conſtare debet, & ex quibus tanquam ex materia componitur. Aberr. vero & Philopponus, non ita exactam definitionem eſſe exiſtimant, ſed tantum numerari conditiones prçmiſſarũ illius. Sed cõtrouerſia parui momẽti eſt, melius tamen dicetur, eſſe veram definitionem, quia ſic dicit S. Thom. & quia prçmiſſarum cõditiones enumerando, explicatur natura prç miſſarum componentium demonſtrationem, vt talis Syllogiſmus eſt, ac per conſequens definitur demõſtratio per materialem cauſam.

Pro explicatione ergo primç particulç, ſcilicet *ex veris* dico

Dico primo: demōſtratio conſtare debet ex veris. Quā concluſionem ex eo probat Ariſt. quia quod non eſt non ſcitur, (ideſt) de eo quod re vera ita non eſt (ibi enim ly *eſt* non dicit exiſtentiam, ſed veritatem propoſitionis) non poteſt certa & neceſſaria haberi cognitio, qualis eſt cognitio demonſtratiua. Quod explico magis ſic: ex falſo aliquando ſequitur verum, aliquando falſum, ex vero autem, nō niſi verum, ſed concluſio demonſtrationis neceſſario debet eſſe vera (aliter ſcientia poſſet eſſe error) ergo ſemper ſequitur ex veris, quia neceſſaria veritas non poteſt ſequi niſi ex veris, ex falſo autem non ſemper neq; neceſſario, ſed aliquando & contingenter multum.

Dices, licet aliquando tantum id fiat, tunc ſaltim poterit demonſtratio ex falſo procedere. Reſpondetur, negādo ſequelam, primo, quia ita debet procedere vera concluſio in demonſtratione ex pręmiſſis, vt nullo modo poſsit ſequi falſa, alias ex demonſtratione ſequi poſſet, aut generari error. Secundo, quia licet ex falſo, ratione diſpoſitionis præmiſſarum, ſequi poſsit aliquando verum, non tamen poteſt ex præmiſsis falſis verum cauſari in demonſtratione, quia concluſio demonſtrationis nō ſolum requirit bonitatem illationis, ſed ex pręmiſsis quaſi materialiter etiam & ſecundum ſe ſumptis cauſatur. Vnde ex parte formæ petit rectā diſpoſitionem, ex parte vero materiæ veras propoſitiones: immo hoc vltimum eſt peculiaris ratio demonſtrationis, tum, quia in bonitate formæ poſſunt Syllogiſmus Topicus, & aperte falſus cōuenire, tum etiam, quia hi libri de poſteriori analyſi, ſuppoſita forma ſyllogizādi, ex libro priorū, de materia propoſitionū, qualitate ſcilicet, veritate, & neceſsitate earum differit, vt initio horum librorum aperuimus, & ex talibus propoſitionibus veris ſcilicet, & neceſſarijs componunt demonſtrationem.

Sed vt videamus an debeat procedere ex primis & immediatis. Notandum eſt primo: propoſitionē primam & immediatam, idem eſſe, ſecundū rem. Ariſt. enim appellauit propoſitionem immediatam, qua non eſt alia prior, idē autē eſt propoſitio prima: maioris tamen claritatis gratia, voce hic diſtinguuntur: propoſitio enim dicitur prima, quia non habet aliam priorem per quam neceſſario demonſtretur, hoc autem magis expli-

catur per propoſitionem mediatam, quæ dicitur illa, quæ conſtat prædicato & ſubiecto talis naturæ, vt prędicatum ſic immediate cōueniat ſubiecto, vt nō mediet ratio aliqua, per quam tãquam per immediatius prædicatum de ſubiecto demonſtrari queat: V.G. *homo eſt rationalis*, eſt propoſitio immediata, quia inter hominem & rationale, non mediat aliqua alia ratio immediatior, quæque cauſa ſit vt homo ſit rationalis: hęc autem, *homo eſt riſibilis* eſt mediata, quia inter hominem, & riſibilem, vel mediat definitio quæ eſt animal rationale, vel prima & ſecunda paſsio, ſcilicet diſcurſiuum & admiratiuum, per quæ tanquam per cauſas demonſtrari poteſt. Erunt ergo propoſitiones immediatæ in affirmatiuis, primo, omnis illa propoſitio in qua tota definitio, vel aliqua pars definitionis prædicatur de definito. Secũdo, omnis illa in qua prima paſsio prædicatur de definitione ſubiecti, vt *omne animal rationale eſt diſcurſiuum*. Tertio, quãdo vna paſsio prædicatur de altera cui eſt immediata, vt ſecunda de prima, aut tertia de ſecunda, vt *omne diſcurſiuũ eſt admiratiuum*, quia reddi non poteſt cauſa immediata, quare diſcurſiuum ſit admiratiuũ. Quod ſi dicas, reddi poſſe cauſam, ſcilicet ſubiecti definitionem, quia diſcurſiuũ admiratiuum eſt, quia eſt rationale. Reſpõdetur tamen, illam cauſam non eſſe immediatam, ſed radicalẽ, immediatior enim cauſa admiratiui quod eſt paſſio ſecũda, eſt diſcurſiuũ quod eſt paſsio prima, non vero definitio quæ eſt radix.

Sed obijcies: propoſitio immediata ſecundum Ariſt. eſt illa, qua nõ eſt alia prior, ſed omnes iſtę propoſitiones quas immediatas eſſe diximus, habẽt alias priores, vt hãc *quodlibet eſt, vel nõ eſt*. Similiter, *omne admiratiuũ eſt riſibile*, habet priores, *omne diſcurſiuum eſt admiratiuum, & omne diſcurſiuum eſt rationale, & omnis homo eſt rationalis*, ergo nulla propoſitio ex dictis eſt immediata. Reſpõdetur propoſitiones immediatas dici priores, (ideſt) quæ in genere cauſæ immediatæ, non habẽt aliam priorem, per quam demonſtrentur: licet enim habeant alias propoſitiones priores, vel quia conſtẽt terminis vniuerſalioribꝰ, vt illa *quodlibet eſt, vel non eſt*, vel quia ſint cauſæ mediatæ, in genere tamen cauſæ immediatæ non habent alias priores.

De Propoſitionibus autem negatiuis, vt videamꝰ quę ſint immediatæ. Notãdum eſt, tũc propo-

Digitized by Google

propoſitionem negatiuã eſſe veram, quando eius extrema diſtinguuntur: Si ergo diſtinguãtur extrema ratione differentiarum quę illa infime conſtituunt, ſunt immediatæ, vt ſi dicas *rationale non eſt hinibile*. Ratio eſt, quia eſt inter illa primo diuerſitas infima, eſt autẽ prima radix diſtinctionis, infima differentia, ac proinde nõ poteſt per cauſam diſtinctio extremorũ demõſtrari: Si vero diſtinguãtur per alias differẽtias ſuperiores, vt *homo non eſt lapis* non ſunt immediatæ, quia hęc, *homo non eſt lapis*, mediũ habet, ſcilicet *ſenſibile* per quod demonſtrari poſsit.

Secundo notãdum eſt cum Alb. Mag. tract. 2. cap. 6. differentiam inter propoſitionem per ſe notam, & immediatam, & inter propoſitionem per aliud notam & mediatam, eam reperiri quę reperitur inter viſibilia: ſicut enim inter viſibilia, quædam ſunt quæ à natura habent inſitam lucem qua videñtur, vt Sol & alia corpora luminoſa, alia vero indigent (vt videantur) lumine ab alio recepto: ſic inter cognoſcibilia aut viſibilia intellectu, quædã ſunt quæ ex ſe & proprijs terminis ſunt nota, ſine alterius præuia cognitione illa (vt ita dicam) illuminante, & reddente intelligibilia, & iſta dicũtur immediata & per ſe nota: alia ſunt quæ indigent extrinſecis principijs quibus probentur, & à quibus elliciantur, & quodammodo illuminentur, quæ mediata, & per alia nota dicuntur.

Tertio notandum eſt, dari aliquas propoſitiones per ſe notas & immediatas ſecundũ ſe, alias quoad nos tantũ, alias vero quoad nos & ſecundũ ſe. Exemplum primarum eſt propoſitio in qua prima paſsio prædicatur de ſubiecto, inter quæ ſecũdum ſe, nihil mediat, quia ſi eſt prima paſsio erit immediata: licet autẽ ſecundũ ſe nihil mediet, quoad nos tamen poteſt dici quod mediat definitio ſubiecti, quia per intellectum definitionem à ſubiecto diſtinguimus, illamque pro medio ſumimus ad paſſionem primam de ſubiecto demonſtrandam. Exemplum ſecundæ, illius ſcilicet quæ quoad nos tãtum per ſe nota eſt & immediata, ſint propoſitiones illæ, quæ ſenſibus ſunt notiſsimæ, licet in re habeant medium ratione cuius prædicatum conueniat ſubiecto, poſsitq; demonſtrari de illo: qualis eſt hæc propoſitio *nix eſt alba*, inter prædicatũ enim & ſubiectũ, mediat in re proportio primarũ qualitatũ, ad

quam reſultat albedo, & per quam de niue demõſtrari poteſt: quoad nos autem nihil videtur eſſe per ſe notius, aut immediatius, quam hoc, *nix eſt alba*, eſt enim notiſsimum, non tãtum intellectui, ſed ſenſui. Et ita Ariſt. 2. Topicor. ait, *Eum qui negauerit niuem eſſe albam, ſenſu indigere, non medio*. Exemplum tertiæ ſit, *quodlibet eſt vel non eſt, omne totum eſt maius ſua parte*.

Conſurgit ergo ex iſtis iam dubitandi ratio ſic: quia ex vna parte eſt Authoritas Ariſtotelis aſſerentis demonſtrationem debere procedere ex propoſitionibus primis, & immediatis: ex altera autem parte plures videmus demonſtrationes ex propoſitionibus mediatis, & demõſtrabilibus cõpoſitas, vt in illa communi demõſtratione cõſtat, *Omne animal rationale eſt riſibile &c.* Ecce enim riſibile non eſt prima, ac per conſequens neque immediata paſsio, ac rurſus mediat inter illam & ſubiectũ prima, per quam demonſtrari poteſt.

Pro cuius reſolutione, in hac quæſtione Dico ſecundo, non ſemper eſt neceſſarium vt præmiſſæ ſint immediatæ, primæ, & per ſe notę. Conſtat ex ſecũda parte rationis dubitãdi, & id etiã fatetur Ariſt. infra tex. 15. & 26. vbi ait, *non ſemper nobiliori modo cognoſci præmiſſas demonſtrationis, quam concluſionem, quia aliquæ præmiſſæ cognoſcuntur per diſcurſum ſicut ipſæ concluſiones*. Et cõſtat tertio fere in omnibus demõſtrationibus, in quibus ſecunda paſsio demonſtratur de ſubiecto, & pluribus alijs quas omnes Authores veras cẽſent demonſtrationes, & tamen nõ procedũt ex immediatis &c. Addo tamen, vt hoc recte maneat explicatũ, & Philoſophi Authoritas incorrupta, quod licet demonſtratio non procedat neceſſario, ex primis & immediatis &c. actu & formaliter; procedit tamen ex illis mediatè & virtualiter: præmiſſæ enim cuiuſuis demonſtrationis, vel ipſæ primæ ſunt & immediatæ, vel ſaltim pendent à primis & immediatis, per quas ipſæ demõſtrantur, & ad hoc quod habeatur omnino firmus & certus aſſenſus, debent in hæc principia aliquo modo reſolui & reduci. Exẽplo id intelligetis, in hac propoſitione, *omne animal rationale eſt riſibile*, quæ eſt maior pręmiſſa ſupradictæ demonſtrationis, poteſt reſolui vſque ad omnino primũ principiũ ſcilicet *quodlibet eſt, vel non eſt*, ſic, quodlibet eſt vel non eſt, ſed animali rationali, aut

Digitized by Google

aut homini non poteſt conuenire, non eſſe, quia non eſt nihil, ergo eſt: ergo habet eſſentiam, ergo propriã illius, quæ illum ab alijs diſtinguat, ergo hãc, *animal rationale*, quia hęc id recte facit. Ab hac eſſentia rationalis, promanant paſsiones quæ ſunt illi homini propriæ cũ ſuo ordine, quod vna ſit prior, alia poſterior; nulla eſt prior dicurſiuo, quia fere accedit ad rationale, ex hac ſequitur admiratiuum, quia ex hoc quod diſcurrendo intelligat id quòd non nouit, admiratur: ex admiratiuo autẽ ſequitur riſibile: ſi ergo homo eſt rationalis, & diſcurſiuus, & admiratiuus, erit riſibilis. Per quod patet ad Ariſt. quam ſolutionẽ traddidit ipſe primo Topicorum capite. 1. dũ ait, *demonſtrationem eſſe Sylogiſmum, qui conſtat ex veris, primis, aut ex illis quæ ex primis fidem ſumpſerunt*, & ſic intelligendus eſt. Ariſt. Vel ſecundo loquitur de perfectiſsima demonſtratione propter quid, qualis eſt primæ paſsionis de ſubiecto per eius definitionẽ, vt cum de homine demonſtramus eſſe diſcurſiuum, quia eſt rationalis, in illo enim genere omnino prima & immediata propoſitio eſt, qua prima paſſio per eſſentiam ſubiecti demonſtratur, quia nihil poteſt eſſe eſſentia prius in ratione cauſæ, neq; prius in ratione effectus, quam prima paſsio.

DE ILLA PARTICVLA, CAVſiſq; Concluſionis.

EXplicemus iã prioribus, & notioribus, cauſiſq; cõcluſionis, incipiendo ab iſta tertia particula: cuius explicatio facilem reddet ingreſſum ad aliarum explicationẽ, quã etiam Ariſtot. ante alias probat, explicatq;. Sed in hac etiam eſt dubitandi ratio: ex alia enim parte, Ariſt. ſtat authoritas, aſſerentis ſcire eſt rẽ per cauſam cognoſcere, & quod demonſtratio procedere debeat ex cauſis. Ex alia autem ſtat ratio id falſum eſſe cõtendens. Primo, quia multa ſcimus de Deo per demõſtrationem Theologam, demonſtramus enim æternitatẽ eius per eius immutabilitatẽ, & tamen demõſtrationes iſtę ex cauſis nõ procedũt, quia in Deo nihil eſt alterius cauſa. Secundo, demonſtratio *quia* eſt vere demonſtratio vt poſtea dicam, at non procedit ex cauſis ſed ex effectibus, ergo, &c.

Digitized by Google

Pro cuius explicatione, ſuppoſito prius hic nos nō loqui de cauſalitate præmiſſarū, de qua ſupra, ſed tantum de præmiſsis obiectiuis, an ſcilicet ea quæ cognoſcuntur in pręmiſsis, ſint vera cauſa illius quod ellicitur in concluſione Notandum eſt. Duplicem eſſe cauſam, in eſſendo vnam, in cognoſcendo aliam: in eſſendo eſt illa quæ eſt cauſa vt aliquid ſit vel exiſtat: in cognoſcendo vero, quæ eſt ratio vt aliquid cognoſcatur, ſiue fuerit per illā productū, ſiue non: qua ratione effectus ſolet eſſe cauſa in cognoſcendo ſuæ cauſæ in eſſendo, quia ſępe per effectus in cognitionem cauſę deuenimus. Rurſus, cauſa in eſſendo duplex eſt: alia in eſſendo ſecundum rem, quæ vere producit realem effectum à ſe diſtinctum realiter, qua ratione vnus homo aliū cauſat, & vnus ignis alium producit: alia vero eſt cauſa ſecundum rationem, ſeu ad noſtrū modum intelligendi, ita quod ſic ſe habeat illa formalitas quam concipio vt cauſa ad aliam, quod ſi vere hæc ab aliqua cauſaretur, vtiq; cauſaretur ab illa.

Dico ergo tertio in hac quęſtione. Sufficit ad rationē demonſtrationis vt ſic, quod procedat ex cauſis aliquomodo ex dictis. Itaq;, licet requiratur quod procedat ex cauſis in cognoſcendo, quia illud quod cognoſcitur per pręmiſſas, eſt ratio propter quam aſſentimur concluſioni, non requiritur quod ſint in eſſendo: demonſtratio enim quia & à poſteriori, vera demonſtratio eſt, quę tamen non procedit à cauſis in eſſendo ad effectus, ſed potius è cōtra. Verum eſt in demonſtratione propter quid, id requiri, quod ſcilicet ſint cauſæ in eſſendo (eſt enim demonſtratio perfectiſsima, ac proinde perfectiſsimo modo debet procedere, qui eſt rem per cauſam cognoſcere, de quo in ſequenti diſputatione,) cauſæ (inquam) in eſſendo, vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem; hæc enim ſufficit: quieſcit enim intellectus, & perfecte cognoſcit cognita radice, aut quaſi radice formaliter diſtincta per illū, ac ſi verā cauſam realiter diſtinctam cognouiſſet, & tales ſunt demonſtrationes quas habemus in Theologia de diuinis attributis. Per quod omnia manent ſoluta.

Sed in explicatione aliarū particularum *Prioribus* ſcilicet, *& notionibus* oritur etiam Dubitandi ratio, quare Ariſt. poſtquam dixit demonſtrationem ex primis debere procedere,

dere, rurſus dicat debere etiã procedere ex *prioribus*. Prima enim priora ſunt, & ea quæ priora, prima quidem.

DE ILLA PARTICVLA *Prioribus*.

DIco tamen quarto. Demõſtrationis præmiſſas ſemper actu eſſe priores concluſione, non tempore ſed natura. Patet, quia omne illud quod eſt alterius cauſa, eſt prius natura illo, ſaltim in illo genere in quo eſt cauſa, at prę miſſæ non tantum formaliter, ſed obiectiue ſunt cauſa concluſionis, ergo ſunt priores illa, ſaltim natura, & ſaltim prioritate cauſæ in cognoſcendo. Addo, naturæ prioritatẽ, prioritatem dici dependentiæ, at demonſtrationis concluſio à demonſtrationis depẽdet prę miſsis, præmiſſæ igitur concluſione priores erunt. Dixi *actu* quia ſemper actu ſunt cauſæ: Vnde ſemper ſunt actu & formaliter priores, ad differentiã illius particulæ *primis*: debent enim præmiſſæ eſſe primæ, nõ ſemper actu & formaliter, ſed ſufficit mediate & virtualiter, modo à nobis ſupra explicato. Per quod ſoluitur dubitandi ratio.

DE ILLA PARTICVLA *Notioribus*.

DIco quinto. Præmiſſas debere eſſe Notiores concluſione, quia ſi a cauſa procedatur ad effectum, cauſa notior eſt illo natura, & ſecundum ſe: immo etiã quoad nos, loquendo de hominibus ſapiẽtibus, qui rerum cauſas, & calent, & caluerunt: ſi vero ab effectu procedatur ad cauſam, proceditur à notioribus nobis; effectus enim vt pote magis ſenſibiles nobis ſenſibilibus innoteſcũt magis, ac per conſequens ſemper demõſtratio ex notioribus procedit, vel ſecundum ſe, vel quoad nos. Addo, concluſionem non eſſe nobis notam ex vi demonſtrationis formaliter, niſi propter præmiſſas, prẹmiſſę ergo vt ſic ſunt notiores.

Ex quo fit, præmiſſarum aſſenſum per ſe loquẽdo ſemper

eſſe aſſenſu cõcluſionis firmiorem & perfectiorem, ſicut ratio cauſæ vt ſic, perfectior eſt ratione effectus. Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens intellectus poſſet firmius & intenſius concluſioni aſſentiri, quam principijs, ſi magis aduertat illam. Probat autem Ariſt. quia propter quod vnũ quodq; tale, & illud magis, ſed cõcluſioni aſſentitur propter præmiſſas, ergo magis aſſentimur præmiſsis.

Sed cõtra hoc Axioma Philoſophi, eſt argumẽtum: quia in omni genere cauſæ videtur falſum. Primo, in genere cauſę formalis non ſequitur, homo eſt albus propter albedinem, ergo albedo eſt magis alba. Secundo, in genere cauſæ materialis nõ valet, homo eſt corruptibilis propter materiam, ergo materia eſt magis corruptibilis. Tertio, in genere cauſæ finalis, homo ambulat propter ſanitatem, ergo ſanitas magis ambulat. Quarto, neq; in genere cauſę efficientis, homo eſt calidus propter Solem, ergo Sol eſt magis calidus, falſa igitur eſt illa propoſitio.

Pro ſolutione aduertit Caietan. & alij, quatuor conditiones requiri vt illud Axioma teneat in omni genere cauſæ. Prima eſt, vt id in quo fit comparatio, denominatiue & formaliter conueniat vtriq; extremo. Secunda, vt id in quo fit comparatio ſuſcipiat magis & minus. Tertia, vt extrema diſtinguantur realiter. Et vltima, vt id in quo fit comparatio tantum conueniat effectui, quia cõuenit cauſæ. Quo ſuppoſito dicit Caietanus, illã maximam eſſe veram in genere cauſæ formalis, vt bene ſequitur, compoſitum eſt actus propter formam, ergo forma eſt magis actus: & in genere cauſę materialis, compoſitum eſt in potentia propter materiam, ergo materia eſt magis in potentia: in genere cauſæ finalis, vt amo ſeruum propter amicum, ergo magis diligo amicum: deniq; in genere cauſæ efficientis, lignum eſt calidum propter ignem, ergo ignis eſt magis calidus.

Quia tamen hæc expoſitio cum his limitationibus etiam aliquando deficit, quia ſi calidum vt quatuor, producat aliud calidum vt quatuor, ſeruantur dictæ conditiones, & tamen non valet, calidum productum eſt propter primum calidum, ergo eſt magis calidum, cum habeãt æquales gradus caloris. Quod autem dictæ conditiones ſeruentur: patet,

Digitized by Google

tet, quia denominatio calidi conuenit vtriq;extremo, id in quo fit cōparatio ſuſcipit magis aut minus, ſcilicet calor, extrema etiam realiter diſtinguuntur, ergo.

Ideo, vt illa maxima vniuerſaliter ſit vera, preter tres conditiones priores poſitas à Caietano, inſuper illa particula *magis*, non debet ſumi pro eo quod eſt intenſius, vel excedens, ſed ſolum debet ſignificare à fortiori, vel perfectius, vt ſenſus ſit, quoties aliqua cauſa tribuit aliquid alicui effectui, à fortiori debet habere illud in ſe & perfectius, cum conueniat cauſæ per prius & indepēdēter, effectui vero dependenter & poſterius: & cū hac explicatione bene valet calidum vt quatuor, eſt propter aliud calidum vt quatuor, ergo illud aliud eſt magis calidum, ideſt perfectius, ſeu independenter ab affectu, & à fortiori.

Vnde Reſpondetur ad argumentum, quod ſi non ſequitur, homo eſt albus propter albedinem, ergo albedo eſt magis alba, hoc eſt, quia hæc denominatio albi non conuenit vtriq;extremo, ſcilicet homini & albedini: & defectu huius, etiam non ſequitur ſecunda, nec tertia inſtantia, immo nec quarta, quia eſſe calidum non conuenit Soli & homini.

Dices ſecundo. Cauſa naturalis non impedita producit effectum ſibi æqualem, quia agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ: ſic ſe habet principiorum aſſenſus, reſpectu conclusionis vt dictum eſt, producet ergo effectum ſibi æqualē in certitudine & claritate.

Reſpondetur, maiorem intelligendam eſſe de cauſa vniuoca, & eiuſdem rationis cū effectu, non vero de cauſa ęquiuoca: vt patet in Sole & homine reſpectu alterius hominis producti. Aſſenſus ergo principiorum, eſt cauſa ęquiuoca reſpectu concluſionis, quia ille producitur ab habitu qui dicitur intellectus, hic autem concluſionis aſſenſus ab habitu ſcientiæ.

Dices tertio. Vnico actu aſſentimur præmiſsis & cōcluſioni aliquando, vt dictum eſt ſupra: tunc ergo vnus & idem actus erit clarior, & obſcurior, clarior quidē in quantū verſatur circa præmiſſas, obſcurior autē in quātū circa cōcluſionē. Reſp. ꝙ ſi conſideretur actus ex parte actus tantū & ſecundū ſe, tūc in illo nō eſt vt ſic magis nec minus, neq; cauſa & effectus: ſi vero ex parte obiecti, & vt in illo obiecto totali ꝙ habet rationē vnius, eſt

eſt aliud habens rationē cauſæ, aliud effectus, tunc in illo obiecto omnia iſta bene repe riuntur, licet vt hoc amplius explicetur, ex illo clariori & minus clariori aut firmiori, (cum conſiderentur per modum vnius) reſultet vna ratio obiectiua totalis, cui correſpōdet vnicus actus, quæ ratio totalis, & vt vna non poteſt di ci clarior, aut obſcurior, quia vt vna non dicit aliud, reſpectu cuius comparetur, & habet vt vna ſuo modo indiuiſſibilitatem.

QVÆSTIO. VI.

Vtrum præmiſſæ Demonſtrationis debeant eſſe de omni per ſe, & Vniuerſali.

LIcet in dictis, implicite omnes rectę demonſtrationis conditiones traditæ ſint, explicatius tamen intelli gētur, ſi id quod inquirit quæ ſtionis titulus explicetur, & in primis quid ſit *dici de omni.*

Notandum eſt primo *dici de omni*, duplex diſtingui ab authoribus: Prioriſticum vnum, Poſterioriſticum aliud. *Dici de omni* Prioriſticum eſt, quando prædicatum dicitur de ſubiecto, & de omni ſub illo contento, ſiue vere ſiue falſo, dum modo ſubiectum ſit ſigno vniuerſali affectum, *Dici vero de omni* Poſterioriſticum eſt, quā do prædicatum de omni contento ſub ſubiecto, ſeu de ſubiecto ipſo, etiam ſi nihil aliud ſub ſe cōtineat, vere & neceſſario enunciatur, modo ſubiectum ſigno vniuerſali affectum ſit, modo non, vt homo eſt rationalis, immo Petrus eſt homo eſt propoſitio *de omni* poſterioriſtica. Huius diſcriminis ratio eſt, quia in libris Priorum ſolum attenditur ad formam Syllogicandi, ſiue propoſitiones falſæ ſint, ſiue non: conſtat enim in falſis propoſitionibus, optimā Syllogizandi formā reperiri poſſe, in Poſterioribus autē, pręci pue attenditur ad materiam, & ad veritatem & neceſſitatem propoſitionum, de quo aliquid tetigi initio huius libri. Ex quo ſequitur, non eſſe idē propoſitionē *de omni* poſterio riſticam

riſticā præcipue formaliter & vt ſic, & propoſitio vniuerſalis, vt patet ex dictis: & etiam quia *dici de omni* vt ſic, ſe tenet ex parte prædicati, vniuerſalitas autem ſemper ex parte ſubiecti.

Notandū Secūdo eſt, quod in hoc *dici de omni* poſterioriſtico, includitur etiam quod dicatur, non tantum de omni contento, ſed omni tempore: ſed tamen hoc non eodem modo reperitur ſemper in omnibus, ſed diuerſo, vt iam explico. Dici de omni poſterioriſticum eſt triplex: aliud perfectiſsimum, habens omnimodam temporis vniuerſalitatē, quod ſcilicet omni tempore dicitur vt homo eſt animal rationale: aliud quod appellari ſolet medium, habens vniuerſalitatem temporis, ſuis temporibus indefectibilem, vt Luna eclypſatur ſtatutis anni tēporibus: aliud vero imperfectius habens vniuerſalitatem temporis contingenter, & vt plurimū, vt in hyeme ſunt pluuiæ, iſtę autem propoſitiones *de omni* neceſſariæ ſunt, quæ neceſsitas etiam ſecundū iſtā diuiſionem, diuidi poterit.

Dico ergo primo in hac quęſtione. Pręmiſſæ demōſtrationis debent eſſe *de omni* & neceſſariæ, quouis modo etiam imperfecto, ex tribus enumeratis. Quod debeant eſſe neceſſariæ probatur ex Ariſtot. id aſſerente, & probante primo Poſt. cap 4. text. 28. & 44. quia ſcientia (inquit) eſt de his quę ſemper ſunt, & quæ aliter ſe habere nō poſſunt (aliàs poſſet eſſe error,) ergo & præmiſſæ etiā ex quibus generantur, quia ſi præmiſſæ eſſent contingentes, nō eſſet vnde cognoſceretur, aut ſumeretur neceſsitas conſequentiæ: ex contingēti enim licet aliquando neceſſarium ſequi poſsit, poteſt tamē etiam ſequi contingens, ſcientia autem eſt de his quę aliter eſſe non poſſunt, ergo. Quod autē ſufficiat quilibet modus neceſſarius, aut dici de omni ex enumeratis, probo ex communi modo loquendi Philoſophorum, qui alias vocāt Metaphyſicas demōſtrationes, quæ ſcilicet præmiſsis conſtāt omnino & omni tempore neceſſarijs: alias Phyſicas, quæ conſtant propoſitionibus ſecundū naturę curſum indefectibilibus: alias deniq; morales, quę conſtāt propoſitionibus vt in plurimū non deficiētibus. Pro cuius ampliori explicatione aduertendum eſt, quod licet, ſi ad id quod propoſitiones explicitè & expreſsè affirmant attendendo, hęc diuerſitas reperiatur, nihilominus ſi aduer-

tamus

Digitized by Google

tamus conditiones quaſdam implicitas quas includũt, ſine quibus demõſtrationis nomẽ non merentur, omnes illę omnino neceſſarię ſunt, quia propoſitiones ſecundi & tertij generis (de primis enim non eſt dubiũ) afferunt tacitã cõditionẽ, ſcilicet quod ita ſit: ſecundi quidẽ generis propoſitiones niſi aliunde à cauſa ſuper naturali impediatur. Tertij autẽ ſi non accedat aliquod impedimentũ ex parte alicuius alterius cauſæ naturalis, aut ſuper naturalis, qua poſita modificatione, etiã ſi oppoſitum accidat nõ erunt falſæ. Ex quo ſequitur etiam debere eſſe, *de omni* demonſtrationis pręmiſſas: ſi enim ſubiectũ, & prædicatũ neceſſariã connexionem debẽt habere, vbicumq; ſubiectũ reperitur, debet reperiri prædicatum, vnde conueniet omnibus ſub ſubiecto contentis, aliàs ſi poſſet ſine illo reperiri, poſſet eſſe propoſitio falſa, ac proinde non eſſet neceſſaria.

Sed vt explicetur, ly, *per ſe.* Primo Notãdum eſt, quatuor enumerari ab Ariſt. modi per ſe. Primus eſt, quãdo prædicatum eſt de ratione ſubiecti, vt homo eſt animal, ad quẽ modum pertinent omnes propoſitiones, in quibus pars definitionis, vel tota definitio eſſentialis, de definito prædicatur: pertinent etiam propoſitiones illæ, in quibus vna definitio prædicatur de alia, vt animal rationale eſt conſtãs corpore & anima: & denique omnia prædicata eſſentialia in rigore, non vero dimanantia ab eſſentia. Secundus modus eſt, quando ſubiectum eſt in obliquo de definitione prædicati, (ideſt) quando de eſſentia prædicati, eſt ordo ad ſubiectum & definitur per ordinem ad illud, ad quem modum pertinent propoſitiones in quibus propriæ paſsiones prædicantur de ſubiectis, à quibus dimmanant, & illæ etiam in quibus tertia paſsio prædicatur de ſecunda, & ſecunda de prima, vt diſcurſiuum eſt admiratiuum, admiratiuum eſt riſibile, ſecunda enim paſsio non fluit à ſubiecto niſi mediante prima, & tertia mediante ſecunda: non vero illæ in quibus ſubiectum eſt in recto de definitione prædicati, aliàs hæc propoſitio eſſet de ſecundo modo dicendi per ſe, animal eſt homo, quæ tamen eſt indirecta, ac proinde à modis per ſe communiter reijcitur ab Authoribus. Tertius modus eſt, quando res ſolita-

ſolitarie,& ſine alterius ſumitur conſortio, qua ratione dicitur animal per ſe ſumptum, genus eſſe (id eſt) abſtrahendo ab homine, equo,& alijs. Quartus denique modus eſt, quando aliquid eſt per ſe cauſa alicuius effectus, ad quem modũ non eſt neceſſarium, quod effectus per ſe ſequatur ex cauſa, ſed quod cauſa ſit ordinata natura ſua ad producendum talem effectum. Vnde propoſitiones iſtę, Architectus ædificat, medicus curat, pertinẽt ad hunc quartum modum dicendi per ſe: non autẽ hæc, fodiens terram inuenit theſaurũ, quia terræ foſio non ordinatur natura ſua ad inuẽtionem theſauri. In quibus quatuor modis aduertendum eſt ex D. Thom. quod ly *per* in primo modo dicendi per ſe, dicit cauſalitatẽ formalem, quia forma eſt potiſsima pars eſſentiæ, quæ præcipue per definitionem explicatur: & in hoc primo modo, prædicatur definitio vel pars eius; in ſecundo modo dicit præcipue cauſalitatem materialem, quia ſubiectum habet rationẽ materiæ reſpectu propriarum paſsionum, quarum prædicatio proprie pertinet ad ſecundum modum iſtum; in tertio autem cum res ſolitarie ſumatur, nõ proprie dicit cauſalitatem, quia cauſalitas reſpectu alterius debet attendi. In quarto denique licet poſsit dicere omne genus cauſæ, præcipuè tamen dicit cauſalitatẽ efficientis.

Dico ergo, perfectam demõſtrationem debere conſtare ex propoſitionibus dicendi per ſe, ita Ariſt. hic tex. 44. & 52. cõſtat aperte in omnibus perfectis demonſtrationibus, in quibus propoſitiones ſunt pręcipue in primo,& ſecundo modo dicendi per ſe. Dixi in perfecta demõſtratione, quia poſſunt eſſe imperfectæ demonſtrationes, propoſitionibus cõſtantes neceſſarijs, ſed indirectis, vt conſtat in modis indirecte concludentibus.

Ex quo ſequitur primo. Non omnem propoſitionem, neceſſariam eſſe per ſe, vt patet in indirectis, neque omnẽ per ſe eſſe neceſſariam, hæc enim Architectus ædificat per ſe eſt in quarto modo, non tamen neceſſaria.

Sequitur ſecundo. Aliquas etiam propoſitiones ſecũdum diuerſas rationes, ad diuerſos modos eſſendi per ſe pertinere: hæc enim prædicatio animal rationale eſt riſibile, pertinet

vnde etiam ſequitur, quod licet dicantur ſecundum vltimam & propriam rationem, non tamen propriè (ideſt) licet dicantur ſecundum vltimam differentiam, non tamē hoc eſt proprium & peculiare tantum illi, quia omnia tranſcendunt. Demonſtratio ergo perfectiſsima, qualis eſt illa in qua prima paſsio demonſtratur de ſubiecto per ſubiecti definitionem, cōſtat aliquibus propoſitionibus *de vniuerſali*, non tamen omnibus, quæ quidem conditio tantum propriè conuenit demōſtrationibus conſtātibus propoſitionibus, inquibus paſſiones prędicātur de ſubiecto.

DISPVTATIO. XVII.

De diuiſione Demonſtrationis in Quia, & propter Quid.

DEmonſtrationis in cōmuni (quæ eſt diuiſſum) in ſuperioribus explicata natura, accedamus oportet ad explicationem mēbrorum diuidentium ſcilicet, *quia*, & *propter quid*, ex quibus non potuit, non in præcedentibus aliquid ad eorum notitiā expectans tradi. Quo ſuppoſito facilis erit acceſſus ad reliqua quæ in hac diſputatione explicanda ſunt.

(?)

QVÆSTIO. I.

Vtrum recte diuidatur Demonſtratio in hac duo membra.

NON poteſt harum duarum demõſtrationum inferiorum explicari quid nominis, quin ſimul etiam earum quidditas & natura, ſeu quid rei aperiatur, & explicetur. Demonſtratio enim *propter quid*, ideo ſic appellatur, quia eſt Syllogiſmus probans concluſionem per cauſam: vnde oſtendit propter quid res ſit, diciturq; demonſtratio à priori; quia per cauſã procedit, quę effectu prior eſt. Demonſtratio vero *quia* ſeu à poſteriori, eſt demõſtratio certo rem probans eſſe, ſeu quia eſt, ſeu quod eſt (omnia enim hæc idem ſignificant) ab effectu vel à ſigno. Vnde demonſtratio *quia* ſic dicitur, quia oſtendit rem eſſe, ſeu quia res eſt, non vero cauſam propter quam ſit. In his autẽ duabus demõſtrationibus Obſeruandum eſt, quod ſicut vt neceſſario probetur effectus per aliquam cauſam, debet ſumi pro medio vera & adæquata cauſa: ſic etiam, vt euidenter probetur in demonſtratione *quia* cauſa per aliquem effectum, ille effectus debet eſſe verus & adæquatus, ita quod ab alia cauſa prouenire non poſsit: ſi enim quis ex agitatione pulſus febrim eſſe probaret, illa cognitio non eſſet euidens nec demonſtratiua, quia pulſus agitatio non ſemper & neceſſario ex febri naſcitur, ſed aliquando ex curſu vel motu veloci. Ex quo intelligi poteſt maxima illa Ariſt. in hoc 1. libro Poſt. tradita, *ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis*, quæ de cauſa adæquata reſpectu proprij effectus intelligi debet, vt ſi rationale eſt propria cauſa, & adæquata riſibilitatis, non rationale, cauſa erit non riſibilitatis, eo modo quo id in negationibus reperiri poteſt.

Hoc ergo ſuppoſito diuiſio hæc ex multis impugnatur capitibus. Primo enim a recta videtur

detur diuiſione deficere, ex eo quod omnia membra diuidentia non enumeret; præter hæc enim duo membra, poteſt dari etiam demonſtratio, quam appellāt quidditatis, in qua quidditas & eſſentia rei, de re ipſa demōſtrari poteſt, & non per effectum. Hæc autem non eſt demōſtratio *quia* vt patet, neq; demonſtratio *propter quid*: tum, quia illa appellatur demonſtratio qualitatis, quia per illam qualitas ſeu paſsio, ſeu effectus, per eſſentiam & quidditatem rei, quæ illius eſt, cauſa demōſtratur: Tum etiam, quia demonſtratio *propter quid*, eſt demōſtratio per cauſam, & à priori, quidditatis autem rei nec datur cauſa, neq; aliquid prius. Quod autem demonſtratio quidditatis dari poſsit, probatur: quia hæc eſt recta demonſtratio. Omne creatū ad beatitudinem, neceſſario eſt rationale, ſed homo creatus eſt ad beatitudinem, ergo homo eſt rationalis.

Secundo, Ariſt. cap. 10. huius libri, demonſtrationē quæ procedit à cauſa remota, negat eſſe demonſtrationem, *propter quid*, & tamen non eſt demonſtratio *quia*, datur ergo neceſſario alia ſpecies demonſtrationis: minor probatur, quia demonſtratio quæ procedit per cauſam, non eſt demonſtratio *quia*, ſed demōſtratio quæ procedit per cauſam remotam, procedit per cauſam, ergo non eſt demonſtratio *quia*. Vidimus enim ſupra demonſtrationem per cauſam, non ſemper debere procedere ex immediatis, Demonſtratio enim in qua ſecunda aut tertia paſsio demonſtratur de ſubiecto per definitionem eſſentialem illius, vera eſt demonſtratio per cauſam, & tamen non eſt per cauſam immediatā, quia mediat paſsio prima. Ex hoc ergo capite, quod ſcilicet hæc diuiſſio ſit deficiens, illam improbant Aberroes primo Phyſic. cap. 1. & Valduinus Quæſito de medio demonſtrationis cap. 5. & Quæſito de regreſſu demonſtrationis cap. 2.

Ex alio vero capite, ſcilicet quod alterum ex membris diuidentibus non participet naturam diuiſi, contendentes demonſtrationem quia, non eſſe vere, & proprie demonſtrationem: hanc eſſe rectam diuiſionem negant Abizena, quem refert Aberroes, Philopponus etiam, Nimphus, Themiſt. & Alex. Probari poteſt primo ex Ariſtot. 2. cap.

Tt huius

quid pro alia ab alijs citari ſoleant. Probatur primo, quia demonſtratio eſt argumentũ neceſſarium ex parte materiæ, & ex parte propoſitionum quæ neceſſariæ ſunt (vt in præſenti loquimur,) ſed hoc argumentum, aut hæc neceſſaria connexio, ſolum duobus modis fieri poteſt, vel ratione connexionis effectus ad cauſam, vel cauſæ ad effectum, quia cum demonſtratio ſit cognitio per diſcurſum, colligens vnum ex alio euidenter & neceſſario, & vnum ex alio neceſſario, ſolum vt cauſa adæquata, aut adæquatus effectus conſequatur, ſolum poterit demonſtratio vel per cauſam vel per effectum procedere. Explico & probo ſecundo, quia reliqua (ſi quæ ſunt media demonſtrandi,) neceſſario reducuntur ad hæc, (vt conſtabit ex ſolutione argumentorum; & nunc etiam oſtendo,) quia demonſtratio quæ ſolet duci ad impoſsibile, per quam probatur vnum eſſe alterum, aut non eſſe, deducendo ad impoſsibile, ſemper procedit per viam cauſæ ad effectus, vt conſtat in hac, ſi homo non eſſet riſibilis, non eſſet rationalis, ſed conſequens eſt impoſsibile, ergo & antecedens. Vbi conſtat vim huius argumentationis, reduci ad connexionem, quam inter ſe habent rationale & riſibile, quæ connexio cauſæ & effectus eſt. Demonſtratio item à ſigno, vt quando probamus Lunam eclypſari, quia videmus lumen amittere, hæc inquam ab effectu procedit, quia ſignum nobis notum per experientiam, ſemper eſt effectus.

Tandem probatur. Tertio, quia demonſtratio *propter quid*, eſt à priori. Demonſtratio vero *quia* à poſteriori, ſed id quod habet rationem prioris (non quidem diſparatè; (de hoc enim non loquimur neq; ad rem poſterioriſticam facit) & ex parte materiæ, naturæ, & obiecti prius eſt, ratioq; quare aliud ſit, ſemper eſt cauſa poſterioris; & è contra poſterius ſemper habet rationem effectus, ergo à priori, aut à poſteriori demonſtrare, eſt per effectum & cauſam, ſed nulla poteſt eſſe demonſtratio, quæ vel à priori vel à poſteriori non ſit, oſten- [illegible] Tt 2 [illegible] ditur

ditur enim vnum per aliud cum connexione, & influxu, (hoc enim eſt non diſparate) ergo tota ratio demonſtrandi his duabus demonſtrationibus comprehenditur, quod enim connectitur vt influens, & vt ratio eſſendi alteri, eſt prius, & habet rationem cauſę, id vero in quod (vt ſic dicam) influitur, quod ve cauſatur, habet rationem effectus. Neq; dicas poſſe demõſtrari per ęquale, quod neq; prius neq; poſterius ſit. Contra hoc enim eſt, quod licet prædicata conuertibilia ratione conuerſionis mutuæ, æqualia dici poſsint, vt rationale & riſibile, ſemper tamen inter hæc reperitur cõnexio cauſæ, aut effectus, vt cõſtat in prædicto exemplo, & in quouis alio quod adduci poſsit, ſi vere talia ſint, vt vnũ per aliud demonſtrari poſsit. Dixi vnũ per aliud, quia duæ propoſitiones in quibus eadẽ omnino formalis veritas, ſolum diuerſis vocibus ſignificatur, non propriè vna per aliã demonſtrari poteſt; quia demonſtratio eſt diſcurſus vnius veritatis ad aliam demonſtrãdam. Hinc, hic diſcurſus, omne compoſitum ex anima rationali & corpore, eſt animal rationale; ſed homo eſt compoſitus ex anima ſpirituali & corpore, ergo homo eſt animal rationale. Hic (inquam) diſcurſus non eſt vera & propria demonſtratio, quia non oſtenditur vna veritas per aliam: animal enim rationale, & compoſitum ex anima ſpirituali & corpore, eadem eſt definitio hominis, diuerſis vocibus explicata, quę quidem propoſitiones poſſent dici æquales, & in hoc ſenſu licet quaſi identice poſsit formari demonſtratio, illa tamen non eſſet vera & propria propter rationem dictam.

Ad argumenta ergo in oppoſitum, Reſpondetur ad primũ, de demõſtratione quidditatis dicẽdum eſt primo. Prędictam demonſtrationẽ ſemper eſſe hanc quam nunc appellauimus identicam; quia quidditatis rei nec formaliter, nec realiter poteſt dari propria cauſa; hæc autem identia demonſtratio, impropria demonſtratio eſt. Reſpondetur ſecundo, quod cum cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, etiam ſibi inuicem habent rationẽ effectus. Vnde quod eſt prius in vno genere cauſæ, eſt poſterius in alio, & ideo in illo genere in quo eſt poſterius, poteſt demonſtrari per genus cau-

ſæ

Digitized by Google

cauſæ quod in illo genere eſt prius, eritq; tunc demonſtratio à priori & *propter quid*. Demonſtratio ergo in argumento adducta, demonſtrat per cauſam finalem quidditatem hominis, quæ licet in genere cauſæ formalis ſit omnino prima, in genere tamen cauſæ finalis, illa ratio aut definitio, animal rationale eſt poſterior illa, quæ pro medio aſſumitur, népe creatum eſſe ad beatitudinem.

Ad ſecundum argumentũ. Relictis multis quæ circa mẽtem Ariſtotelis quid intelligat per cauſam remotã dici poſſent, breuiter Notandum eſt: cauſam remotam non ſumi ab illo pro cauſa non immediata, vt ſumebat ratio dubitandi, ſed ea dicitur ab Ariſtot. cauſa remota, quæ reſpectu effectus ſe habet vt quid ſuperius, quę quamuis ſit neceſſaria ad effectum, non tamen eſt ſufficiens neq; adæquata, ac proinde cum effectu non conuertitur: verbi gratia, eſſe animal, eſt cauſa reſpirandi, quia illud requiritur vt fiat reſpiratio, ſed non ſufficit, requiritur enim vltra habere pulmonem, & calidum ſanguinem, quare non valet, eſt animal, ergo reſpirat: piſces enim animalia ſunt, & non habent reſpirationem. Vnde neque etiam valet è conuerſo, non eſt reſpirans, ergo non eſt animal. Demonſtratio ergo quæ ab hac remota cauſa procedit, vera etiam eſt demonſtratio. Aduertendum tamen, quod pręcipue fit in ſecunda figura, debet enim cauſa aſſumi pro medio, & poni à parte prædicati ſic: Omne reſpirans eſt animal (*in Dabitis*) aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo reſpirat, quod non fieret, ſi animal quod eſt medium, poneretur à parte ſubiecti, eſſet enim falſa prima propoſitio vniuerſalis affirmatiua, omne animal eſt reſpirans. Ariſtot. autem hanc demonſtrationem reduxit ad demonſtrationem, *quia*, quia cum hæc cauſa remota deficiat à ratione adęquatæ, & proprię cauſæ, ad demonſtrationem quæ eſt imperfectior, qualis eſt demonſtratio, *quia*, erat reducenda: vel quoniam hæc cauſa inadæquata ab aliquibus non propriè dicitur cauſa, ſed conditio ſine qua non, quia eſſe animal non eſt cauſa, quare aliquid reſpiret, cum reperiatur in piſcibus ſine reſpiratione, eſt tamẽ in reſpirãtibus requi

Digitized by Google

ſita conditio, quia nihil poteſt eſſe reſpirans ſine animalitate.

Ad argumentum ſecundæ ſententię Reſpondetur, plures eſſe effectus omnino neceſſarios, ad quos inueſtigandos & cognoſcendos licet experientia excitauerit intellectum, illius tamen vis & cognitio cõnexionem neceſſariam inuenit ex alijs intellectualibus principijs, vt cõſtat in paſsionibus entis & hominis, pluribuſq; alijs in quibus facile exẽplificare quis poterit. Adde, inductionem, ſi omnes illius requiſitæ ſeruentur conditiones argumentum eſſe neceſſarium, & conuincens: Ariſt. autem duplex ſcire conſtituit, cap. 10. & duplicem demonſtrationẽ, *quia*, & *propter quid*, idq; iure, quia demonſtratio, *quia*, eſt Syllogiſmus non Sophiſticus, vt patet, neq; Topicus, cum non procedat ſolum ex probabilibus, ſed ex certis & neceſſarijs per euidentem conſequentiam: erit ergo Demonſtratiuus, quod apertè oſtenditur hac demõſtratione, quæ eſt à poſteriori & *quia*. Omne riſibile eſt admiratiuũ, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt admiratiuus.

QVÆSTIO. II.

Vtrum hæc diuiſsio ſit generis in Species infimas.

VNum videtur præſupponere quæſtio hæc, & aliud inquirere: & quidẽ quod videtur præſupponere, ſcilicet hanc eſſe diuiſionem generis in ſpecies, licet ex ſecunda cõcluſione quæſtionis præcedentis maneat quodammodo certum, reddunt illud incertum & dubium hæc argumenta. Primum eſt. Demonſtratio, *quia* & *propter quid*, eiſdem terminis conſtãt, aliquando ergo non differũt ſpecie. Si Reſpondeas nego conſequentiam, quia conſtant ex eiſdem diuerſo modo conſtitutis. Contra hoc argumentor ſic, ordo aut diſpoſitio pertinet propriè ad formam,

modum

modum ſcilicet, & figuram Syllogiſmi, ſed hoc non atten ditur in demonſtratione poſterioriſtica, ſed tantum materia, ergo licet prioriſtice poſsit eſſe quod ſpecie diſtinguantur, non tamen poſterioriſtice. Quod ſi dicas, qui fieri poteſt vt prioriſtice aliquid diſtinguatur ſpecie, non vero poſterioriſtice. Reſpondetur, id eſſe facile explicatu, poteſt enim eſſe, quod duę res quæ in conſideratione vnius ſcientiæ ſpecie nō diſtinguūtur, in alterius ſcientiæ conſideratione ſpecie diſtinguantur, quia illa ſcientia aliam conſiderat diuerſitatem. Verbi gratia aurum, & argentum quamuis vtrumq; ſub figura ſit circulari, phyſice loquendo ſpecie diſtinguuntur, quia conſiderat Phyſicus materialiter naturā illam auri & argenti, Mathematico autem diſtinguuntur minime, quia Mathematicus conſiderat tantum rationem figuræ & circuli, in qua nō diſtinguuntur, non conſiderando materiæ rationem, auri, ſcilicet, & argenti, in qua ſpecie diſtinguebantur. Ex quo confirmo argumentum: materia Syllogiſmi præciſſe, ſunt propoſitiones, materia propoſitionum ſunt termini, ergo Syllogiſmi eiſdem terminis conſtantes, conſtant materialiter eiſdem propoſitionibus, ordo autem & diſpoſitio hæc aut illa pertinet ad formam, quam tamen non conſiderat Poſterioriſticus.

Secundo vna ſpecies non poteſt conuerti in aliam, demonſtratio *quia*, conuertitur in propter quid, ex demonſtratione enim *quia*, poteſt cōfici demōſtratio *propter quid*, vt conſtat in demonſtratione in qua prima paſsio demonſtratur per ſecundam; ſi tamē mutētur termini & prima aſſumatur pro medio ad demōſtrandam ſecundam, fiet *propter quid*, ergo non diſtinguuntur ſpecie.

His tamen non obſtantibus Dico primo, demonſtratio *quia* & *propter quid*, ſpecie differunt, adhuc in ratione poſterioriſtica, ſcilicet materiæ Syllogiſmi. Hanc tenent concluſionem Aberroes, Ammonius, Themiſtius, Philop, & D. Thom. hic, lib. 1. initio cap. 10. & ſatis conſtat ex Ariſtot. ibidem, & toto hoc tractatu. Ratione probo, quia demonſtratio, *propter quid*, procedit à cauſa, demonſtratio *quia* ab effectu, illa ordinatur ad ſcientiam à priori, hæc ad ſcientiam à poſteriori, & ex dictis etiam maxime in per-

fectione eſſentiali diuerſificari conſtat. Ergo, &c. Secundo, quia magis differunt eſſentialiter demonſtratio, *quia*, & *propter quid*, quam duæ demõſtrationes propter quid, hæ diſtinguuntur numero ad minus, illæ ergo diſtinguũtur ſpecie. Tertio, quia vt ſtatim dicã Demonſtratio *propter quid* eſt ſpecies infima, demonſtratio *quia* ſubalterna, ergo non ſunt eadem ſpecies; patet, quia eadem ſpecies non eſt infima & ſubalterna. Vnde.

Dico ſecundo. Demonſtratio *propter quid* eſt vna ſpecies infima, licet demonſtratio *quia* ſit ſpecies ſubalterna. Prima pars concluſionis probatur ſic, vbi eſt eadem materia in ſpecie, ordinata ad eundem finem in ſpecie, nequit eſſe diuerſitas ſpecifica, ſed in omnibus demonſtrationibus *propter quid*, inuenitur eadem materia ſpecie ad eundem ordinata finem, ergo. Minorem probo, quia quælibet demonſtratio *propter quid*, cõſtat ex propoſitionibus neceſſarijs, cauſis, &c. quæ vere in eſſendo cauſæ ſunt, cauſis etiam tãtum proximis, quia demonſtratio queprocedit ꝑ cauſam remotam reducitur ad demõſtrationem *quia*. Ex quo probatur iam ſecunda pars concluſionis, quia ad demonſtrationem, *quia* (quia imperfecta eſt) reducitur & pertinet demõſtratio quæ datur per cauſam remotam, de qua iam diximus: pertinent etiam demõſtrationes procedentes ab effectibus, aliæ à *ſignis*, effectus autem in ratione manifeſtandi diuerſæ rationis eſt a ſigno, cum res perfectius eſſentialiter in ſuis effectibus, quã in ſignis reluceãt. Sunt enim ſigna, extrinſeca maxime, effectus autem (præcipuè ſi de paſſionibus loquamur) intrinſeci multum: præterea alia eſt oſtẽſiua, connexionem prædicati cum ſubiecto quaſi oſtenſiue & plane demonſtrans, alia ducens ad impoſsibile, quæ infert aliquod inconueniens, vt ſic conuincat dictam propoſitionem à cõtrario, eſſe falſam, vel ſuam eſſe veram, quam demonſtrationem ad demõſtrationem ſignorum reducit Aberroes primo de Cœlo cõm. 5. quæ omnes in eſſentiali perfectione conſtat diſtingui. Ex quo ſequitur ratio diſcriminis inter vtramq; hanc demonſtrationem, quare vna infima, alia vero ſit ſubalterna. Quia demonſtratio *propter quid* eſt perfectiſsima demonſtratio. Vnde omnes demonſtrationes, quæ vel quia dantur per cauſam remotam, vel alia ratione à perfectiſsime demonſtrationis

ſtrationis ratione degenerãt, reducuntur ad demonſtratio nem *quia* & ideo illa magis late patet, quia imperfectior eſt, conſtat enim vniuerſaliora prædicata imperfectiora eſſe, vt patet in animali & homine. Homo enim perfectius quid eſt animali, quia ſupra illud, gradum addit rationalitatis.

Ad primum argumentum Reſpõdetur, terminorum mutationes variare optime propoſitionum materiam, ſcilicet neceſsitatem, aut perfectionem & veritatem, quæ ſunt conditiones ſe tenẽtes ex parte materię poſterioriſticę, hęc enim propoſitio eſt per ſe. Homo eſt animal, ſi autem dicas, animal eſt homo, eſt indirecta, ac proinde neque neceſſaria, neque per ſe, quod conſtat clarius in propoſitio bus vniuerſalibus, ſi enim tantum mutet terminos, vt iacent, erit falſa propoſitio, quæ antea erat vera. Omnis homo eſt animal vera, omne animal eſt Homo, falſa quidem. Similiter etiam ſe tenet ex parte poſterioris materiæ, quod propoſitio detur per cauſam, vel non detur, vt per ſe patet, poteſt enim ſeruari eadem forma poſterioriſtica, & fieri in Barbara, Syllogiſmus, qui procedit per cauſam, aut per effectum, hæc autem variatio poſterioriſtica eſt, non prioriſtica, quia ſeruatur eadem forma.

Ad ſecundum Reſpondetur facile, vnam ſpeciem non poſſe contineri in alia, manendo eadem, concedo, nõ manens, nego, homo enim conuertitur in cadauer, lignum in ignem, non manendo, neque homo neque lignum.

Sed Dubiũ eſt. Vtrum hęc conuerſio demonſtrationum harum, quando ſcilicet ex *quia*, fit *propter quid*, aut è contra, vitioſa ſit, quod inquiri ſolet ab alijs authoribus, an circularis demonſtratio vitioſa ſit. Circulus autem in demonſtratione nihil aliud eſt, quam vti conclusione, loco vnius præmiſſæ, ad aliam præmiſſam demonſtrandam, verbi gratia, demonſtraueram iam de homine eſſe riſibilem ſic: Omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis, per Circulum aut mutationem poteſt minor illa, ſcilicet omnis homo eſt animal rationale, demonſtrari, collocando con-

concluſionem loco minoris, & minorem concludendo ſic. Omne riſibile eſt animal rationale, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt animal rationale.

Secundo Notandū eſt, Circulū eſſe duplicem, vniformē vnum, difformem alium: Vniformis eſt, in quo Circulus & demonſtratio vnius, eſt in eodē genere cauſæ in quo alius, alius eſt difformis, quando licet ſit demonſtratio Circularis, eſt tamen in diuerſo genere cauſæ, id enim quod eſt effectus alicuius potentiæ aut actus, poteſt in genere cauſæ efficientis dici effectus, licet quodammodo in genere cauſæ finalis ſit cauſa, potentia enim ordinatur ad actum tanquam ad finē, quia vnūquodq; eſt propter ſuam operationem. Accidentia etiam habēt rationem cauſæ formalis ſaltim accidentalis reſpectu ſubiecti, ſubiectum autem ipſum rationē cauſæ materialis reſpectu accidentium, & quidē Circulus ille, in quo ex demōſtratione *quia*, fit *propter quid*, aut è contra, vt conſtat etiam ex exemplo paſsionis primæ & ſecundæ adducto ſupra, rectus eſt & non vitioſus, immo quilibet Circulus difformis, nō autē vniformis. Et de hoc explicādi ſunt Ariſt. & S. Tho. ſi quando oppoſitum aſſeruerint.

Sed contra. Vapor eſt cauſa materialis pluuiæ, & pluuia eſt cauſa materialis vaporis, & tamē Ariſt. 2. Poſt. cap. 15. inquit, *quod ſicut generatio pluuiæ ex vapore, & vaporis ex pluuia fit, ita etiam poteſt eſſe demonſtratio Circularis*, & tamen hæc eſt in eodem genere cauſæ materialis, ergo ex ſententia Ariſt. Circulus etiā vniformis nō eſt vitioſus. Reſpondetur, cum S. Tho. ibidē, quod demonſtratio Circularis nō eſt vitioſa in eodem genere cauſæ, dum modo idem non per idem numero demōſtretur: ſiue vt alij dicunt, dū modo non ſit regreſſus ad idē numero, quod poteſt in pluuia & vapore non ita eſſe, nulla enim pluuia eſt cauſa materialis illius vaporis, ex quo facta eſt, ſed alterius, & idem de vapore reſpectu pluuiæ.

Verum eſt meo iudicio, parum aut nihil afferre vtilitatis Circulum, præter illum qui eſt à demōſtratione *quia*, ad demonſtrationem *propter quid*, in quo per demonſtrationem *quia*, imperfecte cognoſcebatur effectus, vt poſte modum per cauſam, in demōſtratione vero *propter quid*

ad

ad quam regreſsi ſumus iam perfecte cognoſcitur, immo hac ratione acquiſitæ ſunt ſcientię, primo per effectus ad cauſas, poſtea vero perfecte per cauſam ad effectum deueniendo.

DISPVTATIO. XVIII.

De Scientia, Opinione, & Fide.

CVM demonſtratio ſit Syllogiſmus faciens ſcire, ſcientię & demonſtrationis doctrina omnino connexa eſt. Oportet igitur poſtquã de demõſtratione diſſeruimus, de actuali ſcientia in hac diſputatione diſſerere, cuius cognitio quia ex differentia, opinionis, & fidei clarius percipietur, ſimul de fide, & opinione diſſeremus. Non eſt autem mens nunc, de horum actuum habitibus, ſed de ipſis actibus diſputare, peculiarem enim de habitibus intellectualibus tractatum (Deo dante) in tertio Philoſophiæ Tomo conficiemus, licet quãtum ad diſtinctionem prędictorum inter ſe, eadem ſit ratio de actibus & habitibus, ſi enim actus diſtinguuntur ſpecie, diſtinguentur etiam & habitus.

QVAES-

QVÆSTIO. I.

Quid ſit Scientia, & an differat à cognitione Principiorum, Opinionis, & Fidei.

DVplicem actualis ſcientię adduxit Ariſt. definitionē, prior eſt, *ſcire, eſt rem per cauſam cognoſcere, & quoniam illius eſt cauſa & quod non contingit aliter ſe habere*, ſed hæc definitio non continet ſcientiæ in communi definitionē, quod indicat ipſe contextus, ait enim Ariſt. *Si igitur eſt alter modus ſciendi, poſtea dicetur*, at ſi intendiſſet Philoſophus definitionem traddere ſcientiæ in communi, non remaneret alius modus ſciendi hic non comprahenſus, neque eſſet quare illud Philoſophus in ſequentibus promitteret explicandum, & ideo ex his verbis ab Ariſtot. ſubſumptis, colligunt Themiſt. Philop. & D. Thom. denotari eſſe ſcientiam à poſteriori, quæ non procedit à cauſa, ſed à ſigno vel ab effectu. Eſt ergo prædicta definitio tradita de perfecta tantum ſcientia & à priori, quæ per veram cauſam procedit: in qua duo notāda ſunt. Primum, non ſufficere quod per veram cauſam procedat, cognoſcamuſq; rē per illā qua ſi materialiter, ſed requiritur inſuper, quod cognoſcamus cauſam formaliter, ideſt illam eſſe vere cauſam illius effectus, quod explicuit Ariſtot. illis verbis, *& quoniam illius eſt cauſa*. Secundum eſt, quod cum ſcientia ſit de rebus neceſſarijs, & quæ aliter ſe habere nō poſſunt, requiratque, firmā intellectus adhæſionē & determinationem ad vnam partem contradictionis: cognoſcat oportet, ſciens rem illam non poſſe aliter ſe habere, eſſeq; omnino neceſſariam, vt certo & ſine formidine ei aſſentiatur.

Poſterior Definitio eſt, *ſcire eſt per Demonſtrationem cognoſcere*, in quibus verbis Demonſtratio tantum ſumitur pro præmiſſis, & ly, *per* denotat cauſalitatem iam explicatam ſupra, ſignificaturque,

ſcientiam

ſcientiam actualem eſſe actualem concluſionis aſſenſum, habitum vi præmiſſarum, cum autem in definitione non exprimatur particularis, ratio demõſtrationis, *quia* aut *propter quid*, ſed demonſtratio in communi, prædicta definitio de ſcientia, aut ſcire in communi, tradita eſt.

Explicatius tamen poteſt definiri, ſi dicatur, *ſcientia actualis, eſt cognitio diſcurſiua certa & euidens*, cui definitioni ſi addas *habita per cauſam*, erit definitio ſciētię à priori, ſi vero *habita per effectum*, ſcientiā à poſteriori definies, vt ex dictis facile colligi poteſt. Si tamen ab illa definitione ſcientię in communi, illam particulam, euidens, auferas, illa definitio conueniet etiam Theologiæ, eſt enim eius cognitio licet non euidēs, vere tamen diſcurſiua, & certa, licet probabile ſatis ſit (vt tetigi in quæſtionibus prohęmialibus) Theologiā hoc ipſo quod euidens non eſt, à generica ratione ſcientię decidere, etiam ſi perfectiorem quandam rationem, & quaſi eminenter continentem ſciētię perfectionem, habere dicatur. Hoc ergo ſuppoſito. Probatur hanc eſſe rectam ſcientiæ definitionem, & per illam diſtingui ab alijs aſſenſibus principiorum, opinionis, & fidei, cum quibus in prima definitionis particula, nempe *cognitio*, veluti in generica ratione conuenit. Per illam autem particulā *diſcurſiua*, quæ eſt quaſi ſubalterna differentia, differt ſcientia à cognitione primorum principiorum, quæ licet ſit certa, & euidens, habetur tamen ſine diſcurſu ex ſola cognitione terminorum. Per illam particulā *certa*, differt ab opinione, & fide humana, quarum cognitiones non ſunt omnino certę, ita vt aliter ſe habere nō poſsint. Per illam autem particulam, *euidens*, differt à fide diuina, hæc enim neceſſario includit obſcuritatem, quoniam fides vt inquit Paulus *ſperandarum eſt ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Immo à fide in communi quæcumq; ſit, differt ſcientia per illam particulam *diſcurſiua*, quia fides non innititur ratiocinationi, ſed ſolum authoritati dicentis, ſiue dicens ſit humanus, vt in fide humana, ſiue ſit Deus, vt in fide diuina.

Dices: cognitiones diſtinguuntur per obiecta, ſed eiuſdem obiecti poſſunt eſſe cognitiones

nitiones ſcientiæ, fidei, & primi principij, ergo tunc ſcientia non diſtinguetur ab alijs cognitionibus, cum habeant idem obiectum. Antecedens probatur. Quia huic propoſitioni *Deus eſt bonus*, poteſt quis immediate aſſentiri ex ſola cognitione terminorum ſine diſcurſu, & tunc erit cognitio primi principij, poteſt etiam aſſentiri per præmiſſas euidentes & apertam illationem, & tunc erit cognitio ſciẽtifica; rurſus etiam poteſt aſſentiri illi propoſitioni, quia Deus illam reuelauit, & tunc erit cognitio fidei diuinę, ergo.

Pro ſolutione tamen huius & aliorum argumentorum, Sciendũ eſt, cognitiones noſtri intellectus non diſtingui per obiectà materialia, ſed per ordinem ad obiectũ, ſeu diuerſum modũ tendendi noſtri intellectus in illud. Cũ autem ad intellectionem aliquã duo concurrant: & potentia intelligens, & obiectũ quod intelligitur, ex parte vtriuſq; poteſt oriri diuerſitas in modo procedendi, vel ex parte potentiæ, quamuis obiectum idem ſit, vt quando intellectus circa eandem propoſitionem nunc diſcurſiue operatur, illam ex alijs elliciendo, nunc vero alio actu tendit in illam ſine diſcurſu. Secundo poteſt oriri hæc diuerſitas ex parte obiecti, quia ſcilicet obiectum ipſum determinat ſic, vel ſic intellectum, quantũ cũque ipſe conetur aliter procedere. Et a quacunque ratione ex his, diuerſus procedendi modus oriatur, ſpecificam in cognitionibus diſtinctionem refundit. Quia igitur in caſu argumenti diuerſus modus procedendi eſt, etiamſi ſit eadem propoſitio cognita, cognitiones illæ ſpecie diſtinguuntur. Adde, eandẽ propoſitionem materialiter poſſe plures habere rationes formales, à quibus plures etiam intellectus cognitiones ſpecificentur: Eadem enim propoſitio, quatenus poteſt per euidentem conſequentiã deduci, diuerſa eſt formaliter à ſe ipſa, quatenus ex ſola apprehenſione terminorum poteſt certo dignoſci; & vt ſic etiam formaliter à ſe ipſa diſtinguitur, vt poteſt per reuelationẽ & dicentis authoritatẽ, aſſenſum noſtri intellectus terminare.

Reſtat explicare duas illas particulas definitionis, certa, & euidens: Pro quo ſuppono, duplicem eſſe certitudinem, vnam ex parte obiecti, alterã

verò

Digitized by Google

verò ex parte potentiæ. Certitudo ex parte obiecti eſt neceſsitas ipſius propoſitionis quæ nobis obijcitur, quæque quantũ eſt ex ſe, poſtulat certo & cum firma adhæſione cognoſci: quæ certitudo non ſolum reperitur in ſcientia, ſed poteſt etiam in opinione reperiri. Hæc enim propoſitio, *anima eſt immortalis* certitudinem habet ex parte obiecti, cum ſit neceſſaria: Et tamẽ de illa ſolum habuit Cicero opinionem, & hæc, *ſubſtantia materialis habet partes* forte eſt neceſsaria, de qua tamen plures ſolum opinionem habent. Licèt ergo hæc certitudo ex parte obiecti requiratur ad ſcientiam, non tamẽ in illa ſolum formalis ſcientię ratio ſita eſt, cum poſsit conuenire opinioni, a qua tamen ſcientia diſtinguitur. Certitudo vero ex parte potentiæ eſt adhæſio firma intellectus circa obiectum quod cognoſcit, hęc autem quod ad præſens attinet, ſumenda eſt pro adhæſione firma intellectus excludente formidinem partis alterius, prouenicns ex ipſa rei natura, & certitudine obiecti, quæ ex ſe talis eſt, vt cognita & perſpecta omnẽ neceſſario excludat dubitationem, firmiterque ei intellectum faciat aſſentiri: nõ verò ex accidenti aut ab extrinſeco, cum ſcilicet homo, vel propter ſuperbiam, aut ingenij craſsitudinem, inordinatã ve affectionem, ita hæret ſuis opinionibus aut erroribus, vt non admittat rationes in contrarium, qua ratione dixit Ariſt. aliquos firmius adhærere ſuis opinionibus, quã alij ſciẽtijs, imò & ſuis erroribus (loquendo de hac firmitate ab extrinſeco) pertinatius adhærent hæretici, vt experientia compertum eſt. Itaque certitudo ex parte potentiæ quæ in ſcientia reperitur, eſt certitudo proportionata, reſpondens, & debita certitudini obiecti: quandò enim certitudo eſt in obiecto, & ſolum opinio in potẽtia, certum eſt aſſenſum illũ ex parte intellectus nõ eſſe debitum obiecto, cũ illi longe altior certitudo debeatur. Similiter cũ in obiecto eſt error, aut probabilitas tãtũ, & in intellectu firma aut pertinax adhæſio, illa firmitas nõ debetur obiecto, in ſcientia vero certitudo eſt ex parte obiecti: & ex parte potentiæ, firmitas & adhæſio illi debita, & proportionata reſpondet. Sic ergo intelligenda eſt illa particula definitionis certa.

Alte-

Digitized by Google

tiam non habet. Ne tamen in hac re error aliquis ſuboriatur, aliqua ſunt ſigna quibus vna ab altera diſtingui poſsit. Primum eſt, quòd ille qui habet euidentiam veram, nulló modo poteſt formidare de ſua ſcientia, etiam ſi omnes oppoſitum aſſerant; ſecus qui habet euidentiam fictam. Ex quo fit ſecundum, quòd ille qui habet euidentiam veram non poſsit diſſentiri ab eo quod cognoſcit, facile vero ille qui habet euidentiam fictam, aliqua variata extrinſeca diſpoſitione diſſentiatur. Hinc etiã oritur tertiũ, quod qui verã habet euidẽtiã, illam habet quaſi ab intrinſeco, & ex ipſa natura rei, ſecluſa quacumq; affectione voluntatis; qui vero habet euidentiam apparentem, illam habet ex voluntate affecta in illud quod cognoſcit, quare deficiente voluntatis affectu diſſentiet ab eo, quod euidenter ſe videre dicebat.

QVÆSTIO II.

Quæ ſit Natura opinionis, & qua ratione à fide, & ſcientia, diſtinguatur.

ARiſt. in hoc 1. lib. Poſterio rũ cap. 26. opinionẽ definiẽs, aſſerit *illã eſſe aſſenſum propoſitionis immediatæ, non neceſſariæ*, quæ definitio difficilis videtur. Primo, quia opinio poteſt haberi per diſcurſum, vt in quouis Topico & probabili ſyllogiſmo apertum eſt, per quẽ generatur opinio, ſed propoſitio immediata nõ habetur per diſcurſum, ſed ex ſola cognitione terminorũ, male igitur definitur ab Ariſt. opinio per aſſenſum propoſitionis immediatæ. Secũdo, quia propoſitio immediata (vt dicebamus diſput. præcedẽti) eſt propoſitio per ſe nota & euidẽs, ſed opinio nõ dicit euidẽtiã aut per ſe clarã cognitionẽ, ergo nõ recte definitur per immediatam propoſitionẽ; præcipue quia ſi propoſitio immediata eſt per ſe nota, erit neceſſaria, male ergo illa duo coniũgũtur, immediate non neceſſariè.

Pro explicatione Notandũ eſt, quod ſicut intellectus dupliciter poteſt aſſentiri alicui propoſitioni, ex neceſſarijs, vel ſine diſcurſu, quia videt eius extrema inter ſe neceſſario, & immediate vniri, quę cognitio dicitur primorũ principiorũ; vel cũ diſcurſu, quia extrema licet vniãtur neceſſario, nõ tamẽ immediate, mediat enim ratio aliqua inter duas illas, quæ poteſt eſſe mediũ vt cũ diſcurſu

Vn &

& ratiocinatione, vnam alteri conuenire intellectus ratiocinãdo cognoſcat, aut cognoſcendo ratiocinetur: pari etiã modo in propoſitionibus probabilibus, dupliciter poteſt intellectus procedere, vel ſine diſcurſu, quia videt extrema vniri inter ſe immediate probabiliter, vel per diſcurſum, quia extrema per medium aliquod etiã in genere probabiliũ vniũtur; & ex his cognitionibus prior dicitur principiorum probabiliũ, aut opinio immediata, quia circa immediatas propoſitiones, probabiles tamen, verſatur. Poſterior vero eſt opinio mediata, quia eſt cognitio diſcurſiua, per probabile medium. Quod autem tales propoſitiones probabiles immediatæ dentur, docet Ariſto. 1. Top. cap. 8. cum probabilẽ propoſitionẽ diſtinguit in mediatam, & in immediatã. Tenet etiam in hoc libro tex. 44. vbi D. Thom. Aberr. & communiter alij. Sed ratione probatur, quia certum eſt, eſſe in intellectu aliquas propoſitiones probabiles, ergo vel ſemper aſſentimur illis per alias propoſitiones probabiles, & illis per alias, & ſic dabitur proceſſus in infinitum, vel non, & ſic deueniendum eſt ad aliquas propoſitiones probabiles immediatas, quibus aſſentiamur ex probabili connexione terminorum; vt in his *omnis mater diligit filium ſuum*, & a D. Thom. exemplificatur in hac, *homo mouetur*. Duobus ergo modis poteſt ſumi opinio, vel pro aſſenſu probabili, reſpondẽte aſſenſui primorum principiorum, qui eſt aſſenſus propoſitionum immediatarũ probabiliũ, qua ratione recte definitur ab Ariſt. *eſt aſſenſus propoſitionis immediatæ non neceſſariæ*, vel pro aſſenſu probabili, habito per diſcurſum per probabile mediũ, qua ratione ſic poteſt definiri. *Opinio eſt cognitio diſcurſiua, ſeu aſſenſus determinatæ alterius partis cum formidine*. In qua definitione cognitio ponitur loco generis, in quo conuenit cũ fide, & alijs cognitionibus: reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ. per illã enim particulã *diſcurſiua*, differt a cognitione primorũ principiorũ, ſiue euidentium, ſiue probabilium, quia illa eſt ſine diſcurſu, non tamen opinio de qua loquimur. Differt etiam per eandem particulam a fide, vt in definitione ſcientiæ explicatum eſt. & ſi fides eſt diuina, manifeſta eſt differentia, non ſolum quia fides diuina eſt ſine diſcurſu, ſed quia eſt certa & infalibilis, quod non habet opinio. Quod etiam differat a fide

Digitized by Google

fide humana eſſentialiter, tenet communis ſententia contra Sotum ſecundo lib. Poſter. & conſtat ex Ariſt. 4. Topicorum, cap. 5. qui aperte hoc ibi docet. & licet eodem capite dicat *fidem eſſe vehementem opinionem*, ibi ſumit opinionem generice, vt dicit aſſenſum nõ omnino certum, qua ratione de fide humana prædicari poteſt, vt etiam explicuit Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 4. art. 5. Ratione etiam conſtat, quia vel opinio humana eſt propoſitionis mediatæ vel immediatæ: ſi mediatæ, neceſſario petit diſcurſum quem excludit humana fides, vt quæſtione ſequenti dicemus. Si vero opinio ſit propoſitionis immediatæ, adhuc habet diuerſam rationem formalem a fide, cum opinio immediata formaliter habeatur propter connexionem probabilem immediatam extremorum, fides autem formaliter propter authoritatem dicentis.

Per illam particulam *determinata alterius partis*, differt opinio a ſuſpitione & dubitatione, quæ non dicunt aſſenſum determinatum, ſed fluctuationem (vt ſic dicam) potentiæ in vtramque partem. Denique dicitur in definitione, *cum formidine*, per quam particulam differt opinio a ſcientia, & cognitione primorum principiorum euidentium, quæ cognitiones firmam habent adhæſionem, & certitudinem expellentem formidinem, non tamen opinio.

Sed dices: quid ſit hæc formido? In primis enim formido videtur auferre determinationem ad alteram partem, cum tamen opinio ſit (vt dicebamus) determinatæ alterius partis aſſenſus. Deinde, formido videtur eſſe aliquid priuatiuum, ſicut firma adhæſio illi oppoſita poſitiuum quid eſt. Reſpondetur tamen, formidinem non tollere determinationem alterius partis, hoc enim proprium eſt dubitationis aut ſuſpitionis tantum, ſed quia aſſenſus determinatus alterius partis non eſt cum euidentia, aut certitudine, ſic aſſentitur determinatè intellectus parti illi, vt iudicet obiectum illud probabile, poſſe aliter ſe habere. Per quod Reſpondetur ad ſecundum, formidinem ſcilicet non eſſe aliquid priuatiuum, eſt enim prædictum hoc iuditium, ſcilicet illud probabile poſſe aliter ſe habere, ſaltim virtualiter incluſum in aſſenſu opinionis, ſicut in

aſſenſu ſcientiæ, virtualiter includitur iuditium, quo intellectus iudicet oppoſitum eſſe impoſsibile. Vnde formido in opinione, non eſt formaliter quid priuatiuum, ſed dicit actum contrarium certitudini & euidentiæ, qui ſine priuatione explicari non poteſt. Itaq; ſicut in firma adhæſione & certitudine ſcientiæ, eſt virtualiter incluſum iuditium de impoſsibilitate ſui oppoſiti, ſic in aſſenſu opinatiuo, nõ vndequaq; firmo & certo, eſt virtualiter incluſum iuditium de poſsibilitate ſui oppoſiti. Loquimur autem de formidine quaſi ab intrinſeco, & ex eo quod ſecũdum ſe poſtulat probabile obiectum: ab extrinſeco enim, & per accidens, & ratione ſubiecti indiſpoſiti, poteſt fieri (vt dicebamus) aliquos ita conſtanter adhærere ſuis opinionibus aut erroribus, vt oppoſitũ iudicent impoſsibile.

Sic explicata natura opinionis, illa etiam proportionaliter ſicut ſciẽtia diuidi poteſt, quod ſcilicet alia ſit opinio a priori, quæ habetur per cauſam probabilem, & alia a poſteriori, quæ habetur per effectum probabilem.

Ex Dictis, ea quæ initio queſtionis contra definitionem Ariſt. adduximus in cõtrarium, ſoluta ſunt. Conſtat enim dari propoſitiones immediatas probabiles, vt fatetur ipſe Ariſt. in illa tamen definitione opinionem immediatam definit, vt a fortiori probet, quod ſi illa cognitio quę eſt primorũ principiorum probabilium diſtinguitur a ſcientia, diſtinguetur etiam opinio mediata. Ad ſecundũ vero Reſpõdetur, quod propoſitio immediata diuiditur in neceſſariam, & probabilem, ſi ſit neceſſaria, erit euidens, nõ tamẽ ſi ſit probabilis.

QVAES-

QVÆSTIO III.

Quæ ſit eſſentia fidei, & quomodo diſtinguatur a ſcientia, & opinione.

QVamuis hic cum Ariſt. ſolum eſſet agendum de fide humana, quia diuinã ille non nouit, cum tamen fides in communi & humanam & diuinam includat, licet de humana præcipue inſtituatur quæſtio præſens, (fidei enim diuinæ tractatio Theologica eſt, de qua in 2.2.) de diuina tamen non nihil dicemus. Prius tamen de fide in communi, quæ ſic definiri poteſt. *Fides eſt cognitio ſine diſcurſu alterius partis determinatæ, propter authoritatem dicentis*, quæ definitio ex dictis in explicatione opinionis & ſcientiæ omnino manet explicata; ſolum poteſt eſſe difficultas; An de ratione fidei ſit, quod ſit aſſenſus ſine diſcurſu. Primo, quia aſſentiri alicui propoſitioni aut veritati, propter authoritatem dicentis videtur ad diſcurſum pertinere, cum ſit aſſenſus vnius propter aliud, cũ enim ego aſſentior huic propoſitioni, *Deus eſt trinus & vnus*, quia dixit Deus, fit in intellectu diſcurſus hic. Omne quod Deus dixit eſt infallibiliter verum, ſed Deus dixit ſe ſe eſſe trinum & vnum, ergo Deus trinus & vnus eſt. Secundo, quia quis dubitet concluſionẽ quæ ex duabus de fide ſequitur, de fide etiam eſſe, at tunc concluſioni & de fide aſſentior, & cum diſcurſu, hoc ergo quod eſt ſine diſcurſu aſſentiri, non eſt de ratione fidei.

Nihilominus contraria ſententia communis eſt Theologorum, ſecunda ſecundæ in materia de fide, & Philoſophorum in præſenti. Præterea tamen quæ in diſcrimine fidei a ſcientia & opinione, adducta ſunt. Probatur primo, quia actus fidei diuinæ ſolum innititur authoritati dicentis, non autem bonitati conſequentię, ergo non dicit formaliter diſcurſum, quia hic bonitati conſequentiæ innititur. Antecedens probo, quia motiuum boni-

nitatis conſequentiæ, motiuum naturale & humanũ eſt, immo formaliter, vt in bonitate conſequentiæ fundatum, clarum, & euidens, at fides diuina nec naturali motiuo, nec claro & euidenti innititur, ſed ſolum obſcuro & diuino, ergo fides diuina ſolum innititur dicentis authoritati, non vero diſcurſui. Idem argumentum fieri poteſt de fide humana, quæ etiam pro motiuo habet authoritatem dicentis, non bonitatem illationis. Secundo probatur, quia facta aliqua demonſtratione ex tribus propoſitionibus de fide, poteſt fidelis aſſentiri tertiæ propoſitioni de fide, & dubitare de rectitudine illationis, an ſcilicet recte ſit illata talis propoſitio ex præmiſsis, ergo aſſenſus fidei nõ innitur ratiocinationi, nec diſcurſus aliquid conducit ad motiuum aſſentiendi, ſi quidem in prædicto caſu, fidelis formaliter vt diſcurrens dubitat, vt fidelis tamen, authoritate dicentis ductus, certo & ſine hæſitatione aſſentitur. Tertio probatur, in omni diſcurſu neceſſario, intellectus magis aſſentitur antecedenti, quam conſequenti, ſed cum aſſentimur huic propoſitioni, *Deus eſt trinus & vnus*, quia Deus reuelans, & ſumme verus eſt, ita firmiter aſſentimur huic propoſitioni, *Deus eſt trinus & vnus*, quam illi antecedenti, fides ergo diuina vt ſic, cognitio eſt ſine diſcurſu.

Notandum tamen, pro ſolutione & intelligentia huius difficultatis, diſcurſum poſſe ſumi dupliciter. Primo, omnino formaliter, quatenus præmiſſæ illius ſunt rationes aſſentiendi concluſioni, bonitaſque illationis, in cauſa eſt, vt concluſsioni aſſentiamur. Secundo modo poteſt ſumi materialiter, & quaſi vehiculum (vt ſic dicam) trahens, motiuum & rationem aſſentiendi, dicentis ſcilicet authoritatem, vt illam non ex vi diſcurſus aut ratiocinationis, ſed fidei ductu applicem aſſenſui cõcluſsionis: quo ſecundo modo motiuum aſſentiendi non eſt bonitas illationis, diſcurſuſque omnino per accidens ſe habet ad motiuum aſſentiendi. Dicendum igitur, quod aliquando vt cognoſcamus concluſsionem eſſe de fide & a Deo reuelatam, diſcurſus eſt quaſi vehiculum, trahens nobis dicentis authoritatem, quam licet ſimplici cognitione poſſemus percipere, aliquando etiam cognitione diſcurſiua percipimus: vt in prædicto

dicto illo ſyllogiſmo: Omne quod Deus dixit eſt infallibiliter verum, ſed Deus dixit ſe eſſe trinum & vnum, ergo Deus eſt trinus & vnus, vbi huic propoſitioni Deus eſt trinus & vnus, quia Deus dixit aſſentior, licet diſcurſiue in ſenſu dicto applicem hoc motiuum concluſioni. In quo caſu aſſentiendi ratio non eſt diſcurſus, ſed motiuum eſt authoritas Dei dicentis. Quando ergo dicimus fidem eſſe cognitionem ſine diſcurſu, ſenſus eſt, fidem eſſe aſſenſum veritatis determinatæ, cui ex motiuo obſcuro & authoritate dicentis aſſentimur, non ex vi noſtri diſcurſus. Per quod patet ad argumenta in oppoſitum.

Notandum tamen adhuc, quod licet actus fidei formaliter non dicat diſcurſum in ſenſu explicato, ad illius tamen actum antecedere poteſt diſcurſus; euidentia enim credibilitatis quam habent myſteria noſtræ fidei, plures includere poteſt diſcurſus, quatenus ad credendum poteſt quis antecedenter duci ex magnitudine miraculorum, quæ facta ſunt in confirmationem fidei; circa quod eleganter ratiocinatus eſt Auguſtinus dicens: *Si facta ſunt miracula, grande miraculum. ſi non ſunt facta miracula, maius miraculum quod ſine miraculis tot homines credidiſſent, ea quæ repugnabant ſenſibus*, poteſt igitur quis antecedenter duci ad credendum ex miraculorum magnitudine: ex tot Martyrum ſanguinis effuſione: ex ſanctitate doctrinæ Euangelicæ & eam profitentium: ex conuerſione tot gentium ad fidem Chriſti. Circa quæ omnia poſſunt fieri plures diſcurſus, qui antecedenter ad fidei nos ducant profeſſionem; formalis tamen ratio aſſenſus fidei ſolum eſt diuina authoritas, & ita poteſt eſſe actus fidei adhuc ſine illis diſcurſibus antecedentibus, ruſticus enim fidei habitu firmatus plures elicit actus fidei diuinæ ſine illis ratiocinationibus.

Sed Dubium eſt primo. *An obſcuritas in fide ſit de eius formali ratione, tanquam aliquid eſſentiale, vel ſolum tanquam quid conſequens, aut paſſio illius* Breuiter Reſpōdetur, obſcuritatem tantū eſſe quid conſequens & veluti propriā paſsionē actus fidei: Docētmulti 2.2.q.5.ar.4. vbi ex profeſſo hæc difficultas tractanda eſt. Probatur, quia tota eſſentia, tā act9, quā habit9 fidei, eſt quid reale poſitiuū, ſed obſcuritas

Digitized by Google

non eſt reale quid, ſed priuatio aut negatio claritatis & euidẽtiæ: ergo non eſt primario & formaliter de eſſentia fidei. Quod vero ſit quid neceſſario conſequens, nullus dubitare poteſt: nam cum ratio formalis ſit aſſentiri propter authoritatem dicentis, vtique cognoſcere propter dicentis authoritatem, non eſt cognoſcere rem clare in ſe, ſed cum obſcuritate, quia illud cui aſſentior, in ſe clare non video, ſed ſolum dicenti credo: quod adeo verum eſt, vt etiam ſi ſit euidentia in atteſtante, ideſt etiam ſi euidenter videam atteſtantem non poſſe mentiri, adhuc poteſt manere fides de re ab illo dicta, cui aſſentior: quia licet in atteſtante ſit euidens, in ſe ſemper eſt obſcura; & intrinſeca (vt ſic dicam) connexio prædicati cum ſubiecto, in ſe mihi clara non eſt.

Sed Dubium eſt ſecundo, Vtrum ad aſſenſum tam fidei quam opinionis, requiratur ex parte voluntatis pia affectio.

Pro explicatione obſeruandum eſt. Piam affectionem nihil aliud eſſe pro nunc, quam propenſionem quandam aut inclinationem voluntatis, qua vult potius adhærere huic parti, quam illi, vel potius huic authori aut dicenti, quam alteri. Deinde obſeruandum eſt, nos non loqui de propoſitione omnino impoſsibili, ita vt intellectus in illa nullam probabilitatis rationem inueniat: tunc enim non poteſt ei efficaciter imperare voluntas vt aſſentiatur, neque ſufficit eius affectio, implicat enim potentiam aliquam aſſentiri alicui, niſi ſub ratione ſui obiecti, ſed obiectum intellectus eſt verum, ergo cum in propoſitione impoſsibili vt ſic cognita, nullam inueniat rationem veri, non poterit quantumuis voluntas imperet, aſſentiri. Loquimur ergo de obiecto probabili, aut credibili, ſiue æqua ſit veritas in vtraque parte, ſiue maior in vna, minor in altera.

Quo ſuppoſito: Dico primo, cum propoſitio eſt probabilior ſua oppoſita, vel minus probabilis, tunc ad aſſentiendum alicui earũ requiritur pia affectio & inclinatio voluntatis: ideſt quod voluntas vellit potius aſſentiri huic parti, quam alteri. Probatur primo, quia omnis potentia, quæ indifferens eſt ad duo, determinari debet ab aliquo ad vnum ex illis, ſed quoties intellectus non conuincitur ex neceſsitate & veritate obiecti, indiffe-

rens

Digitized by Google

rens eſt, vt aſſentiatur, vel ſuſpendat actum, & vt huic parti aſſentiatur, diſſentiatur illi, ergo ad aſſentiendum determinari debet a voluntate, at obiectum probabile, aut probabilius, non conuincit, aut necesſitat intellectum, ergo relinquit indifferentem, ergo intelligens tunc ideo aſſentitur vni parti, & non alteri, quia vult aſſentiri. Requiritur ergo quod voluntas potius velit huic parti quam alij aſſentiri: præcipue quia cum voluntas affecta eſt alicui parti, intellectum applicat, vt magis aduertat rationes, & penetret veritatem illius partis, ergo ex pia voluntatis affectione, maxime ortũ habet aſſenſus intellectꝰ.

Probatur ſecundo, & vrgenter. Quia ſi intellectus tunc poſſet præciſſa omni pia affectione voluntatis ex ſe operari, aſſentiri aut diſſentiri, vel id habet vt eſt potẽtia formaliter libera, & hoc nõ, quia potẽtia formaliter libera ſolũ eſt volũtas, vel vt potẽtia naturalis, & neq; hoc quia, potentia naturalis ſemper eſt determinata ad vnum, vnde non poterit operari, aut ſuſpendere actum, aſſentiri, aut diſſentiri, ergo id habet intellectus ex libertate & imperio voluntatis. Confirmatur, quia ſi non necesſitate, aut conuincente obiecto, poſſet intellectus operari, & non operari, aſſentiri aut diſſentiri, eſſet potentia formaliter libera, quod eſt falſum.

Quando autem pro vtraque parte apparet omnino æqualis probabilitas, ſunt plures authores qui exiſtiment, intellectum neque ex ſe, neque ex imperio voluntatis, poſſe aſſentiri alicui earum. Fundamentum eſt ex Ariſtotel. 2. de anima tex. 153 vbi ait, *Imaginari poſſumus cum volumus, non tamen opinari, niſi circa id quod apparet verum*: ſed cum æquali probabilitate nulla pars apparet vera, quia non eſt maior ratio in vna quam in altera, ergo non poterit intellectus aſſentiri magis vni parti, quam alteri.

Sed hæc ſententia ſuſtineri non poteſt, nec conſequenter loquitur, qui enim fieri poteſt, vt quando minor ratio probabilitatis apparet, poſsit intellectus aſſentiri pro libertate imperantis voluntatis, & tamen aſſentiri nequeat, quando apparet æqualis ratio probabilitatis, cum hæc ratio æqualitatis, ſit in genere probabilitatis maior probabilitas, quam minor. Addo, hoc ipſo quod eſt aliqua probabilitas, & ratio vere apparens in obiecto,

iecto, eſſe ſufficiens obiectum intellectus, hoc autē ipſo quod oppoſita probabilitas non cōuincit, non tollitur a voluntatè libertas, poterit ergo intellectus ab illa imperatus obiecto æque probabili aſſentiri. Ariſtot. autem, & ratio adducta, ſolum probant requiri, quod in obiecto appareat aliqua ratio veri, ſitque probabilitas, quod fatemur.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum ſcientia, fides, & opinio, ſimul eſſe poſsint in eodem intellectu.

NOn loquimur de eodem obiecto incomplexo, per diuerſas enuntiationes, ſic enim certum eſt de eodem obiecto poſſe eſſe in eodem intellectu ſcientiam, fidem, & opinionem. De Deo enim idē homo poteſt habere fidēquod ſit trinus, & de Deo poteſt habere ſcientiam quod ſit vnus, & opinionem quod relatio diuina ſit de intrinſeco conceptu eſſentiæ diuinæ. Et de eodē homine poteſt quis habere ſcientiam quod ſit riſibilis, fidem quod ſit redemptus, opinionem quod eius exiſtentia diſtinguatur realiter ab eſſentia. Neque loquimur de diuerſis obiectis complexis, diuerſis ſcilicet propoſitionibus; Conſtat enim in eodem intellectu circa propoſitionē ſcientificam, poſſe eſſe ſcientiam, circa credibilem, fidem, & circa probabilem, opinionem. Quæſtio igitur eſt de eodem obiecto complexo: An ſcilicet de eadem propoſitione poſſit quis habere ſcientiam, fidem, & opinionem.

Notandum tamen eſt primo. Nomine ſcientiæ in præſenti intelligendam eſſe cognitionem euidētem, ſiue per diſcurſum ſit habita, ſiue ſine illo, nomine autem opinionis intelligimus quācumq; cognitionē incertā, nec omnino firmā, ſiue illa ſit fidei humanæ, ſiue opinionis: per fidem vero intelligimus cognitionem omnino certam, obſcuram tamen, qualis eſt fidei diuinæ.

No-

Digitized by Google

Notandum eſt ſecundo, quæſtionem poſſe procedere vel de habitibus tantum inter ſe comparatis. Vtrum ſcilicet in eodem intellectu poſsint eſſe habitus ſcientiæ, fidei, & opinionis: vel de actibus horum habituum etiam comparatis ad inuicem, ita vt actus cum actu comparetur, & tunc ſenſus quæſtionis eſt. Vtrum ſimul poſsint eſſe in eodem intellectu circa idem obiectum, aſſenſus ſcientificus, opinatiuus, & fidei. Vel denique poteſt eſſe comparatio habitus V. g. ſcientiæ, cum actu fidei, aut è contra, ſenſusque erit. Vtrum exiſtente habitu ſcientiæ in intellectu circa propoſitionem aliquam, poſsit ei aſſenſu opinatiuo, aut fidei obſcuro aſſentiri.

In qua celebri quęſtione, ad duo capita claritatis gratia, poſſunt authores reduci, nos tamen in concluſsionibus explicate traddemus, quid ſentiendum ſit, quæ ve alia poſsit eſſe diſtinctio, aut diuerſa conſideratio ad deciſsionem quæſtionis neceſſaria.

Eſt ergo ſententia prior negatiua, quod ſcilicet de eadem propoſitione in eodem intellectu non poſsint eſſe ſimul ſcientia, fides, & opinio & hoc tam quoad habitus, quam quoad actus. Sic docuit Caietanus 1.2.q.67.ar.3. vbi plures Thomiſtæ, Capreolus & Deza in 3. diſt. 25.q.1. Greg. quæſ.2. prologi, Tolet. & Sot. in cap. penult. Poſt. adducique ſolet pro hac ſententia Sanct. Tho. 1. Poſt. lect. 44. in fine, & 2.2. q.1.ar.5. ad quartum, & 1.2.q. 67.ar.3. quibus locis hanc videtur docere ſententiam, ſed quæ ſit mens D. Tho. poſtea videbimus. Probatur primo ex Ariſt. 1. Poſt. cap. 26. aſſerente, *impoſsibile eſſe eũdem hominem de eodem obiecto habere ſimul cognitionem ſcientificam & opinatiuam.*

Ratione vero probatur vrgenter, primo ſic, quia impoſſibilis eſt circa idem obiectũ certitudo & incertitudo, euidentia & obſcuritas, formido & non formido, hæc enim prædicata cõtradictoria ſunt, & ſe inuicem expellẽtia, ſed opinio trahit formidinẽ, ſcientia tollit, fides petit obſcuritatẽ, ſciẽtia claritatem & euidentiam, implicat ergo in eodem intellectu hæc ſimul de eodem compati. Secundo, de ratione ſcientiæ eſt quod habens illam, euidenter cognoſcat oppoſitum eſſe falſum, & de eſſentia opinionis eſt quod iudicet oppoſitum eſſe probabile, & de ratione fidei quod nõ cog-

cognoſcat euidenter oppoſitum eſſe falſum, ergo ſcientia, opinio, & fides non poſſunt eſſe ſimul, alias intellectus ſimul iudicaret oppoſitũ eius quod ſcit euidenter non eſſe falſum, ſed probabile, quia habet opinionem, & etiam eſſe falſum, quia habet ſcientiam. Tertio, impoſsibile eſt quod viſſus ſimul videat, & non videat aliquod obiectum, ſed intellectus potentia quædam viſsiua intellectualis eſt, ergo impoſſibile eſt quod aliquam propoſitionem videat, & non videat ſimul, at per cognitionem ſciẽtiæ videt illam, per cognitionem fidei illam non videt, eſt enim fides cum Paulo argumentum non apparentium, ſcientia ergo, fides, & opinio, in eodem intellectu eſſe non poſſunt.

Quarto, quia ideo communiter Theologi negant in Patria manere fidem, quia cum ibi ſit clara viſsio, fides excluditur, at ſi ſcientia cum fide compatitur, clara item viſsio compatietur, ergo poterit in patria cum clara viſsione manere fides, pręcipue quia fides ex ſe eſt habitus quidã formaliter perficiens potentiam, quæ perfectio ſi cum clara viſsione compatitur, non auferetur in ſtatu illo, qui eſt omniũ bonorum aggregatione perfectus.

Oppoſita tamen ſententia affirmat, in eodem intellectu de eadem propoſitione ſcientiam, opinionem, & fidem inueniri poſſe. Tenet Alexand. 3. p. quæſt. 47. memb, 3. Altiſiodoren. lib. 3. ſumæ tractatu 4. cap. 4. & Bonauen. 3. diſtinct. 24. quæſt. 2. articulorum, Durand. quæſt. 5. Prologi, & in 3. diſt. 31. quæſ. 4. Enrrich. quodl. 8. quæſt. 14. OKam. 3. diſt. 25. quæſt. 68. ar. 4. Mai. & Gab. diſ 24. quæſt. 1. Vaccon, & alij: tenet etiam D. Thom. diſt. 31. quæſt. 2. ar. 1. quæſtiuncula prima ad quartum, & in 3. p. q. 9. ar. 3. ad 2. vbi Pater Franciſcus Suarez eandem videtur ſequi ſententiam, & 1. 2. quæſt. 67. ar. 3 concedit, eandem propoſitionem poſſe cognoſci per diuerſa media, quorũ alterum ſit euidens, aliud probabile tã quam per mediũ perfectũ & imperfectũ, quæ nõ repugnãt, quẽ ſequũtur plures ex recẽtioribus, eãq; intelligũt tã de habitibus, quã de actibus ad inuicẽ cõſideratis. Notãt tamẽ pro ſuæ ſentẽtię explicatione, eãdẽ propoſitionẽ poſſe cõſiderari dupliciter. Primo materialiter quatenus ſcilicet hoc ſubiecto, prædicato, & copula cõſtat, & in ſe talis, V. g. veritatis eſt, neceſſariæ, aut euidẽtis. Secundo, poteſt conſiderari formaliter, quatenus dicit ordinẽ ad medium

diſti, præmiſſas aut motiuum, ex quibus deducitur, aut ratio ne cuius ei aſſentitur intellectus: & hoc poſteriori modo cũ vna & eadem propoſitio poſſit per medium probabile deduci, & per medium neceſſarium, habet rationem duarum concluſionum formaliter, concluſionis quidem probabilis, vt per medium probabile deducta, concluſionis vero neceſſariæ, vt per medium neceſſarium, propoſitionis autẽ obſcuræ, vt per motiuum authoritatis dicentis, tantum ei eſt aſſentiendum.

Quo ſuppoſito, quod habitus ſcientię, opinionis, & fidei, ſimul eſſe poſsint, facile probant, quia catholicus habens habitum fidei circa hanc propoſitionem, *Deus eſt vnus*, ſi habeat tunc demõſtrationem circa eandem concluſionem, producetur habitus ſcientiæ, & in hoc caſu remanet habitus fidei inclinans ad eandem cõcluſsionem, ergo ſimul ſunt illi duo habitus ſcientiæ, & fidei. Quòd generetur ſcientia, conſtat, quia ex præmiſsis euidentibus & neceſſarijs, neceſſario etiam generatur aſſenſus ſcientificus concluſsionis, & quælibet demonſtratio habitum ſcientiæ generat: quod autem maneat fides, patet, quia fides amitti non poteſt circa articulum fidei ſemel creditum, niſi amittatur circa alios, eſt enim eadem ratio indiuiſibilis in omnibus: ideoque habitus fidei extenſiue remitti nequit, licet radicaliter, quia qualitas eſt, poſsit intendi, & remitti. Secundo etiam, quia habitus ſcientiæ generatus, non tollit ab intellectu fidelis facilitatem ad aſſentiendum huic propoſitioni; *Deus eſt vnus*, quia Deus dicit, nec fidei habitus tollit ab eodem fideli ſcientifico, facilitatem ad aſſentiendum huic propoſitioni, *Deus eſt vnus*, vt ex veris & neceſſarijs præmiſsis eſt deducta. Quod autem in prædicto caſu opinio etiam non repugnet, probo, quia poteſt quis adducere rationem probabilem ad confirmandum propoſitionem illam, & tunc inquiro, an illa ratio probabilis, aliquid generet in intellectu, an non, ſi nihil generat, fruſtra ergo quaſi in confirmationem fidei, vel ſcientiæ adducitur; ſi aliquid generat, vel illud eſt fides, vel ſcientia, vel opinio, nihil enim aliud eſſe poteſt, ſed non generat fidem diuinam, vt patet, neque ſcientiam, opinio enim diſtinctæ & inferioris rationis eſt, generat ergo opinionem, & cum ſimilis aſſenſus poſsit repeti in intellectu,

ge-

generabitur habitus opinionis, ac per conſequens ſimul erunt habitus fidei, opinionis, & ſcientiæ.

Secundo & confirmatur. Si Philoſophus gentilis habens ſcientias naturales baptizaretur, illi ſine dubio infunderetur a Deo fidei habitus, quo infalibiliter crederet reuelatis a Deo, ſed aliquæ propoſitiones ex his quæ reuelatæ ſunt, poterant illi eſſe cognitæ per ſcientiam, ergo cum poſt habitum fidei diuinæ non amiſſerit habitus ſcientificos quos habebat (experitur enim ipſe Philoſophus facilitatem ad aſſentiendum illi concluſioni per eadem principia euidentia ſicut antea) manebunt in illo intellectu Philoſophi habitus ſcientiæ & fidei.

Tertio, quia ratio implicationis ob quam ſimul eſſe non poſſunt hi habitus eſt, quia repugnat quod ſimul iudicetur, rem poſſe aliter ſe habere & non poſſe, & quod intellectus ſit certus, & non ſit certus, cum hæc contradictoria ſint. Quod quidem fateor ita eſſe, ſi per idem medium vtrumque eſſet iudicandum, ſed cum id fiat per diuerſa media, nullam continet repugnantiam, quia intellectum iudicare, propoſitionem non poſſe aliter ſe habere, vt eſt concluſio demonſtratiua, & poſſe aliter ſe habere, ex vi præciſſè ſyllogiſmi probabilis, nullo modo repugnat, nec opponuntur contradictorie duo hæc iuditia comparata ad diuerſa media: præcipue, quia actualis formido, ſeu actualiter iudicare rem probabilem poſſe aliter ſe habere, non eſt de ratione opinionis, ſed ſolum formido virtualis cum qua (vt bene notauit Durandus, & nos ſupra tetigimus) ſtat aliquando iuditium quo iudicat opinans oppoſitum ſuæ concluſſionis eſſe impoſsibile.

Quarto, quia habitus non dicunt actualem determinationem intellectus ad veritatem, aut propoſitionem aliquam, ſed quaſi potentialem & habitualem, pertinēt enim ad poſſe: nihil autem obſtat quominus idem ſubiectum potentiam habeat ad oppoſita, & ad cōtrarios actus, præterquā quod actus opinionis fidei & ſcientiæ, non ſunt proprie oppoſiti vt oſtendemus, ſed diſparati: & licet oppoſiti eſſent, ſolum ſequeretur actus non poſſe eſſe ſimul, non vero habitus aut potentiam ad illos ſucceſsiue exercendos.

Quod vero habitus ſcientiæ poſsit eſſe cum actu fidei aut

aut opinionis, ſeu e contra habitus fidei cum actu ſcientiæ, ex nunc dictis probatur primo, quia cum habitus pertineant ad poſſe, nec dicant actualem determinationem intellectus, non repugnat intellectum eſſe imperfecte determinatum per actum opinionis. V. g. & poſſe plene determinari, quod dicit habitum ſcientiæ. Secundo probatur ex Sanct. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 175. vbi ait, D. Paulum in raptu habuiſſe claram viſsionem Dei actualem, quod idem ſenſit Auguſtinus, epiſtola 112. cap. 3. & tamen in ſolutione ad tertium ait, fuit tamen ſimul in eo fidei habitus, non ergo repugnat claritas viſſionis in actu, & fides in habitu. Tertio, quia magis repugnant habitus intemperantiæ & actus intemperantiæ, quam actus ſcientiæ & habitus fidei, illi enim ſunt aperte & omnino contrarij, non iſti, & tamen illi ſunt ſimul: ſi enim quis longo tempore acquiſiuit temperantiæ habitum ex eo quod aliquando labatur in actum intempertantiæ, non amitti habitum acquiſitum vt fatentur omnes, & conſtat, quia poſt illum actum ſingularem manet adhuc facilis ad actus temperantiæ, ergo multo minus repugnabunt habitus fidei & actus ſcientię. Quarto, quia ſi habitus fidei & ſcientiæ compatiuntur vt oſtendimus, poterit quis per habitum ſcientiæ operari, elliciet ergo tunc ſcientiæ actum, eritque proinde cum habitu fidei. Quod explicuit appoſito exẽplo Durandus loco citato numer. 13. ferri & magnetis, in eodem enim ferro ſimul ſtant grauitas, per quam determinatur ad motum deorſum, & ſimul virtus per quam mouetur ad magnetem quę indifferens eſt ad quamcumque partem, ſicut magnes etſi in loco ſuperiori magnes ſit, actualiter ferrum fertur ſurſum, licet quaſi habitualiter, per grauitatem naturalem feratur deorſum: ſic idem intellectus licet per habitum ſcientiæ ad actum ſcientiæ poſsibilem determinetur, actu tamen poteſt per opinionem (vt ſic dicam) deorſum ferri, ſciẽtiam enim & actum eius qui in perfectione opinionem ſuperat, loco ſurſum comparemus.

Tandem, quod ſimul poſſint eſſe actus ſcientiæ, opinionis, & fidei, probãt. Quia in primis, vel hæc ſimultas repugnat ex ratione pluriũ actuũ vt ſic, vel ex ratione talium: non ex

ratione plurium, quia poſſunt eſſe plures actus ſimul in eodem intellectu (vt diſput. 1. oſtendimus, cum de præmiſsis & concluſsione ageremus) neq; ex ratione talium, quia in eodem intellectu ſunt ſimul habitus ſcientiæ, opinionis, & fidei, qui ab actibus ſpecificātur, ergo talitas aut ſpecificatio quam dicunt opinio, fides, & ſcientia, non ſe excludunt, ſed potius compatiuntur ſimul, ergo ex nullo capite ſimultas actuum repugnare poteſt. Addo, quod cum ſimul ſint prædicti habitus, & ſint potentiæ ad facilius & melius operandum, non eſt cur impediantur illi habitus ab exercitio, ſi alias pluritas actuum non repugnat.

Pro cuius ampliori probatione. Notādū eſt, ſcientiā & opinionē, V. g. affirmantes veritatē eiuſdē propoſitionis, non eſſe oppoſitas proprie, ſed diſparatas, & diuerſas, non enim opponūtur cōtradictorie, quia ſic opponi nō poſſunt, ea quorū vtrūq; affirmat: immo ſi loquamur de iuditio aliquo conſequente, & quaſi contradictorio ex parte obiecti, ita vt per iuditium ſcientiæ, dicatur propoſitionem non poſſe aliter ſe habere, per iuditium vero opinionis poſſe aliter ſe habere, hæc (inquam) duo iudicia nō opportet vt reperiātur ſimul, quia in opinante aliquādo reperitur contrarium, vt queſtione de natura opinionis viſſum eſt. nec opponūtur priuatiue, quia vnū aſſenſum non dicere conditionem alterius, non eſt priuatiue opponi alteri, ſed dicere negationem, quā includunt quæuis formæ diſparatę: nec proprie duo aſſenſus poſitiui poſſunt priuatiue opponi, quia vnū non poteſt eſſe priuatio alterius. Immo vt egregie notauit D. Thom. 3. p. queſtione ill 1. 9. ſcientia, & opinio valde ſunt ſimiles: tū, quia in eundem finem ordinantur, qui eſt firmare veritatē in intellectu: tū (verba ſunt S. Tho.) *quia opinio ex ſyllogiſmo Dialectico cauſata, eſt via ad ſcientiam quæ per demonſtrationem acquiritur, qua tamen acquiſita, poteſt remanere cognitio quæ per ſyllogiſmum Dialecticū eſt, quia ille qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam magis poteſt cognoſcere ſigna probabilia, ex quibus procedit Dialecticus ſyllogiſmus*. Hæc Sanct. Thomas, quibus verbis nihil addere opportet. Conſtat ergo hæc non proprie opponi. & vt vnica ratione omnia cōplectamur, etiā quæ ad fidē pertinēt

non

Digitized by Google

non poteſt eſſe oppoſitio propria & expellens, vbi diuerſitas mediorum eſt, diuerſæq; rationes formales in ordine ad quas diuerſa de eadem propoſitione iuditia formari poſsũt. Quod enim aliquis dicat hãc propoſitionem Deus eſt vnus, vt ex pręmiſsis euidentibus & neceſſarijs ſequitur eſſe certã, & claram, eandemq; vt ſolum nititur authoritati dicentis, certam eſſe ſine claritate tamẽ, & vt per media probabilia deducitur eſſe probabilem, apertum eſt nullam dicere oppoſitionem, ſed ſolum diuerſas rationes formales quæ in illa reſpectu diuerſorum mediorum reperiuntur, explicari. Vnde numquã poteſt eſſe contradictio dum de eadem hac propoſitione V.g. dicitur eſſe certã, & incertã, obſcuram & clarã, nunquã enim contradictoriæ ſunt eiuſdem de eodem, quia non ſunt de eodem vt idẽ, ſed de eodem materialiter ſub diuerſis tamen rationibus formalibus. Quantumuis ergo fateremur de ratione opinionis & ſcientiæ eſſe illa duo iudicia oppoſita, quibus iudicaretur obiectum non poſſe aliter ſe habere, & poſſe aliter ſe habere, proprie non eſſent oppoſita, quia abſolute non ſic iudicatur, ſed reſpectiue, ſtando ſcilicet in diuerſis medijs, ideſt hæc propoſitio. Homo eſt riſibilis, ſtando in medio demonſtratiuo, non poteſt aliter ſe habere: ſtando vero in medio probabili ex vi ſcilicet illius præciſſè, aliter ſe habere poſſet. Idẽ de propoſitione fidei quæ ſtãdo præciſſè in authoritate dicentis nõ poteſt eſſe clara, quæ alias ex vi ſcilicet medij demõſtratiui clara eſſe poteſt.

Ex his ergo euidens videtur fieri argumentum ſic: ſimultas actuum, opinionis, ſcientiæ, & fidei, non repugnat ex oppoſitione eorum, non enim opponuntur, ſed ſunt actus diſparati vt vidimus: nec repugnat ex pluralitate actuum, quia intellectus poteſt habere plures actus, ergo ex nullo capite.

Sed inſurgunt Authores oppoſiti dupliciter. Primo, quia ſi diuerſitas ſolum mediorum tollit hanc repugnantiam, ſequitur aſſenſum ſcientificum & erroneum ſimul eſſe poſſe circa eandem propoſitionem, quod nullus cõceſsit: eſt enim inter ſcientiam & errorem aperta & clara oppoſitio. Patet ſequela, quia poterit intellectus iudicare propoſitionem veram eſſe per ſyllogiſmum demonſtratiuum, poterit autem iudicare falſam eſſe per fallacem & falſum ſyllogiſmum, & tunc ceſſabit oppoſitio, quia licet ſint eiuſdem eſt tamen reſ-

pectu diuerſorum mediorum. Secundo, quia intellectum ſimul eſſe conuictum, & non eſſe conuictum circa eãdem veritatem omnino repugnat, ſicut abſolute repugnat rem ſimul eſſe & non eſſe, quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ideſt ſimpliciter eſſe aut non eſſe, ſic ſe habet proportionaliter talitas eſſendi, ideſt eſſe conuictum, & non eſſe conuictum, ergo ſicut quantumuis diuerſa media fingas, non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, ſic nec poterit intellectus idẽ circa veritatem eãdem ſimul eſſe conuictus, & ſimul non eſſe conuictus: etenim ex oppoſitione & repugnantia terminorum recte colligitur oppoſitio & repugnantia mediorũ, non ergo compati poſſunt plura media ſimul, ſi termini ad quos ordinantur incompoſsibiles & repugnantes ſint, ſunt autem incompoſsibiles eſſe & nõ eſſe, ergo diuerſitas illa mediorum ſimultanea, etiam ficti tia eſt & impoſsibilis.

Ideo pro completa omnino intelligentia quæſtionis huius Notandum eſt, dupliciter nos poſſe aſſentiri alicui propoſitioni, primo abſolute & vt ſie dicam ſecundum illud quod illa propoſitio habet ex ſe, terminique & connexio eorum in illa, ex natura ſua poſtulant: quod quidem poteſt fieri vel per ſimplicem terminorum notitiam, vel per ratiocinationẽ aliquam, qua ducar in cognitionem illius quod propoſitio ſecundum ſe & iuxta exigentiam terminorum poſtulat. Secundo modo poteſt conſiderari propoſitio formaliſsime vt concluſsio eſt, ideſt ſecũdum id quod poſtulat ex vi & natura illationis: qua ratione non tam iudicatur de eo quod ſecundum exigentiam terminorum & naturam rei propoſitæ poſtulat propoſitio, ſed de eo quod petit, vt ex vitalium præmiſſarum ellicitur, qui duo modi omnino diuerſi ſunt: etenim cum res naturaliter & in ſe determinatam habeat naturam & eſſentiam vnam, nõ ſubeſt vt ſic variationi aut pluralitati, quia vero eadem res poteſt mihi per diuerſa media notificari, vel vt per cauſam cognoſcitur, vel vt per ſigna probabilia innoteſcit, vel vt authoritati dicentis innititur, ideo prior illa cõſideratio tollit variationem & pluralitatem, quam tamen admittit hęc poſterior.

Dicendum igitur eſt in hac quæſtione, hanc poteſteriorem ſententiam quoad duas primas partes eſſe omnino veram, in quibus de ſimultate habituum & habitus & actus loqui-

quitur, ſatisq; probatũ, quoad tertiam vero partem de ſimul tate actuum iuxta prædictam diſtinctionem.

Dico primo, ſi loquamur de aſſenſu iudicante de propoſitione iuxta exigentiam terminorum, & de eo quod ſecundum ſe & ex ſua natura habet, non poſſunt eſſe ſimul actus ſcientiæ, opinionis, & fidei de eadem propoſitione. Probatur aperte, quia ſicut implicat rem aliquam ſecundum ſuam naturam pluralitatem dicere, & vnitatem, & ſecundum ſe eſſe neceſſariam veritatẽ & non eſſe neceſſariam, ſic implicat aſſenſum aut iuditium quod fertur in rem hanc iuxta exigentiam ſuæ naturæ & terminorum de illa iudicare, quod vt ſic illi repugnat, & hoc ſufficienter conuincunt argumenta nunc poſteriori loco adducta pro oppoſita ſententia, recte enim ſequeretur eſſe, & non eſſe, ſi de re ſecundum ſe iudicãs intellectus, & neceſſariam & non neceſſariam iudicaret, & quia quælibet cognitio etiã probabilis tandem tendit ad ferendum iuditium de re ſecũdum ſe, iudicat enim licet probabiliter rem ſecundum ſe ſic eſſe, ideo in hoc priori ſenſu, aſſenſus horum habituum ſunt ſimul incompoſsibiles.

Dico ſecundo, ſi loquamur de propoſitione formaliſsime vt concluſio, ſeu omnino reſpectiue in ordine ad media per quæ illius habetur cognitio, poſſunt optime reperiri ſimul aſſenſus fidei, opinionis & ſcientiæ: & hoc efficaciter probant ea omnia quæ adducta ſunt pro tertia parte poſterioris ſententiæ, etenim vt ſic diuerſę reperiuntur rationes formales in propoſitione deducta, ortæ ex diuerſis medijs quę reſpicit & per quæ deducitur, & ſic potius habet rationem plurium propoſitionum, aut concluſionum, quam vnius tantũ. Quare argumenta hæc poſteriora adducta nihil probant cõtra illã. Ad primũ enim Reſpõdetur, quod ſi circa propoſitionẽ omnino verã, qualis debet eſſe de qua habetur ſciẽtia, poteſt dari ſyllogiſmus falſus (hic enim videtur circa talem propoſitionem impoſsibilis, ſi vera ratio ſyllogiſmi in eo reperiatur & ideo quantum ad hoc non videtur eadem ratio de ſyllogiſmo Dialectico & demonſtratiuo) facile concedam ſequelam, tunc autem proprie non erit error, potius erit veritas in eo quod illa propoſitio quantumuis in ſe vera, formaliter tamen vt falſo ſyllogiſmo deducta, falſa videatur, hoc enim vere ita eſt:

error

error autē qui ꝓprie error eſt & ſcientiæ opponitur, eſt quādo aſſenſus fertur in naturam rei propoſitæ ſecundum ſe. Ad ſecundum Reſpondetur, eſſe & non eſſe ſimpliciter implicare, quia reſpicit obiectum ſecundum ſuam naturam quæ ſemper eſt vna, eſſe autem conuictum vel non conuictum, iā tranſit ad aliquid extrinſecū, quod quia plurificari & variari poteſt, poteſt etiam vt ſic varias & plures denominationes cauſare: qua pluralitate ſuppoſita, non manet intellectus cōuictus & non conuictus ſecundum idem, ſed ſecūdum quod reſpicit hoc medium conueniens & illud non conueniens, & reſpectu veritatis & concluſionis quæ formaliter plures eſt in ſenſu dicto. Vnde ſi maneat ſemper eadem proportio & ratio, in eo quod ſimpliciter dicitur eſſe, & dicitur tale, vera eſt illa deductio; quia cū illud tale pertinet ad eſſe naturæ & ad rei exigentiam & terminorum, ſicut non poteſt ſimpliciter eſſe & non eſſe, ſic non poteſt eſſe & nō eſſe tale: in pręſenti autem non ſumitur illa talitas vt pertinet ad eſſe naturę, ſed vt dicit diuerſos ordines ad extrinſeca. Sed adhuc Reſpondetur ſecundo, negatiuam propoſitionē ſcilicet non eſſe cōuictum, eſſe falſam, quia negatio malignantis eſt naturæ & negat vniuerſaliter. Vnde falſum eſt non eſſe conuictum ſi per demonſtrationē cōuictum eſt.

Dico tamen tertio, licet Metaphiſice verum ſit hos tres actus poſſe eſſe ſimul, practice tamen, vel (vt ſic dicam) moraliter loquendo, impoſsibilis eſt prædicta ſimultas: tū, quia vel ſimultas actuum plurium eſt impoſsibilis, vt fert opinio probabilis: vel ſi poſsibilis, nō omnino facilis, trahensq; maximam attentionis animi diuerſionem, quæ videtur repugnare actui ſcientiæ, quia cum intellectus per actum ſcientiæ perfecte videat obiectum, fere tota vis animæ intenſe fertur in illum actum quo maxime delectatur, ita vt cum maxima difficultate poſsit attemperare, extendere, ſeu plurificare ſuum concurſum, vt actui etiā opinionis & fidei attendat. Actus item fidei diuinæ (de hac enim loquimur, quia actum fidei humanæ cum opinione cō iunximus) propter ſummam obiecti eminentiam, & maximam certitudinem, dicentisq; (Dei ſcilicet) authoritatem, etiam vim & attentionem animę intenſe trahit. Rurſus, cum hæc ſimultas aſſenſuū debeat eſſe de propoſitione formaliſsime vt concluſio eſt, & per ordi

nem

Digitized by Google

nem ad diuerſa me dia, oportet etiam intellectum in aſſentiendo non ſolum rem propoſitam, ſed etiam mediorum diuerſitatem & ordinem ad illã, actu cognoſcere, quæ omnia ſi moraliter & practice loquamur, facile impoſsibilia iudicabuntur, & hoc modo intellecta hæc poſterior ſententia probabilior eſt.

Ad argumẽta prioris, pro vt his noſtris concluſionibus opponuntur Reſpondetur, & primo ad S. Thomam aperte noſtram tenuiſſe ſententiã, quod ſi aliquid in oppoſitum indicet, iuxta prædictam diſtinctionem & doctrinam harũ cõcluſsionum erit explicandus. Ad Ariſtotelem Reſpondetur, loqui de cognitione ſcientifica & opinatiua, vel in aſſenſu qui terminatur ad obiectum ſecundum ſe, & iuxta exigentiam ſuorum terminorum, vel impoſsibile iudicauit de eodẽ obiecto cognitionem ſcientificam & opinatiuam per idem medium: vel tandem tertio loquitur de eodem obiecto identitate formali, quia de eodem, formaliter vt diuerſo, optime poteſt eſſe ſcientia & opinio, vt explicatum eſt.

Ad primam rationem Reſpondetur ex dictis, oppoſitiones illas quæ in argumento adducuntur, non eſſe proprie cõtradictorias, quia non ſunt eiuſdem de eodem formaliter, ſed de eodem ſub diuerſis formalibus rationibus, & in ordine ad diuerſa media. Vel ſecũdo Reſpondetur, negatiuam propoſitionẽ ſemper eſſe falſam, ſcilicet intellectum non habere claram cognitionem, quia vel illa propoſitio negatiua intelligitur abſolute & vniuerſaliter, vt vere debet intelligi, cũ negatio ſit malignantis naturæ & totum deſtruat, & ſic falſa eſt propoſitio, quia vere intellectus claritatem habet per medium demonſtratiuum: vnde ad ſuam veritatem hanc etiam claritatem negare deberet. Si vero ſenſus ſit, intellectus vt fide ductus nõ habet claritatem, tunc vera eſt, eius tamen contradictoria eſſe deberet, intellectus vt fide ductus habet claritatem, & hæc falſa eſt, & nos etiam illã negamus: neq; enim dicimus intellectũ habere claritatem per fidem, ſed per ſcientiam.

Eodem modo Reſpõdetur ad ſecundum & tertium, quia vel illa iudicia quæ in ſecũdo argumento adducuntur, non ſunt neceſſaria vt ſæpe ſatis oſtenſum eſt, vel ſi admittãtur ſecundum diuerſas rationes formales, & in ordine ad diuerſa media, vera ſunt: vel tandem alterum eorum iuditiũ quod æqui-

Digitized by Google

æquiualet negationi cenſebitur falſum, quia non deſtruit vniuerſaliter, illudq; non erit de ratione opinionis, aut ſciẽtiæ, quia iudicium quod poſtulat V. g. opinio, propoſitionẽ debet reſpicere ſecundum rationem formalem concluſsionis illatæ per medium probabile. Ex quo quod ad tertium attinet, falſa eſt illa propoſitio negatiua, ſcilicet intellectus non videt, propter rationes dictas.

Ad quartum Reſpondetur, habitum fidei non manere in patria, quia fides ſuperflua & otioſa eſſet cum clara viſsione, vt concedunt Theologi communiter, iuxta illud. *cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*, & quia fides aliquam connotat imperfectionem, ſcilicet obſcuritatem, quæ proprie reſpicit viatoris ſtatum, quare in perfectiſsimo ſtatu qualis eſt comprehenſoris, conueniens eſt vt in intellectu illius lumen gloriæ habitualiter reperiatur, quo eleuatus intellectus, actu, ſemper, maximaq; attentione, Deum clare viſſum, vltimũ ſui finem appræhendat, propter hæc ergo euacuatur fides. De potentia tamen abſoluta non video quare fidei habitus cum clara Dei viſsione repugnet, ſed de hoc alibi. Et hæc de hac quæſtione. De ſcientiarum ſub alternatione in his Poſteriorum libris diſputant nonnulli, quia tamen mens eſt in quarto tomo huius Philoſophicæ & Scholaſticæ tractationis nõ nulla opuſcula, diuerſosq; tractatus de rebus omnino neceſſarijs quę ſparſim in Philoſophia & Metaphiſica traduntur, in vnum congerere, ibi peculiari tractatu de hac ſcientiarum ſubalternatione, quæ grauis & difficilis eſt, de eſſentia item, & exiſtentia, de habitibus intellectualibus & alijs nonnullis diſſeremus. Hæc nunc de his libris Poſteriorum, & de tota Logica dicta ſufficiant.

✝

Omnia autem hæc & cætera quæ a me quomodolibet dicta, ſcriptaue ſunt, ſacroſancta Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubmitto.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EORVM,

QVAE IN HOC opere continentur Index locupletiſsimus Alphabetico ordine digeſtus.

A

Abſtractum, Abſtractio.

ABſtracta quæ appellant vltimata; impropria cenſenda ſunt; folio 69.

Vnum abſtractum accidentale de alio, prædicatione in quid, qualis eſt generis, & ſpeciei, vere prædicatur; fol. 68. col. 3.

Abſtracta etiam ſubſtantiæ, ſi vt virtualiter, & in confuſſo continẽt rationes & perfectiones inferiores, fol. 70. col. 1.

Secus ſi ratio abſtracta ſuperior ſumatur ſecundum gradum præciſſum, ſeu pro formaliſsima ratione vt ſic, ibidem.

Abſtractum de abſtracto, prædicatione in quale, ſiue ſit quale quid, ſiue omninò accidentale enunciari vere non

non poteſt,ibid.col.2.
Abſtracta & concreta ſecundæ intentionis quomodo inter ſe prædicentur,ibidem col. 3.& deinceps.
Abſtractio alia negatiua, ſeu non contractio, alia poſitiua,qua ratio ſuperior, aut tranſcendens ab inferioribus ſeparatur, fol.171. columm.4.
Hæc poſitiua alia adæquata, alia in adæquata, fol.172. col.1.
Natura per abſtractionem nõ fit vna,f.63.col.1.
Abſtractio alia intellectus agẽtis,alia poſsibilis, f. 60. col. 3.& 4.
Abſtractio alia ſimplex, alia per modum affirmationis, aut negationis, vt quando aliquid non eſſe in alio per modum affirmationis concipimus,f.61.col.1.

Accidens.

Accidens concretum non debet deffiniri per ſubiectum loco generis, fol.77.col.3. & 4.
Accidens dupliciter ſumitur, Phiſicè,vel Logice, ſcilicet pro accidenti prædicabili, & prædicamentali, folio 136.
Accidens prędicabile quid ſit fol.127.
Accidens rectè definitur a Porphirio,ibid.
Accidens per ab eſſe,& ad eſſe ſecundum inhærentiam rationis,affirmationem ſcilicet vel negationem, definitur,f.138.
In Accidenti duplex vniuerſalitas poteſt diſtingui, fol. 140.
Accidens,vt dicit quintũ prædicabile, vox eſt vniuerſa, f.141.
Accidens habet rationem vniuerſalis quinti prædicabilis reſpectu ſubiectorum,f.141.
Accidens in concreto non in abſtracto habet rationem quinti prædicilis,f.142.
Accidens,de nouem prædicamẽtis Analogia dicitur trãſcendentiæ,f.179.col.2.
Accidens completum probabile eſt eſſe vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium,f.179.col.3.
Probabilius oppoſitum,ibidẽ, col.4.
Accidentis eſſentia inhærentia aptitudinalis eſt,non actualis,fol.201.col.3.& deinceps.
Accidentis exiſtentia, ſeu inexiſtentia,eſt inhærentia actualis,f.206.col.3.
Accidentis inexiſtentia realiter modaliter ab eſſentia diſtinguitur, fol.207.col.1.

Actio

Actionis.

Actionis acceptiones diuerſæ, fol. 294. per errorem 301. col. 2. & 3.
Definitio Actionis quam tradit Gilbertus, defenditur ab impugnationibus recentiorum, ibid. col. 4.
Clarius tamen definitur, fol. 295. col. 3.
Diuiditur actio ibid. col. 4.
Proprietates actionum expediuntur, f. 296. col. 1.
Vide *Relatio.*

Analogia.

Analogiæ tractatio ad Metaphiſicum & ad Logicũ etiã expectat, f. 153. col. 1.
Analoga æquiuoca a conſilio dicuntur, ibidem, col. 2.
Analogum, Analogata, & Analogia quid ſint, ibidem, col. 3.
Analogia Grecum nomen eſt, Latine proportio, ſeu conuenientia aut comparatio, ibid. col. 4.
Analogia dicit, inter Analogata identitatem quaſi partitam, magis quam æquiuoca aſsimilaturque vniuocatio-ni, quia identitas & vniuocatio habent rationem boni ad quam tollendam ſufficit integritas, fol. 154. col. 2.
Analogum ad minus duoſem per poſtulat Analogata, & ſi ad vnum tantum comparetur magis accedit ad vniuocum, f. 154. col. 3.
Analogia proportionis dicit habitudinem vnius ad alterum, aut plurium ad vnum, proportionalitas autem eſt proportio proportionum, f. 154. col. 4.
Analoga proportionis definiũtur, & explicatur communis natura, f. 155. col. 3. & deinceps.
Conditiones horum Analogorum, ibid.
Diuidi poſſunt ſecundum quatuor generã cauſarum, fol. 157. col. 3.
Analoga proportionalitatis definiuntur, f. 158. col. 1.
Habent identitatem, & ſimilitudinem, in eadem proportione, ibid.
Poſtulãt quatuor terminos, quia eſt proportio proportionum, ibid.
Alia ſunt propria alia, Metaphorica, ibidem columna 3.
Analogiã proportionalitatis ſe ſolã non eſſe verã Analogiam vrgenter probatur,

&

& ſatis probabile eſt, fol. 158.col.1.

Si res comparentur cum ſuo eſſe,& ratione harum comparationũ conſtituatur proportio, aut proportionalitas,vt ſi dicas ſicut ſe habet hoc ad ſuum eſſe,ſic illud ad ſuum,non cauſatur Analogia,fol.160.col.3.

Vt ſimilitudo inter proportiones cauſet Analogiam, requiruntur duo,& quod non ſit omnimoda in proportionibus ſimilitudo, & quod illa cum diuerſitate ſimilitudo,ſignificetur per nomen, fol.161.col.1.2.

Inter ea quæ ſic proportionalitate Analogantur, alterum extremorum poteſt dici Analogatum præcipuum,ibidem,col.2.

Niſi cum inter Philoſophos de hac agitur Analogia, non videtur nomen aliquod impoſitum ad proportionalitatem quatuor terminorũ explicandam, fol.162.columm.4.

Analogiam ex ſola tranſcendentia non cauſari, vrgẽter probatur,fol.162.col.3.

Analogiam cauſat ſola tranſcẽdentia,fol.164 col.1.2.

Ab Analogatis in quibus ratio ſignificata nomine Analogo,non reperitur intrinſice in omnibus,ſed in vno tãtum,in alijs vero per extrinſecam denominationem,nõ eſt abſtrahibilis vna ratio communis,fol.166.col.4.

Ab Analogatis in quibus reperitur ratio Analogi intrinſece,non poſſe abſtrahi rationem communem, probatur vrgenter,fol. 167. col. 3. & deinceps.

Dari poſſe conceptum vnum in his Analogatis probatur, fol.169.col.2.& deinceps.

Analogia formaliter eſt ſecunda intentio,quæ fit per comparationem ad multa,vt rationem participant partim eandem, partim diuerſam, fol.171.col.2.

Analogum formaliter, vt ſubeſt ſecundæ intentioni Analogiæ, nõn poteſt habere vnum conceptum obiectiuũ, fol.172.col.3.

Analogia tranſcendentiæ dicitur ſubſtantia de completa, & incompleta, fol. 179. col. 2.

Angeli.

Natura Angelica non poteſt denominari ſpecies prædicabilis,fol.99.& deinceps.

Angeli in prædicamento ſubſtantiæ collocantur, fol. 191. col.2.

Etiam ſi Angelos, & res ſpiritualea

rnales cognoſcamus ad modum rei materialis, non tamen formamus conceptus eis repugnantes, f.99.

Aſſenſus vide Præmiſſæ.

C

Compoſitio Metaphiſica.

Compoſitio Metaphiſica ex genere & differentia non eſt realis, ſed rationis, f.80.col.4.

Poteſt dici Conceptum obiectiuum ſpeciei componi ex conceptibus obiectiuis generis & differentiæ, fol. 81. col.3.

Si tamen omnino proprie loquendum eſt, compoſitio Metaphiſica ſolum reperitur in deffinitione formaliter, non in ſpecie, quia ſolū ſumitur ſecundum conceptus expreſſos, f.86.col.2.

Conceptus.

Conceptus vnius rei vnus tantum eſt, licet nomina plura eſſe queant, f.149.col.2.

Conceptus formalis, & obiectiuus quid, f.166.col.1.

Circulus.

Circulus duplex vniformis, & difformis, hic vitioſus non eſt, ille vero vitio non gaudet. f.333.col.3.

Concretum.

Concreta de concretis in terminis primæ intentionis recte prædicantur, ſi habeant ſe ſicut ſuperius & inferius, vel ſi ſint æqualia, fol.68. col.1.

Aliæ regulæ ad has prædicationes, ibid.col.2.

Prædicatio concreti de concreto ſemper eſt vera quoties formæ ſignificatæ per extrema propoſitionis idē habent ſuppoſitum vel ſubiectum, ibidem.

Concretum de proprio abſtracto vere in ſenſu formali prędicari non poteſt, poterit tamen prædicari de alieno, cum forma ſignificata per concretum, eſt in abſtracto de quo prædicatur per modum adiacentis & adhærentis illi, f.70.col.1.& 2.

In terminis tranſcendentibus, & in terminis diuinis vere concretum de proprio abſtracto & e contra prædicantur,

Digitized by Google

tur,f.71.col.1.
Concreta in Prædicamento ſubſtantiæ ponuntur per ſe, nō abſtracta,f.181.col.3.
Concretum accidentis ſiue cō notatiuum per ſe ſolam formam ſignificat, ſubiectum autem innuit aut connotat, f.75.col.1.

Cœli.

In prædicamento ſubſtantiæ collocantur per ſe & directe,f.191.col.2.

D

Definitio & Definitum.

DEfinitio generis deſcriptiua explicatur,f.72.col.3.
Definitio eſſentialis generis,quæ ſit,f.73.col,2.
Definitum in definitione generis eſt ſecunda intentio in concreto connotans naturam,f.76.col.2.
Propria & doctrinalis definitio tantum datur de ſpeciebus,& non de indiuiduis, f. 101,col.4.
Definitiones indiuidui explicātur,f.102.co.3.& deinceps.

Denominatio.

Denominatio extrinſeca , in quo diſtinguatur ab intrinſeca,fol.32.
Natura Denominationis extrinſicæ , diſtincte & clare explicatur,f.33.& 35.
Si Denominatio ſumatur omnino formaliter, licet actus denominandi ſit actus rationis,ipſa tamen denominatio , & res formaliter vt denominata , non pertinet ad ordinem rei, ſed ad ordinem nominis, & quomodo ſit hoc intelligendum, f.33. & 34.
Denominatio extrinſeca fundamentaliter ſumpta a parte rei eſt,f.34.
Licet Denominatio extrinſeca ortum habeat a forma reali, nihil tamen reale ponit in re denominata,ſed tātum intelligimus in illa aliquid rationis, ibid.

Denominatiua.

Denominatiua definiuntur, f. 146.col.4.
Denominatiuorum quatuor conditiones explicantur folio 151.colum.4.& deinceps.

Denominatiua media ſunt inter æquiuoca & vniuoca.fo. 152.col.2.

Deus.

Deus entia rationis per ordinem ad creatum intellectũ, eius operationem perfecte comprehendendo cognoſcit,fol.36. per errorem 39. col.1.& deinceps.

Et hoc modo entia rationis cognoſcendo, vere & proprie facit illa,ibid.

Deus ſupplere poteſt vicem ſubiecti, aut materiæ, non quoad vniri,& componere, recte tamen quoad ſuſtentare,f.206.col.4.

Deus ſubſtantia ſupra ſubſtantiam, ideoque in prædicamento non collocatur, fol. 187.& deinceps.

Differentia.

Differentiæ indiuiduales diuidunt, & contrahunt etiam communiſsimas rationes, f. 54.col.2.

In Differentia duæ rationes inueniuntur,& faciendi differre,& prædicabilis,fol. 106. col.1.

Differentia in communem, propriam , & propriiſsimam adæquate diuiditur, fol.113.col.1.

Si ſecunde intentionaliter ſumantur diuiſum, & membra diuidentia, eſt generis in ſpecies, fol.110. columna 4.

Si primo intentionaliter,Analogi in Analogata, ibidem, col.2.

Si nomine Differentiæ propriæ,propria paſsio intelligatur,hæc diuiſio erit generis in tres ſpecies, f.111. col.3.

Ratio formalis differentię Meraphiſicæ tam propriiſsimę quam propriæ, & communis,non eſt realis, ſed rationis, fol.107. col.1. & deinceps.

Differentię inter ſe nullo ex quatuor propriis oppoſitionũ generibus opponuntur, fol. 115.col.3.

Differentia propriiſsima non includit eſſentialiter genus,neque continetur ab illo,fol.116.colum.2.& deinceps.

Differentia indiuidualis ad propriiſsimam poteſt pertinere, propria paſsio ad propriam,fol.114.colum.1. & 2.

Differentia inferior ſuperiorem includit materialiter, non tamen formaliter, fol. 119.col.1.

Di-

Differentia propriiſsima eſt gradus quidam ſimplex & incompoſitus, f.119.col.3.
Differentiæ vniuerſalitas, in infima, & ſubalterna eſt eiuſdem rationis, f.123.col.1.
Oppoſitum ſatis probabile, f. 122.col.4.
Differentia, vt prædicabilis eſt definitur, f.124.col.3.
Porphirius tantum definiuit differentiam ſubalternam, eius tamen definitio de omnibus differentijs explicatur, fol.126.col.1.& 2.
Differentiæ vniuerſalitas, in ordine tantum ad indiuidua attendi debet, fol. 123. col.4.
Differentia quare nō ponatur in recta linea expenditur, & ratio incompletionis non omnino probatur, fol. 181. col.1.
Differentia ſpecifica addit nouum gradum eſſentialem, f. 95.col.2.

Diſtinctio.

Diſtinctio rationis alia ratiocinatæ, ſeu cum fundamento, alia rationis ratiocinantis non habens fundamentum à parte rei, fol. 39. columu.3.
Quot ſint genera diſtinctionū fol.79.col.2.
Tantum ſunt duo diſtinctionis genera, nec diſtinctio media admitti debet, fol. 79. col.3.
Genus & differentia non diſtinguuntur realiter, fol.80. col.1.
Diſtinguuntur tamen ratione ratiocinata, ibid.col.3.
Dirigibilitas, vide obiectum Logicæ.

Demonſtratio.

Duæ demonſtrationis deffinitiones, f.320.colu.3.& deinceps.
In Demonſtratione quid ſint propoſitiones primæ & immediatæ. fol.321.col.2.& 3.
In propoſitionibus negatiuis quæ ſint immediatæ, f.322. col.1.
In demōſtratione, aſſenſus præmiſſarum firmior eſt & perfectior aſſenſu concluſsionis per ſe loquendo, f.324. col.3.
Explicat Axioma Philoſophi, propter quod vnum quodq; tale & illud magis, ibi. col. 4 & deinceps.
Qua ratione demonſtratio debeat procedere ex propoſitionibus de omni, per ſe, & vniuerſali, & quid horum nomine intelligi debeat. f. 325.

Digitized by Google

325.col.3.& deinceps.
Demonſtratio quia & propter quid deffiniuntur, fol. 328. col.3.
Adęquate in illas diuiditur demonſtratio in communi, fo. 329.col.4.& deinceps.
Demonſtratio quidditatis aut identica, non eſt proprie demonſtratio, f.330.col.4.
Demonſtratio propter quid eſt vna ſpecies infima, demõſtratio vero quia, eſt ſubalterna, f.322.col.3.& 4.
Conuerſio demonſtrationum quando ex *quia* fit *propter quid*, non eſt vitioſa. f. 333. col.2.& 3.

E

E N S.

ENtis inferiora in ratione entis, & differunt, & conueniunt, f.165.col.1.
Entis conceptus, in quo ſenſu dicatur ſimplicissimus, ibi. col.2.
Entis conceptus licet ſimplicissimus, ęquiualet pluribus, & ideo in eius ratione communiſsima poteſt & diuerſitas, & identitas exerceri, ibid.col.4.
Ens abſtractione poſsitiua adæquata, & totali, non poteſt habere vnum conceptũ obiectiuum, niſi ſolum ſecũdum conceptum expreſsiſſimum, f.172.col.4.
De ente abſtractione negatiua ſeu vt nõ cõtracto, poteſt dari conceptus obiectiuus ſimpliciter vnus, f.173.col.1.
Abſtractione poſitiua inadæquata, & incompleta, poteſt dari abſtractus conceptus entis vere vnus, ibidem, colu.2.
Ens dicitur de ente rei & rationis Analogia proportionis, & aliquo modo proportionalitatis, f.175.col.3.
De Deo & creaturis Analogia attributionis, non proprie proportionalitatis, fol.177. col.1.
De ſubſtantia & accidenti ſimiliter, f.178.col.2.
Analogia item tranſcendentiæ, ibid.
Paſsiones entis quæ opponuntur priuationi aut nihilitati quamcumque formalitatem illius conſequũtur non vero quæ aliquo modo opponuntur enti poſsitiuo, fo. 55.col.2.

Ens Rationis.

Entis rationis cõſideratio qua ratione expectet ad Logicum, f. 27.col.1.
Ens rationis multipliciter ſumi poteſt, ibid.col.3.

Ens

Ens rationis propriè ſumptum, eſt quod tantum habet eſſe obiectiue in intellectu & nihil aliud pro eius definitione deſideratur fol. 28. col. 2. & 3.
Ens rationis poteſt habere eſſe obiectiue in intellectu cognoſcente rem ſicuti eſt, ſi cognoſcatur in ordine ad cognitionem alterius, f. 28. & 29.
Ens rationis non ſolum poteſt cognoſci per intellectū cognoſcentē rē ſicuti eſt, ſed etiam fieri, f. 29. col. 3.
Idem numero ens rationis factum ab vno intellectu poteſt fieri ab alio, f. 29. col. 4.
Entia rationis, quæ non habent fundamentum in re, vt chimerica, fingi ab imaginatione quæunt, f. 38. col. 2.
Abſolute loquendo ens rationis proprie dictum, non eſt antequam cognoſcatur, fol. 38. col. 3.
Ens rationis per eandem cognitionem cognoſcitur per quam fit, fol. 38. col. 4.
In entibus rationis poſſunt eſſe prædicata ſuperiora ſine inferioribus, f. 39. col. 2.
Ens rationis in illud quod habet fundamētum, & in illud quod tali fundamēto caret, optime diuiditur, f. 39. co. 3.
Ens rationis fundamentum habens in re communiter, & vere diuiditur in negationē, priuationem, & relationem rationis, f. 40. col. 1.
In quo diſtinguatur priuatio a negatione, f. 40. col. 4. & deinceps.
Priuatio & negatio rationis, ſpecie diſtinguuntur, fo. 42. col. 2.
Quare ſicut relatio dicitur rationis non ſic dicitur negatio, ibid.
Si proprie, & in rigore loquendum eſt, non dantur entia rationis in cæteris prædicamentis præter relationem, f. 42. & 43.
Aliquo modo dici poteſt dari in alijs prædicamentis V. g. Quātitas rationis & Qualitas, f. 43. col. 4.
Vide verbo *obiectum Logicæ*.

Ens per ſe, & per accidens.

Ens per ſe conſtat vna vnius prædicamenti natura, ens vero per accidens, naturis diuerſorum prædicamentorum, f. 75. col. 2.
Aggregatum ex natura, & ſecunda intētione eſt ens per accidens, ibid. col. 4.
Ens per accidēs definiri vnica definitione nō poteſt, ib. c. 3
Ens per ſe quot modis ſumatur, f. 239. col. 3.
Ens p ſe p cōpoſitionē cōſtare poteſt pluribus entibus in actu

actu facientibus aliquo modo vnũ ſcilicet ſecũdũ ordinẽ,ibi.col.4.

AEquiuoca.

AEquiuoca definiuntur, fol. 143.col.2.
AEquiuoca vt cõueniũt in nomine & ratione ęquiuocorũ vniuocãtur,f.150.col.1.
AEquiuocũ etiã ſi plura ſignificet,tantũ eſt vnũ nomẽ ſignificatiuum,ibi.col.2.

F

Filius.

Filius duplici relatione refertur ad patrem & matrem,ſi mater tantũ paſſiue concurrit ad generationem,f.272.col.3.& 4.
Vnica vero,ſi actiue,ibid.

Fides.

Fidei habitus cur in Patria nõ maneat,f.348.col.3.
Fides ſic in communi eſt cognitio ſine diſcurſu alterius partis determinatæ propter authoritatem dicentis, f.339.col.3.
De ratione fidei eſt, aſſenſus ſine diſcurſu,ibi.co.4.& f.340.
Niſi diſcurſus ſit quaſi vehiculum trahens motiuum,& rationem aſſentiendi,fol.340. col.3.
Ad fidem antecedere poteſt diſcurſus,ibi.
Obſcuritas de ratione fidei eſt, non tanquam aliquid eſſentiale,ſed tanquã quid conſequens,f.341,col.1.
Ad aſſenſum fidei requiritur ex parte voluntatis pia affectio,ibi.col.3.& 4.
Vide verbo *ſcientia & opinio.*

Forma & figura.

Quod a Mathematicis figura, a Phiſicis forma dicitur,fol. 292.col.1.
Figura quãtitatiua quæ eſt diſpoſitio partium in ordine ad ſe,ad hanc ſpeciem pertinet,non localis,ibi.col.3.
Aſperum,& lene in ratione figuræ ad hanc ſpeciem pertinent,ibi.col.4.

G

Genus.

Genus in definitione generis tam eſſentiali quam deſcriptiua eſt vniuerſale,f.77.col. 3.& 4.
Genus & differentia a tota rei entitate ſumi debent ſecundum diuerſam rationem,fo. 82.col.2.

Quo

Quomodo verum ſit Axioma illud, genus ſumitur a materia, differentia a forma, ibi. col. 4.

Natura generica poteſt habere reſpectum totius potentialis & actualis, & ſimiliter partis actualis & potentialis, ſub diuerſis conſiderationibus, f. 83. col. 2. & 3.

Genus prædicatur vt totum quoddam potentiale, f. 85. col. 1.

Probabilius eſt per accidens eſſe ad hoc vt genus prædicetur}, quod ſit totum vel pars, poteſtq; prędicari vtroq; modo, f. 86. col. 1. & 2.

Genus non prædicatur immediate de indiuiduis generis vt genus eſt, bene tamen vt ſpecies, fol. 91. col. 2.

Genus & ſpecies Phiſice & Metaphiſice conſiderata, in vnico indiuiduo conſeruari poſſunt, Logice vero plura requirunt ſaltim poſsibilia, f. 95. col. 4.

Genera etiam ſi magis vniuerſalia ſint, quam ſpecies, non tamen ſunt magis ſecundæ ſubſtantiæ, f. 200. col. 4.

Diuerſæ acceptiones Generis tam realis quam intentionalis, f. 72. col. 1. & 2.

H

Habitus.

Habitus intellectus quorũ beneficio certo & ſine errore verum aliquod naturaliter deprehendimus ſunt quinq; , intelligentia, ſapientia, ſcientia, prudentia & ars, f. 15. col. 1.

Habitus primorum principiorum quid ſit. f. 15. col. 1.

Diuerſæ acceptiones habitus, f. 283. col. 1.

Pro qualitate conuenienti aut diſconuenienti ſubiecto difficile mobili ab illo ab intrinſeco, eſt prima ſpecies Qualitatis, ibi. col. 2.

Primo & per ſe reſpicit eſſe ſubiecti & quaſi ſecundario cõſequenter operari, ibidem, col. 3.

Diſtinguitur ſpecie a diſpoſitione, f. 286. col. 2.

Quid velit Ariſt. quando habitum diſpoſitionem appellat, f. 283. & 284.

Habitus, alius ſecũdũ rẽ & modum, alius ſecundum modũ tantum, idem de diſpoſitione, f. 285. col. 4.

Habere.

Non eſt denominatio extrinſeca, f. 301. col. 2.

Eſt

Eſt quidam actus, ſeu modus medius inter habentem & rem habitam, ad modum quo actio mediat inter agens & effectum, & hoc explicatur, f. 300. col. 4.

I

Indiuiduum.

INdiuiduum ſub ratione cõmuni Analoga definiri poteſt, f. 101. col. 1.
Indiuiduum etiam determinatum vt Petrus definiri poteſt, ibid. col. 4.
In terminis indiuiduis & ſingularibus poteſt eſſe prædicatio inquid, & in quale, ſicut in terminis communibus, f. 103. col. 3.
Omne indiuiduum prędicatione identica prædicabile eſt de vno, f. 103. col. 4.
Aliqua ſunt indiuidua quę prędicari poſſunt prædicatione directa, & formali, licet non omnino ſcientifica, fo. 104. col. 1.
Indiuiduum vagum non cõſtituit diſtinctum prædicabile, neque eſt vniuerſale, fol. 104. col. 4.
Indiuiduum per collectionem proprietatum prime intentionaliter definitur, fo. 104. col. 4.
Indiuiduum ſecunde intentionaliter definitur per hoc quod eſt prædicari de vno tantum fol. 102. col. 3.

Infinitum.

Infinitum aliud ſimpliciter, & in omni genere, aliud ſecundũ quid & in genere determinato. f. 189. col. 1.
Vtriuſque differentia quoad poſſe conſtitui in prædicamentis, ibid.

Intentio.

Intẽtio in communi & germana ſua ſignificatione, quid ſignificet, f. 44. col. 3.
Intentio formalis & obiectiua quid ſignificent, ibid.
Diuiduntur in primam & ſecundam, f. 45. col. 1.
Secunda intentio obiectiua, latius patet quam ens rationis, ibi. col. 2.

L

Logica.

LOgica naturalis vere & proprie datur in homine, f. 2. col. 4.
Logicæ Encomia, fo. 5. col. 2. & 3. & f. 25. & 26.
Etiam datur Logica artificia-

Digitized by Google

lie naturaliter acquiſibilis, fol.3.col.2.
Inuenta fuit experimento & virtute naturalis Logicæ,f. 4.col.3.
Inter Græcos maxime floruit f.4.col.1.
Logicæ inuentor abſolute Ariſto. nuncupari debet,ibid. col.2.
Quid nomine Logicæ docentis & vtentis ſignificetur, & quid ſint,fol.12.& 13.
Logica docens , & vtens per omnes Logicæ partes diuagatur,f.14.col.1.
Logica docens & vtẽs, vnus & idẽ habitus,f.14.col.2.
Peculiari ratione reſpectu rerum Topicarum Logica dicitur vtens,ibi.
Tam docens,quã vtens ſciẽtia eſt,f.16.& 17.
Etiam agens de ſyllogiſmo Topico & Sophiſtico,ibid.
Logica in quo ſenſu dicatur modus ſciendi,f.17.col.4.
Logica ſcientia ſpeculatiua eſt tantum,nullo modo practica,f.23.col.2.
Non tamen eſt Theorica, ibidem.
Non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias in eſſe imperfecto,f.24.col.3.
Eſt tamen ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas illas perfecte & ſine errore,ibi.co.4.
Vtiliſsima eſt ad omnes ſcientias,f.26.
Vide obiectum Logicæ.

Linea.

Linea vera quãtitatis ſpecies eſt, etiam ſi ſuperficiem continuet,f.227.col.2.
Lineæ ratio tantum eſt longitudo, & ſuperficiei tantum latitudo, & corporis ſolum profunditas, fol. 229. col.1. & 2.
Longitudo duplex , & duplex latitudo diſtingui poſſunt, ſatis probabiliter idq; defẽditur,f.230.& deinceps.
Lineam & ſuperficiem non eſſe veras ſpecies Quãtitatis, vt ſatis probabile defenditur,ibi.præcipue 232.

Locus & ſuperficies.

Superficies concaua, & conuexa quid ſint,f.232.col.3.
Locus & ſuperficies non ſunt diſtinctæ ſpecies Quantitatis,ibid.col.4.

M

Modus.

Modus alius tãtum eſt cõplementum alicuius in illo genere , & hic ſpecies eſſe non poteſt, alius, qui licet

licet ſequatur ad aliud non illud complet in ſua ratione,ſed eſt in diuerſo genere ab illo, vereq; completum ens,f.292.col.2.

Motus.

Satis probabile eſt duratione motus non dari, licet detur menſura illius, quia motus non perſiſtit in eſſe, fo.298. col.2.

N

Numerus.

NVmerus triplex, numerãs numeratũ & ipſa formalitas numeri.f.237.co.3.

Numerus numeratus habet cõplementum a ratione, numerus autem formalis ante intellectum eſt. f.237.col.4. & 238.

Numerus coniunctus, & applicatus rebus quid reale eſt, abſtractus vero V.g. ternarius vt ſic,abſtrahit etiam a reali & rationis,f.238.col.2 & deinceps.

Numerus,vere eſt vnũ per ſe, licet intra genus entis perſe ſit quid impfectũ,f.240.c.2.

Numerus etiã ſi ſit multitudo vnitatũ quomodo ſit vnũ p ſe,f.241.c.1. (ſpecies,ib.c.2

Numerus vera eſt Quantitatis Eſt ſpecies ſubalterna.ibid.

Numeri forma non eſt vltima vnitas,f.242.per totum.

Numerus ſucceſsiuorũ,ſine vllo ordine aut harmonia ad ſpeciẽ numeri pertinet, fol. 244.col.3.

O

Obiectum,obiectũ Logicæ.

OBiectum ſubiectũ, & materia reſpectu ſciẽtię p eodẽ ſumuntur,fol.5.col.3.

Diuiſsio tradita ab authoribꝰ obiecti formalis in rationẽ quæ,& rationẽ ſub qua, quo modo ſit intelligẽda,f.6.c.2

Quid ſint obiectũ materiale & formale,f.5.col.4.

Obiectũ materiale debet aliquo modo pertinere ad obiectũ formale,& conducere ad cognitionem , aut praxim illius,f.6.col.2.

Ratio formalis *quæ* vt denominetur obiectũ formale,in ordine ad rationem *ſub qua* ſumenda eſt,f.6.col.3.

Nõ ſpecificat ſciẽtias ratio formalis *ſub qua* obiecti ſeorſũ ſumpta,neq; ratio *quæ*,ſed vtraq; vt vnũ obiectũ formale *quod* cõponit,f.6.col.4.

Conditiones obiecti adęquati fol.7.col.1.

In adæquatum aliud principale, aliud minus principale, ibid.col.2.

Obiec-

Digitized by Google

Obiectum formale Logicæ nō eſt ens rationis,f.9.col.1.
Obiectum Logicæ ſunt operationes intellectus vt dirigibiles,ne errent in ordine ad veritatis aſſecutionem, ibidem.
Dirigibilitas hæc eſt quid reale in ipſis operationibus, f. 11.col.1.
Ad materiale obiectum Logicæ ens rationis pertinet,prout conducere poteſt ad dirigendas operationes intellectus,f.12.col.2.
Obiectum principale Logicæ eſt demonſtratio, ibidem col.3.
Obiectum formale adæquatū libri prædicabilium, eſt vniuerſale in communi: ratio vero *ſub qua* eſt quatenus iſta vniuerſalia ad actus rationis dirigendos deſeruire poſſunt,f.47.col.3.& 4.
Obiectum libri Poſteriorū eſt ſyllogiſmus demonſtratiu9, f.302.col.3.

Opinio.

Explicatur definitio opinionis adducta ab Ariſt. nempe eſſe aſſenſum propoſitionis immediatæ non neceſſariæ,f.337.col.3
Opinio eſt cognitio diſcurſiua,ſeu aſſenſus determinatę alterius partis cum formidine,f.338.col.2.
Formido in opinione, non eſt quid priuatiuum ſed ipſemet aſſenſus, & in illo virtualiter incluſum eſt iudicum de poſsibilitate ſui oppoſiti,ibid.col.4.

Oratio.

Oratio vt eſt ſpecies Quantitatis quid ſit,fol.242.col.1. & 2.
Præter ſucceſsionem in vnitatibus requirit aliquam harmoniam,ibid.col.3.

P

Praxis.

Praxis & practicum, quid ſignificent,f.18.col.3.
Praxim eſſe actum alterius potentiæ ab intellectu multis defenditur,fol. 19. & deinceps.
Practicum eſſe,poteſt conueni re operationi quæ non eſt praxis, ſi tamen ordinetur ad illam.f.20.col.2.
Practica ſcientia,alia eſt actiua,alia factiua,f.19.col.4.

Prædicatio Prædicabile.

Prędicatio ſeu attributio,quid ſit,& quotuplex, fol. 66. & de-

Digitized by Google

deinceps.
Prædicatio identicà poteſt eſſe etiam ſi eadem realitas diuerſis formalitatibus ſignificetur,f.66.col.2.
Prædicabilia ſunt tātum quinque,f.143.col.2.
Sex eſſe probabile eſt,fol.122.col.4.

Prædicamentum.

Prædicamentum eſt prædicabilium ordinatio,& quæ ponantur, aut excluduntur ab illo f.180.& deinceps.
Prędicamenta accidentium in recta linea ex abſtractis cōponuntur,f.181.col.4.

Præcognitum,Præcognitio.

De toto principio non eſſe pręcognoſcendum quid ſit, ſed an ſit verum,f.311.col.2.
Huic non obſtat præcognoſci, quid ſignificet,ibi.
De paſsione recte poteſt præcognoſci an ſit,pro eſſe,non tamen an ſit,ideſt an conueniat ſubiecto,f 311 col.4.
De illa præcognoſcendum eſt, quid ſit,ibi.col.3.
De ſubiecto præcognoſcendū eſt An ſit,& quid ſit, & hoc explicatur,f.312.col.4.
Doctrina præcognitionum, & præcognitorum ab Ariſtotele tradita non habet locum in demonſtratione quia,ibi.
Nomine principij præcogniti,principium proximum, & proportionatum cuilibet demonſtrationi debet intelligi,f.309.col.2.

Paſsio & paſsibilis qualitas.

Paſsionis acceptio multiplex, f.289.col.3.
Actio & paſsio,alia perfectiua alia corruptiua,f.290.
Eſſentia huius ſpeciei conſiſtit in hoc quod ſit per ſe terminus alicuius actionis, ſiue corruptiuæ,ſiue perfectiuæ, f.291.col.1.
Paſsio & paſsibilis Qualitas tātum differunt accidentaliter per hoc quod eſt diu durare,& ſcito tranſire, fol. 291.col.2.

Proprium,Proprietas.

Proprium quarto modo ſumptū in omni acceptione proprium eſt,f.129.col.1.
Diuiſsio proprij in quatuor acceptiones eſt Analogi in Analogata,ibi.col.2.
Dari poteſt aliquod accidens ab eſſentia dimanans, quod nō ſit proprium quarto modo,f 129.col.1.
Proprium ſub ratione proprij quomodo definiendum ſit, f.130.

Ratio formalis proprij ſpecifici, vt ſic, non eſt realis, ſed intentionalis, f.131.col.2.
Proprietates tranſcendentales, & illa etiam quæ ordinātur ad actum, & formā ſubſtantialem recipiendam, nō differunt realiter a ſuis ſubiectis, f.132.col.2.
Hæ non poſſunt per diuinam potentiam ſeparari ab illis, ibid.col.4.
Secus, quæ diſtinguuntur tanquam res a re, ibid.
Proprium vt vniuerſale definitur, f.132.col.3.
Proprium in quarta acceptione ſumptum rationem habet quarti prædicabilis, nō vero proprium de ſecundo modo, f.134.col.2 & 3.
Proprium non habet rationē vniuerſalis reſpectu ſpeciei, ſed reſpectu inferiorum, fo. 135.col.1.

Præmiſſa.

Præmiſſæ concurrunt aliquomodo in genere cauſæ materialis ad aſſenſum concluſionis, f.314.col.1.
Sed & in genere cauſæ formalis extrinſicæ, ibid.col.2.
Quoad reſolutionem poſſunt dici præmiſſæ finis concluſionis, concluſio enim in principio reſoluitur, ibid. col.3.
Aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa efficiēs reſpectu aſſenſus concluſionis, f.315.col.1.
Poſito aſſenſu præmiſſarum, & cognita illationis bonitate, neceſsitatur intellectus ad aſſenſum concluſionis, tam quoad exercitium, quam quoad ſpecificationem, 317. & 318. etiam in propoſitionibus probabilibus ibid.
Præmiſſæ conſiderari poſſunt vt ſunt enuntiationes quaſi diſparatæ & ſeorſum, & prout componunt ſimul cum concluſione vnum diſcurſum, f.315.col.4.

Q

Qualitas.

Definitio Ariſtotelis, ſcilicet Qualitas eſt, qua dicimur eſſe quales defenditur, f.281.col.1.
Expenditur illa particula, dicimur, f.281.col.2.
Quomodo qualitas per quale, & quale per qualitatem definiri poſsint ſine vitio circuli, f.282.col.3.
Sufficientia ſpecierum Qualitatis deſumitur, fol.292.columna.4.
Proprietates qualitatis explicantur, f.293.col.1.

Digitized by Google

Quando.

Quid ſignificet vox quando, f.297.col.3.
Quando, eſt id quod ex adiacentia temporis relinquitur, ibid.col.4.
Explicatur prædicta definitio f.298.col.1.
Probabile eſt prædicamẽtum quando nihil aliud eſſe, quã durationem intrinſecã rei temporalis explicatam per ordinem coexiſtentię ad aliam durationem verã, aut imaginariam, ibid.
Probabilius eſt durationes intrinſecas rerum permanentium etiam Angelorũ pertinere ad hoc prædicamentum, ibid.col.3.
Et eſſe quoddam accidens ex natura rei a ſubſtantia diuerſum, ibid.
Definitur melius, eſt præſentia rei in ſpacio temporis veri, aut imaginarij, ibid.

Quantitas.

Quantitas alia molis, alia perfectionis, f.208.col.5.
Quantitas quid ſit, & quare in concreto definita ab Ariſt.f.209.col.1.& 2.
Quantitatem eſſe Quantam in quo ſenſu verum ſit, f.209. col 3.& 4.
In Quantitate triplex extẽſio, alia in ordine ad ſe, alia localis ſeu ſitualis actu, alia vero aptitudine, f.210.co.4.
Diuiſibilitas radicaliter, ſeu extenſio partium, quarum quælibet natura ſua poſtulet eſſe extra aliam, vel ſecundum locum, vel ſecundũ durationem, eſt ratio quantitatis, f.215.col.2.
Quantitatis paſsiones explicã tur, f.220.& deinceps.
Quantitatis diuiſiones adductæ ab Ariſtot.explicantur, f.224.& deinceps.

R

Relatio.

INter indiuidua diuerſę ſpeciei non eſt relatio ſimilitudinis realis fundata in natura generica, fol.81. col.2.
Ad relationem tria requiruntur, fundamentum, terminus, & ipſa habitudo, f.247. col.1.
In relatione non mutua probabile eſt non opportere vt vtrumque extremum exiſtat realiter, probabilius tamen oppoſitum, f.250. col. 1.& 2.
Quomodo ſit relatio inter productiuum & producibile, f. 250.col.4.

Re-

Relationum fundaměta quot, & quæ, f.252.& deinceps.
In relationibus, primi & tertij generis fundamentum habet modum formæ per quā conſtituuntur extrema in ratione extremorum, non ſic in relationibus ſecundi generis, f.256.col.4.
Relationes tertij generis dependent in fieri a potentia productiua formali & a conditione fundandi, quę eſt actio, non tamen in conſeruari, etiam ſi potentia productiua formalis fundamentum proximum ſit, f.257.col 2.
Relatio ex parte ſciĕtiæ ad ſcibile eſt realis non e contra, & quare, f.259.col.1.
Relatio non poteſt eſſe fundamĕtum alterius relationis, bene tamen alia accidĕtia abſoluta, f.260.col.4.
Relatio diſtinguitur realiter a ſuo fundamento, & ſic ſentit S.Tho.f.263.col.3. & deinceps.
Separatio relationis a fundamento neceſſario hanc arguit diſtinctionem, fol.265. per totam.
Relatio mutua haud dubie terminatur ad abſolutum, fol. 268.col.4.& deinceps.
In relationibus mutuis licet terminus formaliter ſit quid abſolutum, debet eſſe fundamentaliter quid reſpectiuū, vt in illo reſultĕt relatio per quam iterato reſpiciat ſuū correlatiuum, f.269.col.4.
Vnum relatum debet definiri per aliud, non vt relatiuum eſt, ſed vt terminat, ac proinde vt eſt quid abſolutum, f. 270.col.4.
Relatio quaſi initiatiue ſpeciem ſumit a fundamento, completiue a termino formaliter ſumpto, ſeu in ordine ad illum, f.272.col.2.
Eſſe *in* includitur in eſſe *ad*, illud tamen ſic incluſum eſt relatiuum, f.273. col.1.& 2.
Vnum tantum datur generaliſſimum in prædicamento relationis, f.275.col.2.
Notandæ differentiæ inter relationes ſecundum eſſe, & ſecundum dici, ibidem, col. 3.& deinceps.
Proprietates relatiuorum explicantur, f.277.col.3.
Relatio in rigore in indiuiſsibili conſiſtit, ibid.col.4.

S

Species.

SPeciei plures acceptiones, f.88.col.3.
Speciei ſubijcibilis definitio a Porphirio traditur recte, f.90.col.2.
Species non conſtituitur in eſſe

ſe vniuerſalis Logici per habitudinē ad ſuperiora, f.93. col.7.
Species ſubijcibilis denominat naturam communem negatiue, ibid col.3.
Speciei vt vniuerſalis, & prædicabilis eſt, traduntur, & explicantur definitiones, f.95. col.1. & 2.
Species Metaphiſice ſumpta poteſt quoad omnem perfectionem eſſentialem in vnico conſeruari indiuiduo, genus autem non habebit in vnica ſpecie vniuerſam & omnimodam perfectionem eſſentialem, quæ illi a differentijs ſpecificis ſuboritur, f.96. col.3.
Genus naturaliter non erit in vnica ſpecie, ſpecies vero aliquando erit, immo & eſt in vnico indiuiduo, fol.96. col.4.

Speculatio.

Quid ſit ſpeculatio, & ſpeculatiuum, f.19. col.2.
Speculatio dicitur quaſi ſpecu latens cognitio, ibidem, col.3.
Speculatiua ſcientia in quo diſtinguatur a practica, f.19. & 20.

Subſtantia.

Subſtantiæ variæ acceptiones, fol.183. col.3.
Subſtantia non conſtituitur per non eſſe in alio, aut per rationem ſubſtandi accidentibus, f.184 col.1.
Subſtantia ſic in communi cōſtituitur per eſſe per ſe, abſtrahēdo a completo, & incompleto. f.185. col.1.
Subſtātia generaliſsimum prædicamentum dicit ſubſtantiam completam, finitā, proprie per ſe exiſtentem tam ex parte rei ſignificatæ, quā ex parte modi ſignificandi, f.183. col.3.
Subſtantiæ conceptus, qui diuiditur in primam & ſecundam eſt communis, per quā dam participationē vnius membri diuidentis ab alio & quę ſit hæc ratio late explicatur. f. 194. col.4. & inceps.
Hoc modo hæc diuiſio eſt Analogi, in Analogata. f.195. col.3.
Alij modi explicandi prædictam diuiſionem, tan primo, quam ſecundo intentionaliter. f.195. col.4.
Subſtantiæ primæ, & ſecundę Definitiones. f.199.
Deſtructis primis ſubſtantijs, nihil aliorū remanere, quo modo intelligatur. f.201. co 2.
Subſtātię proprietates enumerantur, & explicantur. f.201 col.3. & de inceps.
Subſtātia materialis, ſine Quātitate

titate partes habet,neq;hoc vllo modo eſt contra S.Th. f.217.col.3.& deinceps.
Subſtantia poteſt eſſe fundamentum relationis,fo. 260. col.4.

Scientia.

Duplex ſcientiæ deffinitio ab Ariſt.adducta explicatur,f. 334.col.3.& 4. & deinceps.
Explicatius deffinitur ſua, fo. 335.& deinceps.
Euidentia requiſita ad ſcientiam quid ſit,f.336.col.4.
Duplex euidentia obiectiua, & ex parte potentiæ declaratur,ibid.col.1.
Sciẽtia opinio,& fides, ſumptę pro habitibus,ſimul eſſe poſſunt in eodem intellectu, f. 343.col.4.
Scientiæ habitus cum actu fidei aut opinionis & e contra,non repugnat,f.344.col. 4.& deinceps.
Circa propoſitionem concluſſionis ſumptam materialiter,ſecundum id quod illa poſtulat ex ſe, & iuxta veritatem connexionis terminorum vt ſic,non poſſunt ſimul eſſe ſciẽtia,opinio,& fides,fol.347.col.1.
Circa illam vero formaliter, vt cõcluſsio,reperiri poſsũt ſimul aſſenſus ſcientiæ,opinionis & fidei,ibid.
Ho c quidem Metaphiſice verum,practice vero ſeu moraliter,impoſsibile, ibi.col. 4.& deinceps.

T

Tempus.

Tempus eſt propria ſpecies Quantitatis continuæ, f.234.col.1.
Continuatur inſtantibus ſicut linea punctis,f.233.col.4.
Quid voluit Ariſt. dum tẽpus appellauit quantum per accidens,f.234.col.2.

V

Vnitas.

Vnitas numeralis,tantum eſt realis paſsio entis,ita vt vnitas traſcendentalis cum numerali conuertatur, fol.53. col.4.
Vnitas tranſcendentalis non conſequitur quamcumque formalitatem entis obiectiue realem, ſed tantum conſequitur ens entitatiue realiter,f.54.col.2.
Vnitas formalis dupliciter cõcipi poteſt,fol.57.col.3.
Vnum ſiue vnitatem formaliter in poſitiuo conſiſtere, ibi-

Digitized by Google

ibidem,col.4.
Natura in pluribꝰ indiuiduis a parte rei non eſt vna, niſi per intellectum, neq; a parte rei vllam aliam vnitatem ſortitur præter numeralem, quam habet in quolibet indiuiduo,f.58.col.4.
Qua ratione indiuidua eiuſdẽ naturæ poſsint dici a parte rei ſimilia in natura, etiam ſi non detur in illis a parte rei vnitas formalis, fol. 59. col. 3.
Vnitas numerica, plena, & completa alicuius indiuidui,ſumitur ex vnitate materiæ,& vnitate formæ, quæ formalis numerica appellari poteſt,f.59.col.4.
Vnitas prædicamentalis addit aliquid poſitiuum ſupra rem,cuius eſt vnitas,f. 235. col.4.& deinceps.
Vnitas non addit aliquid poſitiuum realiter diſtinctum ab ipſa Quantitate, fo. 236. col.3.
Vnitas tam ſpecifica, quã generica poteſt fundare relationem primi generis, fol. 253.col.3.

Vniuerſale.

Vniuerſale multipliciter ſumi poteſt.f.4?.col.2.
Quod natura vniuerſalis realiter a ſingularibus ſit ſeparata contradictionem implicat,f.50.col.2.
In vocibus & conceptibus ſolum datur vniuerſale in ſignificando,f.50.col.4.
Vniuerſalis, quidditatiua & deſcriptiua definitio explicatur,f.51.col.1.
Natura a parte rei non poteſt eſſe vniuerſalis,f.55.col.3.
Natura ſecundum ſe,neque eſt ſingularis neque vniuerſalis,f.56.col.2.
Neq; ſeparationem a ſingularibus includit eſſentialiter, f.56.col.1.
Natura a parte rei proprie loquendo nõ eſt in multis,ſed ſolum a parte rei ſunt multæ naturæ,f.103.col.1.
Natura per abſtractionem nullo modo habet vnitatẽ,& ſi per abſtractionem natura haberet vnitatẽ,hæc nõ eſſet vnitas vniuerſalis, f.63.co.1.
Vniuerſale Logicum fit per comparationẽ ſimplicẽ intellectus poſsibilis,f.64.c.2.
Vniuerſalia ſunt tantum quinque,f.143.col.2.
Vniuerſale eſt genus ad quinq; prædicabilia,f.143.col.4.

Vniuocum.

Vniuoca definiuntur,fol.148. col.4.
Vniuocę vel ęquiuocę nõ ſunt res ex ſe,ſed tales dicuntur in quantũ ab intellectu his vel illis nominibus ſignificantur,f.149.col.3.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google



CVM PRIVILEGIO.

MADRITI. Apud Michaelem Serrano de Vargas, Anno
M. DC. VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

as por los ca-
uiſo q̃ fueſſen
ſaber,en que
rretaci n du-
o que en
o por lo q̃
eretacion de
peligroſo
ande. Porque
conſiſte enel
conocer ſi es
a,leue,o gran-
aciones a col-
du oſo, y no
o e miraſſen
ruina y
y de todos los

della ſe
oder ſe riua-
e ſe podri e-
como con
ſentencia cri-
ſto el Sol: con
Si la ſentencia
ſpues de paſſa-
e p ncie dẽ
aquella
el tiempo que
vota,y mo
mo ize el fue-
z falta ſe vn dia
cia que cada dia
deue